

V
B
J
C
5933



EPITOME
CONCILIORVM
TAM GENERALIVM, QVAM PROVINCIALIVM.



M. Joan Radzky S. T. D. R. C. A. quo prius haec Epitome
Romae excudebatur et Innocentio Papa praesentata fuit hoc
benevoli Animi signum possidet. Authoris dilectissimi
mpp

EPITOME

CONCILIORVM

TAM GENERALIVM, QVAM PRVINCIALIVM

IN GRAECA ET LATINA ECCLESIA

celebratorum, quæcunque reperiri potuerunt.

Itemque

VITARVM ROMANORVM PONTIFICVM

Epistolarum Decretalium & diuersarum Sanctionum eorum

Cum Chronologica & Historica obseruatione

A SIMONE STAROVOLSCIO,

Primicerio Tarnouiensi.

LIBRIS XXVI. COMPREHENSA.



Bibliotheca Collegii Majoris Univers. Cracov.

ROMAE, MDCLIII.

Sūmptibus Ioannis Baptistæ, & Ioseph Corbi Bibliopolarum.

TYPIS IGNATII DE LAZARIS. SVPERIORVM LICENTIA.

INNOCENTIO X.
PONT. OPT. MAX.

SIMON STAROVOLSCIVS

Perpetuam Felicitatem.


OTIFRIDVS Viterbiensis, BEATISSIME PATER, eam quam elaborauit historiam (Pantheon ob rerum vniuersalitatem ob eo appellatam) prosa metroque contextam, Vrbano III. dedicauit, inquiens, vt sicut Romanæ Ecclesiæ culmen, noscitur præesse omnibus Regibus, & Principibus, ita & vniuersæ Ecclesiæ doctrina, & regimen, ab ea dependere debet: & ab ea, tanquam à fonte Iustitiæ, totius Sapientiæ regulis omnes, vt instruantur populi necesse est. Quia nullum scripturarum Elogium noscitur esse authenticum, nisi ab eius sapientiæ fluminibus sitientibus propinetur. Quare si quod historiarum opus, præsertim regimen Ecclesiæ concernens, per aliquem Institutione conficitur, ratio suggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apostolico examini præsentetur: quatenus, si acceptione dignum esse perpenditur, eius mandato, ac iu-

dicio approbetur; & ab eo vires, auctoritatemque recipiat, cui terrena, & cœlestia diuinitùs sunt commissa.

Huius ego Præsulis sapientissimum factum, & doctrinam secutus, cum nascentis Ecclesiæ primordia, Christianæ religionis fundamenta primitus iacta, Diuinas leges, pias functiones, Sacra Concilia, editos Canones, Petri in Ecclesia primatum, continuam Pontificum successionem, sacrosantæque Romanæ Ecclesiæ Maiestatem, de omnibus ferè historijs, & Conciliorum voluminibus: præcipuè verò, de doctissimorum nostri sęculi Scriptorum Ecclesiasticorum, Baronij videlicèt, Bzouij, Rolandi, Ciaconij, atque Seuerini Binij, ingentibus Tomis in vnum opusculum sub compendio redactam, Orbi Christiano præsentare gestio, nemini mehercule iustius dicare, & consecrare valeo, quam Tibi, BEATISSIME PATER, Qui veteri iure, & Conciliorum caput, & Scriptorum Censor es supremus: quique ordinatione diuina, in sublimi Cathedræ Petri specula constitutus, tanquam Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum (vt cum S. Bernardo loquar) non in partem solicitudinis, sed in plenitudinem potestatis vocatus, solus de Ecclesiasticis iudicijs, de sacrorum Ritibus, ac Cæremonijs, de

Offi-

Officijs, & vita Clericorum, deque alijs Sanctioris politiæ partibus, Spiritu diuino iuxta promissum Saluatoris asistente, incorruptè discernis, & inreprahensibiliter disponis: Tuo igitur diuino iudicio, & censuræ, has meas lucubrationes Ecclesiasticas subijcio. Tibi velut viuenti Petro, & Christi Domini Vicario, hoc deuoti animi mei monumentum consecro. Tuæ supremæ authoritati has pias meditationes meas probandas, & Apostolica benedictione, veluti cœlesti quodam sigillo cōsignandas offero: vti offerre solebant, qui post Apostolos vixerunt in Ecclesia sacrarum rerum Scriptores, mittendo commentarios suos, quos elucubrabant, ad Ecclesiæ Romanæ Pontificem, cognoscēdos, ac comprobandos; cuius rei exempla, etiam in hoc ipso libro meo legentibus facilè occurrent.

Supplex igitur oro Sanctitatem Tuam, vt hoc exile opus meum, & ipse per otium aliquando reuoluas, ac in eo æquè velut in templo quodam, præteritorum Pontificum, congregatorumque in Concilijs Patrum Imagines recognoscas; & eorū res gestas perindè ac si nunc gererentur, vno aspectu intuearis. Quibusue auctoribus aucta Religio sit, quibus superstitiones eiectæ, profligata vitæ licentia, coactæ Synodus, explosæ hæreses, disside-

den-

dentes Principum animi ad concordiam reuocari, diligenter consideres, atque idem ipse, zelo ardenti, ac paterno affectu præstes. Reuisumq; totum, & euolutum, alijs reuoluendum, sub tua tutela, & fauore committas; quatenus non solùm sacrorum mystæ, & caulæ Dominicæ Præsides tua moti authoritate, lubentes legant, & discant, quæ seruandæ disciplinæ Ecclesiasticę sunt necessaria. Sed Reges etiam ipsi, & Principes populorum, qui vt plurimum se in res Ecclesiasticas temerè ingerere solent, & Diuinis etiam sæpesæpius iuribus, non Pontificijs tantùm hostiliter aduersantur, tuo veluti suasu accuratius reuoluant: prædecessorũq; inde instructi exemplis, subiectos sibi populos, rationabilius gubernare studeant; causas præcedentium errorum habentes in posterum pro cautione futurorum. Impossibile siquidem aliter est, perfecti regiminis, & Regiæ potestatis excellentiam conuenienter attingere his, qui mundi cursum & originem, aut Scripturarũ dogmata ignorant: & sic malè administrando Ecclesiam, vel Rempublicam non iam in legem, sed in Deum ipsum peccare solent. Maximè his corruptissimis temporibus nostris, quibus probata à Romano Pontifice scripta, ministri etiam Regum, Dynastarumq; non solùm ipsi Principes, redigere audent

dent ſub cenſuram. Et quod nefas eſt dictu, collatam Petro clauium poteſtatem (ſcientiæ videlicet, & iuriſdictionis) à Chriſto Domino, ſæcularibus poteſtatibus adſcribunt, manuque laica attrectant id, quod Primitiali dignitati Pontificum Romanorum, Diuina ſententia inprimis, deinde Apoſtolorum Inſtitutionibus, Synodorum Canonibus, Sanctorum Patrum decretis, Populorum & Nationum conſenſione, multitudinis aſſenſu, temporis præſcriptione, & aſsiduo tot ſæculorum in omnes Chriſti fideles dominio, pertractandum commiſſum eſt.

Tu igitur, BEATISSIME PATER, in Summum ſpiritualis militiæ Ducem electus, inque hæc periculoſiſsima tempora Diuina Prouidentia reſeruatus, quoniam virtutes omnes, quæ Pontifice dignæ ſunt, complexu tuo tenes; quemadmodum hactenus operam tuam, atque induſtriam probaſti, cultus Diuini amplificationem, fidei Orthodoxæ propagationem ac tutelam, ſalutis ac tranquillitatis publicæ curam, veteriſque diſciplinæ reſtaurandæ ſtudium, animo ſemper grandi perficiens: ita & in poſterum, hæroicas virtutes, quibus Tibi prædeceſſores tui præluxerunt, Sponſæ tuæ vegetus adferes: eiſque Pontificiam maieſtatem velut gemmis quibuſdam inæſtimabilibus

illu-

illustrabis. Cui tanquam vero, ac legitimo ouilis Ecclesiastici custodi, & Pastori, truculentam luporum rabiem arcere, & contra inuadentes hostes Apostolicos Canones, & Sanctæ Ecclesiæ decreta defendere ac tueri, competit de lege. Quod dum facis alacriter P. B. omnemque deinceps, vt cœpisti impietatem, fraudem, ac improbitatem, virga Pastorali corriges; excipient, crede mihi, memoriam tui omnes anni sequentes: durabisque, & viues in animis piorum, sicut viuunt veteres illi Pontifices Sanctissimi, qui ante mille annos & vltra, instar luminarium in Ecclesia Dei resplēduerunt. Hoc tibi vouent boni omnes, hoc ex animo optant; vtque ad magna, quæ toto Pontificatus tui spatio egisti, maiora addas: & præclara multa, quæ inchoasti, quæque semper moliris, & meditaris, ad Dei gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem felicissimè absoluas, vna mecum sincerè apprecantur. FIAT.

CHRI,

CHRISTIANO LECTORI.



PITOME, seu breue compendium Conciliorum, tàm Oecumenicorum, quàm Prouincialium; vitasque Summorum Pontificum; Constitutiones & Decreta illorum, quotquot ab exordio nascentis Ecclesiæ, ad hæc vsque tempora, pro extirpandis hæresibus, componendis Schismatibus, moribusque fidelium reformandis, celebrata & promulgata fuerunt; secundum temporis, rerumq; gestarum ordinem, adfero tibi LECTOR CHRISTIANE. In quo breuissime locus, causa, numerus Episcoporum, habitiq; Concilij tempus, ac nomen gubernantis nauem Ecclesiæ Pontificis describitur: ne grandi mole Tomorum, quibus illa prout gesta fuerant, continentur, à legendo deterrearis. Cum enim Draco ille Infernalis, hostis animarum nostrarum perpetuus, aduersus intactam Christi sponsam consurgens, non alio modo insidias ei struere nitatur, nisi vt vel fidelium mentes diuersis erroribus imbuat, vel sanctioris politiæ tenatiores, vitæ licentiosæ cupiditate labefactet; deque cæremonijs Ecclesiæ ac ritibus, diuersas quæstiones excitando, discordias, & capitalia inter fratres odia in errorum nocte disseminet. Cui malo, vt tanto felicius, faciliusque obuietur, statim in exordio suæ prædicationis Apostoli Sancto Spiritu afflati, remedium in illo primo Hierosolymitano conuentu adinuenerunt; cum exorta apud Antiochenos de legalibus ceremonijs controuersia, ex vniuersa quæ tunc erat Ecclesia, seniores conuocarunt, & Ecclesiasticarum Synodorum non solùm formulam & exemplar, verumetiam causas, & quos maximè ad vsus cogendæ essent, ostenderunt. Vtque tota iuris Ecclesiastici ratio, in his duobus consistat; rectam nimirum fidem mentibus hominum, reiectis prauis opinionibus infundendo; & externum domus Dei ornatum, decoremque, morum ac rituum sanctissima conuersatione, ac conseruatione propagando, suo exemplo docuerunt.

Quapropter eorum muneris hæredes, atque in Ecclesiæ gubernatione successores Episcopi, quoties hæreses aliquas, aut dissidia,

per

per homines peruersos Satanas excitauerat, nullum aliud præsentius medium, per omnes ferè ætates & secula, ad sedanda schismata, & sectas nefarias extinguendas habuerunt, quam Apostolicũ sequendo exemplum, Concilia Patrum indicere, partim Prouincialia, partim Nationalia, partim denique Generalia, etiam in ipsis persecutionum procellis, ante partam Ecclesię tranquillitatem. Quorum Statuta, & Actorum memoriam, cum barbararum gentium sęuitia oblitterare asiduo studuit, tum maximè odium, atque improbitas hęreticorum: qui, incredibile dictu, quos conatus, quas machinas non admouerunt, vt omnia Synodalium gestorum monumenta, vel penitus abolerent, vel falsis, vitiosisque lectionibus deprauarent. Quod vel vnico Anastasij Imperatoris facto impio comprobare licet: qui dum Acephalis fauet, Chalcedonensis Concilij Actorum volumen, quod in Macedonij Patriarchę scrinijs tanta religione seruabatur, igni exussit. Romani igitur Pontifices animaduertentes è specula Petri, quod si quando Ethnici Scriptores res nostras, vel leuiter attigerunt, eas canino dente lacerantes, eneruarunt potiùs, quàm enarrarunt: hęretici verò pulcherrimam Ecclesię faciem, non habentem maculam, neque rugam, semper calumnijs suis conspurcare tentarunt: & vtrique ex ijsdem scriptis, quibus speciosissima redditur, Synagogam Sathanę, & Babylonem confusionis infernalis reddere contenderunt: ne id fieret, neue in posterum Conciliorum volumina, quibus Christianę Fidei, Orthodoxęq; doctrinę, illustris & salutaris explicatio, defensioque continetur, vno quasi ictu deperiret, dum volumen Conciliorum, ab impio aliquo Tyranno, aut seditiosa multitudine hęreticorum igni traderetur, complura statim exemplaria describere, & in Ecclesiis Cathedralibus, Cœnobiis Monachorum, priuatisque scriniis piorum Sacerdotum, conseruare tot edictis Conciliorum sanciuerunt. Diligentiores verò circa salutem animarum, & cautiores ad pericula futura, elaborarunt summo sudore, quatenus Ecclesiastici Ordinis disciplina, tot Tomis Conciliorum digesta, in vnum quasi corpus compendiosè coacta haberetur, vnde germana illa, ac sincera Ecclesiæ vultus imago, ex antiquo prototypo demonstretur, Sanctique Præsules paternis instituantur regulis: & obedientes Ecclesiæ ministri, vel populi, spiritualibus imbuantur exemplis, & non malorum hominum prauitatibus decipiantur.

Hos inter, primam ferè laudem tulit *Dionysius Exiguus*, qui magno studio, & maturo iudicio, collecta Concilia vno volumine edidit,

dit, vt quæ semel à Patribus decreta, & constituta fuere, nullo vnquā tempore interirent, sed velut diuina quædam deposita, (quod Romani Pontifices maximè curabant) perpetuò integra, ac sarta tecta custodirentur, inuiolataq; posteris consignarentur, ad infringēdos hæreticorū conatus, detegenda eorū cōmenta, ac imposturas aperiendas.

Eadem sanè mens, & *Fernando Diacono* fuit, qui similiter æternitati, veritatiq; studens, quę diuersis Conciliorum voluminibus afferuabantur, breui quadam summa, ac compendio perstringens in vnum corpus redegit.

Successerunt tempore interiecto, Cresconius, Martinus Bracharensis, atq; Isidorus Mercator, qui lucem Concilijs dedere, illam vnicam curam curantes, qua ratione imprimis libertatem, salutem, & securitatem omnium Ecclesiarum in Conciliorum authoritate fundatam conseruarent; cum hæretici mendacia coaceruantes, ac falsissima quęquæ cumulantes, omnia Synodalia gesta, & decreta immutarent, ac prorsus inuerterent; nihil aliud molientes, quam nouam turrim confusionis, vt inquit Bellarminus, ad cœlum si fieri posset pertingentem, qua aduersus Deum, & Sanctos eius dimicarent, cœto perciti furore, construere.

Multiplicatis postmodum per loca diuersa Concilijs, quicquid Synodorum haberi poterat, collegit ex diuersis Bibliothecis *Petrus Crabbe, Franciscanus de Obseruantia, Mechliniensis*.

Auxit autem ex Manuscriptis exemplaribus *Geruinus Calenius, Iuris Licentiatus*, qui in inuestigandis veterum commentarijs quotquot vsquam gentium reperire poterat, diligentissimè laborauit.

Ex quibus vetustę compilationes Decretorum, atque Canonum per *Iuonem, Burchardum, Anselmum, Gratianumq; Benedictinum*, certa methodo congestæ, ac dispositæ extant.

Tandem *Laurentius Surius, Carthusianus Agrippinæ*, veterū schedas, & exemplaria, in quibus Acta Conciliorum Generalium, Prouincialiumque continebantur, diligentius perscrutatus, emendatiora omnia locupletioraque in lucem Tomis Quatuor dedit.

Quamuis ante ipsius ætatem quoque, elaboratissimam Canonū collectionem, sub Lucio Papa iij. edidisset *Laborans* (ita proprio nomine dictus) *S.R.E. Cardinalis Presbyter, tituli S. Mariæ trans Tyberim*, qui literis Philosophicis atq; Theologicis excultus, multas epistolas scripsit.

Sed & *Iuo Carnotensis* ante illum (sub finem siquidem Sæculi post Christum natum vndecimi vixit) Epitomen Conciliorum cōpilauit.

Qua ætate, & *Bernardus Papiensis* Canones Conciliorum collegit;

 qui-

quibusque incrementis Christiana Religio per totum sese terrarũ orbem diffuderit, aut successione temporum longè lateque in vnius visibilis capitis coniunctione coagmentata, atque in vno Spiritu fuerit propagata, luculenter demonstrauit,

Collegit Canones Synodales, & *Franciscus Belleforestius*; addiditque multa opuscula, quæ antiquitatis Ecclesiasticæ amatoribus ad veram doctrinam confirmandam magno vsui esse possunt.

Et *Alphonsus Pisanus Soc. Iesu*, Inter recentiores antiquitatis studiosos, Canones Nicæni Concilij edidit, auctis Canonibus, partim ex Iulij Primi Pontificis Romani Epistolis, partim ex Codice Arabico.

Sacrosancto autẽ Concilio Tridentino finito *Dominicus Nicolinus, Typographus Venetus*, quæ in omnibus Concilijs antea sapienter, & à spiritu veritatis Ecclesiæ dato, decreta ac definita sunt, Tomis quinque edidit, & Sixto V. Pontifici dicauit.

Cuius iussu & authoritate etiam Romæ Concilia Generalia, Græcè, & Latinè, ex Vaticana Typographia prodierunt. Anno Christianæ Epochæ 1608.

Hispanicorum quoq; Conciliorum *Iouerius* primo collectionem fecit. Deinde Garsias Loaisa, vir antiquitatis peritissimus.

Similiter *Iacobus Syrmondus Presbyter Societatis Iesu* Gallica Concilia tribus Tomis complexus est.

Nouissimè autem post hos omnes, *Seuerinus Binus Canonicus Coloniensis*, vir vniuersæ historiæ consultissimus, omnia Concilia, quotquot ab exordio nascentis Ecclesiæ, ad hæc vsque tempora, diuersis in partibus Christiani Orbis, siue Oecumenica, siue certis nationibus ac prouincijs circumscripta, congregatis in vnum Catholici gregis Pręsulibus; gesta & celebrata fuerunt, Tomis octo complexus, Paulo V. Pontifici Max. dicauit.

Ex illo Summam Conciliorum fecere, *Fr. Bartholomæus Carranza, Ord. Prædicatorum, & Franciscus Longus à Coriolano, Ord. Frr. Min. S. Francisci Cappucinus*. Sed vterque vitis Pontificum Romanorum, & eorum Epistolis Decretalibus, atque Sanctionibus reiectis, ne opus nimium excresceret, aut occupatiores à legendo deterreret.

Nos igitur considerantes, quòd magna illa Conciliorũ moles à Binio tot Tomis digesta, quamplurimos sua magnitudine exterrere soleat, ne saluberrimus huiusmodi studijs incumbant; (& plerosque etiã tenuis facultas ab emptione tot Codicum retrahit) Summa verò ex eo congesta, curiosiores sua breuitate suspendat à cognitione temporis, & personarum præsidentium in Ecclesia: Proinde commoditati, & desi-

desiderio vtrorumq; seruire cupientes, (cum vnumquemque mystam, præcipuè verò Episcopum & Prelatum scire omnino deceat, quid pro fide & veritate Catholica, in vnaquaque hæresi secundũ scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, Patres facta congregatione sanxerunt, & inconuulsum deinceps id, firmamque constare per Concilium voluerunt) qua potuimus fide, diligentia, & methodo faciliori, in compendium seu Epitome, tàm vitas ipsorum Pontificum, quàm Concilia sub ipsis celebrata, omnia quæ vsquam legitimè in Spiritu Sancto congregata fuere, redigere hoc opere studuimus, & tantã rerum copiam, quæ tot voluminibus dilatata exaratur, tanquam in aliquam cellam penariam congessimus. Seruantes in omnibus temporum Supputationem, rerumque gestarum narrationem, ad censuram & mentem grauissimorum nostri Sæculi Scriptorum, *Baronij*, *Bellarmini*, *Ciaconij*, *Bzouij*, atque potissimum ipsius *Seuerini Binij Conciliorum collectoris*. Qui genuina scriptione, militantis Ecclesiæ origines, fluctuationes, pugnas, victorias, trophæa, & incrementa, vti cordati Doctores, sunt prosecuti. Fidemque ab Apostolorum temporibus per manus quasi traditam, ab hæreticorum monstris, erroribus, & calumnijs vindicatam, si quispiam vsquam melius, Orbi Christiano incontaminatam illæsamque suis voluminibus demonstrarunt. Horum ego opinionem & historiam secutus, Lector Christiane, etsi probe scirem, quam difficile, atque arduum sit viris doctis, & veteris historiæ, totiusq. Ecclesiasticę antiquitatis peritis, quibus ętas nostra abundat, in hoc scriptionis genere cumulatè satisfacere, ausus attamen sum mereri aliquid de Ecclesia Dei, & re litteraria cupiens, summa fidei nostrę firmamenta, visibilemq Ecclesię Catholicę monarchiam, à Christo Domino institutam, super Petrum fundatã, ac per eius legitimos, verosq. Successores Romanos nimirum Pontifices inuiolatè conseruatam, religiosè custoditam, neque vnquam interruptam vel intermissam, sed perpetuò continuatam vsque ad nostram ætatem, hac breui Epitome perstringere. Certocertius sperans imbecillitati meę veniam daturos, quosuis pios & Orthodoxos Lectores, si opere hoc laborioso & perdifficili, minime eorum expectationi satisfecero; attulisse tamẽ aliquid adiumenti, cupientibus scire totius Ecclesiasticę antiquitatis notitiam, ipsorum humanitate censebor: ijs præsertim quibus aut euoluere non vacat tot volumina Scriptorum, aut comparere non præstat tantã farraginem librorum. In magnis autẽ, & voluisse sat est. Tu interim LECTOR CHRISTIANE, his vtere feliciter, meq; pro tua vocatione, & humanitate, Christiano affectu prosequere, & Vale.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. S. Palatij Apost. Mag.

Ascanius Riualdus Vicesgerens.

REVERENDISSIME PATER.

Clarissimi viri Simonis Starouolcij Poloni, Primicerij Tarnouiensis (qui aliis eximijs, iam editis, ingenij monumentis vniuerso Literatorum Orbi seipsum reddidit illustrem) Epitome Conciliorum, *&c. & à Reuerendissima Paternitate tua iussus, & spontaneus, ac libentissimus perlegi. Quam, & propter Scriptoris singularem præstantiam, & propter singularem dispositionis methodum, ac etiam propter maximum beneficium indè studiosis omnibus prouenturum, non solùm publica luce, sed etiam omnium commendatione dignissimam censeo. Romæ in Aedibus Sanctæ Mariæ in Campitello die octaua Ianuarij 1653.*

Hippolytus Marraccius Lucensis è Congregatione Cleric. Regularium Matris Dei.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Mag. & Socius Reuerendiss. Patris Magistri Sacri Pa latij Apostolici, Ordinis Prædicatorum.

C A-

CATHALOGVS, ET SERIES SVMMORVM PONTIFICVM A CHRISTO DOMINO AD HÆC VSQVE NOSTRA TEMPORA,

Iuxta antiquam, ac verisſimam tum Romanæ Eccleſiæ, tum concordem Hiſtoricorum Sententiam, numerum continens.

1 PRimus, IESVS CHRISTVS Summus Pontifex, ac Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech, totius Eccleſiæ caput à Deo conſtitutus, cùm Pontificatum triginta tribus annis, ac tribus ferè menſibus tenuiſſet, Petrum totius Catholicæ Eccleſiæ Pontificem ſibi Vicarium inſtituit, tum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum deſtinauit; anno ſalutis 34.

2 *Petrus* Secundus Pontifex, Chriſti Vicarius, cum Antiochiæ ſeptem annis ſediſſet: poſtea iubente Chriſto Romam venit ſub Tiberio Cæſare; & Romanam Cathedram viginti quinque annis adminiſtrauit, ac Romanus Pontifex Primus appellatus eſt. Tum Petro ſucceſſit Linus.

3 *Linus* ergo, qui primus poſt Petrum gubernauit Eccleſiam, cum ſediſſet annos vndecim, menſes duos, dies viginti tres, capitali ſupplicio afficitur.

4 *Cletus*, qui præfuit Eccleſiæ annis duodecim, menſibus ſeptem, diebus duobus; Domitiano Imp. martyrio coronatus eſt.

5 *Clemens* j. Romanus vixit in Pontificatu annos nouem, menſes ſex. Martyr.

6 *Anacletus* Græcus, poſt interregnum quatuor menſium, & decem dierum, Pontifex eligitur, ſedit annos nouem, menſes duos, & dies decem. Martyr.

7 *Euariſtus* Græcus ſedit annos decem, menſes ſeptem, dies duos. Martyr.

8 *Alexander* Romanus ſedit annos decem, menſes ſeptem, & dies duos. Martyr.

9 *Sixtus* j. Romanus ſedit annos decem, menſes tres, dies viginti vnum. Martyr.

10 *Teleſphorus* Græcus ſedit annos vndecim, menſes tres. Martyr.

11 *Hyginus* Græcus ſedit annos quatuor, menſes tres.

12 *Pius* Aquileienſis ſedit annos nouem, menſes ſex. Martyr.

13 *Anicetus* Syrus ſedit annos nouem, (alij vndecim) menſes quatuor. Martyr.

14 *Soter* Fundanus ſedit annos quinque, (alij nouem) menſes tres, dies viginti vnum. Martyr.

15 *Eleutherius* Græcus ſedit annos quindecim, dies viginti tres. Martyr.

16 *Victor* Afer vixit in Pontificatu annos nouem, menſem vnum, & dies viginti octo. Martyr.

17 *Zephyrinus* Romanus ſedit annos decem & octo, totidemque dies. Martyr.

18 *Caliſtus* j. Romanus ſedit annos quinque, menſem vnum, dies duodecim.

19 *Vrbanus* j. Romanus ſedit annos ſex (alij quatuor) menſes decem. Martyr.

20 *Pontianus* Romanus vixit in Pontificatu annos quinque (alij nouem) menſes quinque. Martyr.

21 *Anterus* Græcus ſedit vnum annum, menſem vnum: alij dicunt, quòd ſedit annos vndecim. Martyr.

22 *Fabianus* Romanus ſedit annos quatuordecim. Martyr.

23 *Cornelius* Romanus ſedit annos duos, menſes duos. Martyr.

24 *Lucius* j. Romanus ſedit annum vnum (alij tres) menſes octo.

25 *Stephanus* j. Romanus ſedit annos tres (alij ſeptem) menſes quinque Martyr.

26 *Sixtus* ij. Græcus ſedit annum vnum, menſes vndecim. Martyr.

27 *Dionysius* cuius originem Damasus inuenire non potuit, sedit annos vndecim, (alij sex) menses duos.
28 *Felix* j. Romanus sedit annos duos, menses quinque. Martyr.
29 *Eutychianus* Tuscus sedit annos nouem. Martyr.
30 *Caius* Dalmata sedit annos duodecim, menses quatuor. Martyr.
31 *Marcellinus* Romanus sedit annos septem, menses vndecim, dies viginti tres. Martyr.
32 *Marcellus* j. Romanus sedit annos quinque, menses sex, dies viginti vnum. Martyr.
33 *Eusebius* Græcus sedit annos duos, (alij sex) menses septem.
34 *Melchiades* Afer sedit annos duos, menses duos. Martyr.
35 *Siluester* j. Romanus sedit annos viginti vnum, menses decem.
36 *Marcus* Romanus vixit in Pontificatu duobus annis, mensibus octo, & diebus viginti.
37 *Iulius* j. Romanus sedit annos quindecim, menses duos.
38 *Liberius* Romanus) ab anno 452. vsque
39 *Felix* ij. Romanus) ad annum 367.
40 *Damasus* Hispanus Lusitanus sedit vsque ad annum decimum octauum inchoatum.
41 *Siricius* Romanus, sedit annos tredecim, alij quindecim.
42 *Anastasius* j. Romanus sedit annos quatuor.
43 *Innocentius* j. Albanus sedit annos quindecim, menses tres.
44 *Zosimus* Græcus sedit annum vnum, menses tres, dies duodecim.
45 *Bonifacius* j. Romanus sedit annos quatuor, menses decem.
46 *Cælestinus* j. Campanus sedit annos octo, menses quinque, dies decem, & septẽ.
47 *Sixtus* iij Romanus sedit annos octo.
48 *Leo* Magnus Tuscus, sedit annos, viginti vnum, dies tredecim.
49 *Hilarus* Sardus sedit annos sex, menses decem.
50 *Simplicius* Tiburtinus sedit annos quindecim, menses quinque.
51 *Felix* iij. Romanus sedit annos nouem.
52 *Gelasius* Afer sedit annos quatuor, menses octo, dies decem & septem.
53 *Anastasius* ij. Romanus sedit annos duos.
54 *Symmachus* Sardus sedit annos quindecim, menses octo.
55 *Hormisda* Frusinonius sedit annos nouem, dies octodecim.
56 *Ioannes* j. Tuscus sedit annos duos, menses nouem, dies quatuordecim.
57 *Felix* iv. Samius sedit annos quatuor, menses duos, dies tredecim.
58 *Bonifacius* ij. Romanus sedit annos duos.
59 *Ioannes* ij Romanus sedit annos tres.
60 *Agapetus* j. Romanus sedit annos duos, dies viginti vnum.
61 *Siluerius* Campanus sedit annos tres, & quartum inchoauit.
62 *Vigilius* Romanus sedit annos quindecim, menses sex, dies viginti sex.
63 *Pelagius* j. Romanus sedit annos quatuor, menses decem, dies decem & octo.
64 *Ioannes* iij. Romanus sedit annos tredecim.
65 *Benedictus* j. Romanus, sedit annos quatuor, menses duos.
66 *Pelagius* ij. Romanus sedit annos duodecim, menses tres.
67 *Gregorius* Magnus Romanus sedit annos tredecim, menses tres, dies decem.
68 *Sabinianus*, cuius Patria ignoratur, sedit menses quinque, dies decem, & nouem.
69 *Bonifacius* iij. Romanus sedit menses nouem.
70 *Bonifacius* iv. ex Valeria Marsorum ciuitate, sedit annos sex, menses octo.
71 *Deusdedit* Romanus sedit annos tres.
72 *Bonifacius* v. Neapolitanus sedit annos septem menses decem.
73 *Honorius* j. Campanus, sedit annos duodecim, menses quinque, dies decem & septem.

74 *Seuerinus* j. Romanus Pontificatus sui anno primo moritur.
75 *Ioannes* iv. Dalmata Pontificatus sui, anno primo, mense nono, die nono moritur.
76 *Theodorus* j. Græcus sedit annos septem, menses quinque.
77 *Martinus* j. Tudertinus sedit annos sex, menses tres, dies duodecim. Martyr.
78 *Eugenius* j. qui per imaginem quandam sedebat, mortuo prædecessore, legitimus iam Pontifex nouo accedente consensu, sedere cœpit. Qui tamen cum sedisset ab obitu Martini legitimè menses sex, dies 23. secunda die Iunij moritur
79 *Vitalianus* j. Segninus sedit annos quatuordecim, menses quinque;
80 *Adeodatus* j. Romanus sedit annos septem, menses duos.
81 *Donus* Romanus sedit annos duos.
82 *Agatho* j. Siculus sedit annos quatuor.
83 *Leo* ij. Siculus sedit menses decem.
84 *Benedictus* ij. Romanus sedit menses decem.
85 *Ioannes* v. Syrus sedit annum vnum, & dies vndecim.
86 *Conon* Thrax sedit menses vndecim, & dies viginti tres.
87 *Sergius* j. Syrus sedit annos tredecim, menses octo, dies viginti tres.
88 *Ioannes* vj. Græcus sedit annos tres, menses duos, dies duodecim.
89 *Ioannes* vij. Græcus sedit annos duos, menses septem, dies decem & septem.
90 *Sisinnius* Syrus, vigessimo Pontificatus die, septima Februarij repentinè moritur.
91 *Constantinus* Syrus sedit annos sex, mensem vnum.
92 *Gregorius* ij. Romanus sedit annos sexdecim menses octo, dies viginti.
93 *Gregorius* iij. Syrus sedit annos decem, menses nouem.
94 *Zacharias* Græcus sedit annos decem, menses tres.
95 *Stephanus* ij. post quartum diem vita fungitur, & ob temporis breuitatem in Serie Romamorum Pontificum à non nullis omittitur, cum tamen verè Pontifex fuerit.
96 *Stephanus* iij. Romanus sedit annos quinque, & dies viginti octo.
97 *Paulus* j. Diaconus eius frater, illi in Pontificatu subrogatur: sedit annos decem, & mensem vnum.
98 *Stephanus* iv. Siculus sedit annos tres, menses sex.
99 *Adrianus* j. Romanus sedit annos viginti tres, menses decem, dies tredecim.
100 *Leo* iij. eodem die obitus Adriani, magno omnium consensu subrogatus est, Romanus, sedit annos viginti, menses quinque, dies decem & septem.
101 *Stephanus* v. Romanus sedit menses septem.
102 *Paschalis* Romanus, inuitus & reluctans è Monasterio S. Stephani eductus, cui præsidebat, Pontifex creatur: sedit annos septẽ, menses tres, dies sexdecim.
103 *Eugenius* ij. Romanus sedit annos tres, menses duos.
104 *Valentinus* Romanus sedit dies quadraginta.
105 *Gregorius* iv. inuitus & renitens, ac latebras quærens, Pontifex eligitur: sedit annos sexdecim.
106 *Sergius* ij. sedit annos tres, & mensem vnum.
107 *Leo* iv. Romanus sedit annos octo, menses tres.

Hic fingitur Ioannis Papæ Fœminæ fabula.

108 *Benedictus* iij. defuncto Leoni absque mora subrogatur omnium consensu; sed Pontificatus sui anno secundo, mense sexto, die nono moritur.
109 *Nicolaus* j. Romanus fugiens, & tantum onus declinans, à S. Petri Basilica abstractus Sacris acclamationibus in Patriarchium Lateranense introductus, Apostolico solio imponitur; sedit annos nouem, menses sex, dies viginti.
110 *Adrianus* ij. Romanus, post mensis vacationem, admirabili omnium ordinum consensu eligitur: sedit annos quatuor, menses decem.
111 *Ioannes* viij. Romanus sedit annos decem.

112 *Mari-*

112 *Marinus* ſedit annum vnum, & dies viginti.
113 *Adrianus* iij. ſedit annum vnum menſes tres, dies decem & nouem.
114 *Stephanus* vj. dictus v. ſedit annos ſex.
115 *Formoſus* Portuenſis cuius mortis tempus incertum.
116 *Stephanus* viij. dictus vj. ſubrogatur, pulſo Bonifacio intruſo, ab intruſo; in Serie tamen Pontificum numeratur, quia ad periculum Schiſmatis auertendum, illum vniuerſus Clerus approbauit, totaque Chriſti Eccleſia pro Chriſti Vicario, & Petri ſucceſſore agnouit; ſed præualente poſtea in Vrbe Romanorum factione aduerſus Adabertum Tuſciæ Marchionem, Stephanus Apoſtolicæ Sedis inuaſor, & ipſe pulſus detruditur in carcerem, vbi ſtrangulatur, & creatur.
117 *Romanus* quidam nomine, quem vixiſſe tantum menſes quatuor & dies viginti tradunt.
118 *Theodorus* ij. Romanus die vigeſimo ſui Pontificatus moritur.
119 *Ioannes* ix. Tiburtinus ſedit annos tres, & dies quindecim.
120 *Benedictus* iv. Romanus ſedit annos duos circiter.
121 *Leo* v. Ardeatinus poſt quadraginta dies moritur.
122 *Christophorus* Romanus ſedit menſes ſeptem.
123 *Sergius* iij poſt annos duos moritur.
124 *Anaſtaſius* iij. Romanus ſedit annos duos, & totidem menſes.
125 *Lando* ſucceſſit Anaſtaſio defuncto: ſed modico interlapſo tempore, ex hac vita migrauit.
126 *Ioannes* x. Romanus ſedit annos ſexdecim.
127 *Leo* vj. Romanus ſeptimo menſe, die decimo quinto Pontificatus ſui moritur.
128 *Stephanus* viij. dictus vij. Romanus ſedit annos duos, menſem vnum.
129 *Ioannes* xj. ſedit annos quinque.
130 *Leo* vij. Romanus ſedit annos tres, menſes ſex.
131 *Stephanus* ix. Germanus ſedit annos tres, menſes quatuor.
132 *Marinus* ij. ſedit annos tres, menſes tres, dies tredecim.
133 *Agapetus* ij. Romanus ſedit annos decem, menſes & dies decem.
134 *Ioannes* xij. Romanus ſedit annos nouem,
135 *Benedictus* v. cuius obitus neſcitur annus certus.
136 *Ioannes* xiij. Romanus ſedit annos ſex, menſes vndecim.
137 *Donus* ij. Romanus poſt tertium menſem obijt.
138 *Benedictus* vj. Romanus, qui à ſceleſtiſſimo viro capitur, in carcerem detruditur, & ſtrangulatur. Sedit annum vnum, menſes tres, & dies aliquot.
139 *Benedictus* vij. Romanus ſedit annos nouem.
140 *Ioannes* xiv. à præfato Bonifacio etiam in carcerem detruſus, fame perit.
141 *Ioannes* xv. Romanus ſedit annos decem, & menſes aliquot.
142 *Gregorius* v. ſedit annos duos, menſes circiter octo.
143 *Silueſter* ij. ſedit annos tres.
144 *Ioannes* xvj alijs xvij. poſt quinque menſes moritur.
145 *Ioannes* xvij alijs xviij. ſedit annos ſex.
146 *Sergius* iv. Romanus ſedit annos duos, menſes octo.
147 *Benedictus* viij. ſedit annos duodecim.
148 *Ioannes* xviij. alijs xix. alijs xx. ſedit annos decem; & menſes aliquot.
149 *Benedictus* ix. Tuſculanus, qui cum non rectè viueret, & Silueſter Sedem inuaſiſſet, ille à Gratiano, iſte à B. Nilo perſuaſus, Sedem depoſuerunt, & omnes vnanimi conſenſu ipſum Gratianum, tanquam Eccleſiæ Dei liberatorem elegerunt, eumque mutato nomine.
150 *Gregorium* vj. vocauerunt; ſed cum videret durum Schiſma conflandum, Gregorium Nazianzenum imitatus, ſponte Pontificia dignitate ſe priuauit, eique ceſſit.
151 *Clemens* ij. qui veneno potatus, poſt nonũ menſem vltra mõtes defunctus eſt.

152 Da-

152 *Damaſus* ij. Bauarus per vim Sedem occupans, nullo Cleri, populique conſenſu: ſed vigeſimo tertio ſui Pontificatus die moritur. Veneno aiunt eſſe à Benedicto illo Sedis Apoſtolicæ inuaſore ſublatum.
153 *Leo* ix. ſedit annos quinque, menſes duos.
154 *Victor* ij. ſedit annos duos, menſes tres.
155 *Stephanus* x. moritur Pontificatus ſui menſe nono.
156 *Nicolaus* ij Florentinus ſedit annos duos.
157 *Alexander* ij. Mediolanenſis ſedit annos vndecim.
158 *Gregorius* vij. ſedit annos duodecim.
159 *Victor* iij. ſedit annos duos, & menſes aliquot.
160 *Vrbanus* ij. ſedit annos duodecim.
161 *Paſchalis* ij. Tuſcus ſedit annos decem, & octo.
162 *Gelaſius* ij. ſedit annum vnum,
163 *Calixtus* ij. ſedit annos quinque.
164 *Honorius* ij. ſedit annos quinque.
165 *Innocentius* ij. ſedit annos tredecim
166 *Cæleſtinus* ij. vixit in Pontificatu menſes quinque.
167 *Lucius* ij. Bononienſis ſedit aliquot menſes.
168 *Eugenius* iij. ſedit annos nouem.
169 *Anaſtaſius* iv. vixit in Pontificatu menſes quinque.
170 *Adrianus* iv. ſedit annos quatuor, menſes decem.
171 *Alexander* iij. Tuſcus ſedit annos viginti tres, & aliquot menſes. Hic Pontifex ad dies Petri plus cœteris Pontificibus propinquius acceſſit.
172 *Lucius* iij. Tuſcus ſedit annos quatuor, menſes duos, dies decem & octo.
173 *Vrbanus* iij. Mediolanenſis, ſedit annũ vnũ, menſes decẽ, dies viginti quinque.
174 *Gregorius* viij. ſedit tantùm menſem vnum, & dies viginti ſeptem.
175 *Clemens* iij. Romanus ſedit annos duos, & aliquot menſes.
176 *Cæleſtinus* iij. Romanus ſedit annos ſex, & aliquot menſes.
177 *Innocentius* iij. Anagninus ſedit annos decem, & octo menſes ſex.
178 *Honorius* iij. Romanus ſedit annos decem, menſes ſeptem.
179 *Gregorius* ix. Anagninus ſedit annos quindecim.
180 *Cæleſtinus* iv. decimo octauo ſui Pontificatus die moritur. Vacat Sedes anno vno & ãplius, quia Fridericus Imperator tres Cardinales in carcere detinebat.
181 *Innocentius* iv. Genuenſis ſedit annos vndecim, menſes quinque.
182 *Alexander* iv. Segninus ſedit annos ſex, menſes quinque.
183 *Vrbanus* iv. ſedit annos nouem, & aliquot menſes.
184 *Clemens* iv. Gallus ſedit annos tres. Vacauit Sedes biennio, & tribus menſibus.
185 *Gregorius* x. Placentinus ſedit annos quinque.
186 *Innocentius* v. poſt quintũ menſẽ & aliquot dies, improuiſa morte ſublatus eſt.
187 *Adrianus* v. Genuenſis aliquot dies vixit.
188 *Ioannes* xxj. Vlyſipponenſis ſedit octo menſes, & aliquot dies.
189 *Nicolaus* iij. Romanus ſedit annos tres, & aliquot menſes.
190 *Martinus* ij. dictus iv. ſedit annos quatuor, menſem vnum
191 *Honorius* iv. Romanus ſedit annos duos.
192 *Nicolaus* iv. ex Ordine Minorũ, Aſculanus, ſedit ãnos quinque & aliquot meſes.
193 *Cæleſtinus* v. Moronus, poſt quinque menſes cedit Papatui.
194 *Bonifacius* viij. Anagninus ſedit annos nouem.
195 *Benedictus* x. dictus xj. ſedit menſes octo, dies decem & ſeptem.
196 *Clemens* v. Guaſconus ſedit annos octo, menſes decem, dies quindecim.
197 *Ioannes* xxj. dictus xxij. ſedit annos decem & ſeptem.
198 *Benedictus* xij. ſedit annos ſeptem, menſes quatuor.
199 *Clemens* vj. Lemouicenſis ſedit annos decem, menſes ſex, dies decem & octo.
200 *Innocentius* vj. Lemouicenſis ſedit annos nouem, menſes ſeptem.

202 *Vrba-*

202 *Vrbanus* v. Lemouicensis sedit annos octo, menses tres.
203 *Gregorius* xj. Lemouicensis sedit annos septem, menses quinque.
204 *Vrbanus* vj. Neapolitanus sedit annos duos, dies viginti & vnum.
205 *Bonifacius* viij Neapolitanus, sedit annis quatuordecim menses nouem.
206 *Innocentius* vij. Sulmonensis, sedit annis duobus, & dies viginti tres.
207 *Gregorius* xij. Venetus, qui vt schisma ab Ecclesia tolleretur, sponte cedit Papatui; per Cardinales deposito Benedicto Antipapa.
208 *Alexandrum* v. Minoritam crearunt, viuente adhuc Gregorio xij. quo Pontificatus sui mense octauo mortuo creatur.
209 *Ioannes* xxiij. dictus xxiiij. Neapolitanus, qui tamen à Concilio Constantiensi depositus fuit: & ipse suæ depositioni assensum præbuit.
210 *Martinus* v. Romanus sedit annos tredecim, menses tres.
211 *Eugenius* iv. sedit annos sexdecim.
212 *Nicolaus* v. Sarzanus sedit annis octo, & diebus decem & nouem.
213 *Calixtus* iij. Hispanus sedit annos tres, menses quatuor.
214 *Pius* ij. Pientinus sedit annos sex.
215 *Paulus* ij. Venetus sedit annos sex, menses decem.
216 *Sixtus* iv. Ligur, ex ordine Minorum, sedit annos vndecim, & aliquot menses.
217 *Innocentius* viij. Genuensis sedit annos septem, & aliquot menses.
218 *Alexander* vj. Hispanus sedit annos vndecim, menses octo.
219 *Pius* iij. Hetruscus die vigesima sexta sui Pontificatus moritur.
220 *Iulius* ij. Ligur sedit annos nouem.
221 *Leo* x. Florentinus sedit annos octo.
222 *Adrianus* vj. Teutonicus, sedit annum vnũ, menses octo dies viginti quatuor.
223 *Clemens* vij. Florentinus sedit annos decem.
224 *Paulus* iij. Romanus sedit annos quindecim, & dies viginti quinque.
225 *Iulius* iij. Italus sedit annos quatuor, & aliquot menses.
226 *Marcellus* ij. Fanensis post diẽ vigesimum secundũ sui Pontificatus moritur.
227 *Paulus* iv. Neapolitanus sedit annos quatuor, & aliquot menses.
228 *Pius* iv. Mediolanensis sedit annos quinque, & menses aliquot.
229 *Pius* v. Insuber Alexandrinus sedit annos quinque, & aliquot menses.
230 *Gregorius* xiij. Bononiensis sedit annos duodecim, mẽses decẽ, dies viginti septẽ.
231 *Sixtus* v. Picenus sedit annos quinque, menses quatuor.
232 *Vrbanus* vij Romanus die duodecima à sua assumptione moritur.
233 *Gregorius* xiv. Mediolanensis sedit annum vnum, & aliquot menses.
234 *Innocentius* ix. Bononiensis, post duos menses moritur.
235 *Clemens* viij. Florentinus sedit in Pontificatu annos tredecim, & mensem vnũ.
236 *Leo* xj. Florentinus post viginti sex dies à sua assumptione moritur.
237 *Paulus* v. Romanus sedit annos quindecim, & aliquot menses.
238 *Gregorius* xv. Bononiensis sedit annos duos, & menses sex.
239 *Vrbanus* viij. Florentiuus, sedit annos viginti & vnum.
240 *Innocentius* x. Romanus, creatus die 15. Sep. Anno Domini 1644. Aetatis Suę 71.



IN-

INDEX
CONCILIORVM OECVMENICORVM
APPROBATORVM.

PRimum NICAENVM. 318. Episcoporum contra hæreses Arianorum,& Quartadecimanorum habitum sub Syluestro Papa, & Constantino Magno Imperatore Anno Domini. 325.

Secundum ARIMINENSE quo à 400. Episcopis Nicæna fides confirmata sub Liberio Papa, & Constantio Imperatore.

Tertiũ CONSTANTINOPOLITANVM j. celebratũ Anno 381. aduersus Macedoniũ negantem Spiritus Sancti Diuinitatem: Theodosio seniore Imp. ac Damaso Sũmo Pont. Ad quod conuenerãt Episcopi 150. qui & Symbolum Nicænũ confirmarunt.

Quartum EPHESINVM j. celebratũ Anno 331. Theodosio Iuniore Imp. & Cælestino j. Summo Pontifice. Ad quod conuenerunt Episcopi 200. In hoc Concilio Cyrillus Alexandrinus locũ Romani Pont. obtinebat. Causa eius celebrandi fuit Nestorij Episc. Constantinopolitani noua hæresis, quæ Christũ in duas personas diuidebat.

Quintum CHALCEDONENSE. Quod anno 451. collectum fuit aduersus hæresim Eutychetis Archimandritæ, quæ vnam tantùm in Christo naturam asserebat post Incarnationem. Actum est hoc Concilium Leone j. Summo Pontifice, & Martiano Augusto. Adfuerunt in eo 630. Episcopi.

Sextum CONSTANTINOPOLITANVM ij. habitum Anno 553. Agathone Summo Pontifice,& Constantino Pogonato Imperatore. Fuerunt in eo Concilio 289. Episcopi, à quibus damnata est eorum hęresis, qui vnam tantùm voluntatem in Christo esse volebant, & Monathelitæ vocabantur.

Septimnm NICAENVM ij. Anno 787. sub Adriano Papa,& Constantino Imperatore celebratum ab Episcopis 350. Coactum fuit hoc Concilium aduersus Iconomachos, qui sacras Christi, & Sanctorum imagines omni honore spoliabant.

Octauum CONSTANTINOPOLITANVM iij. quod celebratũ est Anno 869. Adriano ij. Summo Pontifice, & Basilio Augusto à 383. Episcopis, qui Photium intrusum deposuerunt, & Ignatium antea iniuste depositum Sedi Constantinopolitanæ restituerunt. Imaginibusque honor redditus est.

Nonum LATERANENSE j. Episcoporum 300. & ampliùs, pro recuperanda à Saracenis Terra Sancta Anno 1122. Summo Pont. Calixto ij. & Henrico v. Imperatore.

Decimum LATERANENSE ij. Episcoporum mille Anno 1135. Contra Antipapas, & pro Iure Cleri, tempore Innocentij ij. & Lotharij Imperatoris.

Vndecimũ LATERANENSE iij. Episcoporum 300. pro reformatione Ecclesiæ, & contra Vvaldenses Anno 1179. tempore Alexandri iij, & Friderici Imperatoris.

Duodecimũ LATERANENSE iv. Patrum 1283. Anno 1215. Cõtra varias hæreses, & pro Terra Sancta recuperanda tempore Innocentij iij. & Friderici Imperatoris.

Tertiumdecimum LVGDVNENSE j. Anno 1245. Contra Imperatorem Fridericum & pro Terra Sancta recuperanda, tempore Innocentij iv.

Quartumdecimum LVGDVNENSE ij. Patrum fere mille, contra errorem Græcorum, tempore Gregorij x. & Rudolphi Imperatoris Anno 1274.

Quintumdecimum VIENNENSE Anno 1311. Episcoporum 300. contra varias hæreses tempore Clementis v. & Henrici VII. Imperatoris.

Sextumdecimum FLORENTINVM Anno 1438. Patrum 141. contra errores Græcorum, tempore Eugenij iv. & Alberti Imperatoris.

Decimumseptimum LATERANENSE v. Anno 1517. Patrum 114. Contra Schismata, tempore Iulij ij. & Leonis x. & Maximiliani Imperatoris.

Decimumoctauum TRIDENTINVM Anno 1545. inchoatum, & 1563. absolutũ, contra hæreses Luteranorum, & pro Ecclesię reformatione, tẽpore Pauli iij. Iulij iij. ac Pij iv. & Caroli v. ac Ferdinandi Imperatorum.

IN-

INDEX
CONCILIORVM OECVMENICORVM
REPROBATORVM.

PRimum ANTIOCHENVM Anno 345. in quo damnatus, & depositus fuerat Athanasius ab Arianis, & in eius locum substitutus Gregorius Cappadox, & via patefacta ad euersionem Concilij Niceni.

Secundum MEDIOLANENSE Episcoporũ plusquam trecẽtorum Anno 354. tempore Constantij Imp. Ariani, in cuius gratiam obliquè Fides Catholica damnata erat.

Tertium ARIMINENSE Episcoporum 600. sub eodem Constantio anno 363. in quo sublatum est Symbolo nomen ὁμούσιος.

Quartum EPHESINVM ij. tempore Theodosij Iunioris Anno 459. in quo factione Dioscori occisus est Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis Leonis fugati: ac demum hæresis Eutychiana confirmata.

Quintum CONSTANTINOPOLITANVM Sub Leone Isauro contra Sacras imagines Anno 728. Interfuit huic Concilio s. Germanus Patriarcha, qui quia non consensit, à sua sede Constantinopolitana deiectus est.

Sextum CONSTANTINOPOLITANVM Sub Constãtino Copronymo Anno 754. ad abolendum Christi Domini & Sanctorum eius Imagines. Reprobatum est hoc Concilium in vij. synodo Act. 6.

Septimum PISANVM Anno 1511. congregatum ab Imperatore, & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus, contra Iulium iij. Papam. Reprobatum est paulò post in Concilio Lateranense sub eodem Iulio iij. Sessione 2. & 3.

INDEX
CONCILIORVM OECVMENICORVM
PARTIM APPROBATORVM, ET PARTIM REPROBATORVM.

PRimum SARDICENSE, in causa Athanasij, aliorumque exulum Episcoporum celebratum sub Iulio primo, & Constantino Imperatore Anno Domini 350 à 276. Episcopis, qui fidem Catholicam confirmarunt, & habetur pro Appendice Nicæni. Reliqui 76. Episcopi Orientales fidem Arianam scripserunt.

Secundum SYRMIENSE, Anno Domini 356. Liberio Summo Pontifice, & Constantio Imperatore. In hoc enim Concilio duæ formulæ Fidei dissentientes inter se Catholica, et Ariana editæ sunt.

Tertium QVINISEXTVM, Anno 692. celebratum in quo continentur Canones Trullani: qui partim sunt reprobati à Sergio Papa: partim approbati ab Adriano Papa & vij. Synodo, in materia de pingendis imaginibus.

Quartum FRANCOFVRDIENSE Anno 794. Adriano j. Pontifice, & Carolo Magno Francorũ Rege, in quo approbatum est totum quicquid spectabat ad doctrinã asserentẽ Christum Dominum non esse Filium Dei adoptiuum, sed consubstantialẽ ab æterno Reprobatũ autem quicquid erroneè dictum damnãdo Synodum Septimam.

Quintum CONSTANTIENSE Patrum ferè mille, quod cum dicit Concilium esse supra Papam, reprobatur in Concilio Florentino & Lateranensi vltimo: in reliquis omnibus quæ probauit Martinus v. recipitur à Catholicis.

Sextum BASILIENSE, cuius nihil est ratum & probatum, nisi quædam dispositiones circa Beneficia, reliqua omnia atque ipsum Concilium reprobatur in Concilio Lateranensi vltimo Sess. 2.

Septimum PISANVM, Anno 1409. in quo depositis Gregorio xij. & Benedicto xiij. electus fuit Alexander vj. qui inter veros Pontifices numeratur, de reliquo nil ad firmandam Ecclesiam in eo statutum est.

SIMO-



SIMONIS STAROVOLSCI.
CONCILIORVM OMNIVM
TAM GENERALIVM, QVAM PROVINCIALIVM
A temporibus Apostolorum, hactenus legitimè celebratorum
EPITOME.

LIBER I.



ECCLESIAE Concilia, ad suæ nauis reparationem, pro diuersorum temporum congruentia, Sancto afflante Spiritu condita, initium ab ipsis Apostolis sumpsere. Qui post ascensionem Domini, reuersi Hierosolymam à monte Olíueti, vt primum in cænaculo repleti sunt Spiritu Sancto, conuentionem cum Discipulis, ob Apostoli in locum Iudæ traditoris electionem, Diuo Petro vti principali præsidente, (Exindeque statim in morem, & legem abijt, vt Vicarij Christi, Petri successores, Concilia indicere, & confirmare soleant) celebrarunt; elegeruntque sorte Matthiam; & annumeratus est cum vndecim Apostolis Et quia ad electionem illius orantes accesserunt, ideo statutum est deinceps à Sanctis Patribus, vt omnis conuentio siue Concilium ab oratione inciperetur, & in oratione terminaretur.

Prima Synodus primitiuæ Ecclesiæ.

Actor. 1.

Secunda Apostolorum, & discipulorum Christi conuentio in Hierusalem, ante conuersionem Pauli, septem Diaconos, per orationem, & manus impositionem ordinauit. Vt habetur Actor. 6 Et hoc quidem primo anno post Spiritus Sancti aduentum.

Secunda Synodus Apostolorum.

Tertia Apostolorum conuentio, habetur Actor 15. quæ ibidem celebrata fuit in Hierusalem, anno post Resurrectionem Christi Domini decimoquarto. Vbi determinatum est ne conuersi ex Gentibus circumciderentur, sed vt abstineant ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

Tertia Synodus.

Quarta primitiuæ Ecclesiæ congregatio, describitur Actor. vigesimo primo: in qua permissum est conuersis Iudæis vti cæremonijs, & sacrificijs veteris Testamenti ad tempus, donec Synagoga cum honore sepeliretur; dummodò spem salutis suæ in illis non collocarent. Sed modo destructo templo, sepulta Synagoga, & vbique diuulgato Euangelio, nequaquam vti legalibus licet. Moralia attamen præcepta, & omnia quæ in lege Moysis ad bonos mores, & virtutes directè, & immediatè pertinent, vsque hodie vniuersos Christianos obligant.

Quarta Synodus Apostolor. in qua & Symbolum Fidei cõpositum, & Canones doctrinæ Christianæ constituti.

Post hæc autem quatuor Concilia Apostolorum, persecutione in fideles passim seuiente, docendarum plebium minimè dabatur facultas; ea propter Christianitas in diuersas hæreses scissa fuit, quia non erat licentia Episcopis in vnum conuenire, nisi temporibus Constantini Imperatoris, qui dederat facultatem Christianis liberè congregari.

Interim tamen viri Apostolici, & præcipuè qui Sedem Romanam post Beatum Petrum gubernabant, plurima quæ ad Ecclesiæ regimen spectare putarunt, Spiritu Sancto afflati, magno cum Ecclesiæ emolumento gesserunt constituerunt scripserunt, vt Clemens Romanus, Anaclitus, Euaristus, & alij vsque ad Syluestrum Papam, sub quo prima Oecumenica

Romani Pontifices Petri successores statim à temporibus Apostolorum vniuersam Ecclesiam Christi gubernarũt

ca Nicæna Synodus peracta est. Sed præcipuè inter præstantissimos Orthodoxæ fidei thesauros. Libros Clementis de Constitutionibus, & doctrina Apostolorum, Magnus Athanasius laudat, ac proximo loco post Canonicos libros, ab Ecclesia ætatis suæ approbatos fuisse dicit: quos ille vt Apostolorum auditor, & discipulus Petri & Pauli, ad vtilitatem omnium Ecclesiarum memoriæ prodidit, & conscripsit: Prout & Canones Apostolorum vulgauit, in Cōcilio Hierosolymitano statutos; quos hic venerationis ergo præfigere libuit.

Pro Canonum Apostolor. defensione luculentum librum edidit Fran. Turrianus Soc Iesu.

CANONES APOSTOLORVM

Iuxta veterem editionem Dionysij Exigui.

Canones hos auctoritate Apostolorum conditos S. Clemens. Græce conscripsit, Dionysius autē Romanus Abbas, cognomento Exiguus tempore Iustini Imperatoris Latinè trā stulit,

Quorum 50. Patrū omnium consensu velut authentici recipiuntur.

Cap. 3. dist. 16. Reliqui posteriores à Gelasio Pontifice Can. Sancta dist: 13, inter apocrypha recensentur.

CANON I.

De ordinatione Episcopi.

Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur.

CANON II.

De ordinatione Presbyterorum, Diaconorum, & cæterorum.

Presbyter ab vno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.

CANON III.

Nil aliud in sacrificio præter quod Dominus instituit, offerendum:

Si quis Episcopus aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super altare; id est, aut mel, aut lac, aut pro Vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.

CANON IV.

Quæ species ad altare, non ad sacrificium, sed ad benedictionem simplicem debeant exhiberi.

Offerre non licet aliquid ad altare præter nouas spicas, & vuas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id est, incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.

CANON V.

Quæ in Ecclesijs offerri non possunt, ad domos Sacerdotum à fidelibus deferantur.

Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Episcopo, & Presbyteris dirigantur, non offerantur in altari. Certum est autem, quòd Episcopus & Presbyteri diuidunt & Diaconis, & reliquis Clericis.

CANON VI.

Episcopus aut Presbyter vxorem suam non abijciat.

Hoc Canone nō præcipitur copula coniugalis aut liberorum procreatio, sed vt ij, qui ante sui ordinationem vxores suas reliquerūt, ipsis consentientibus, curam habeant illarū, deq; omnibus ipsis ad vitam honeste degendam prouideant.

Episcopus, aut Presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat: si verò reiecerit, excommunicetur; sed si perseuerauerit, deijciatur.

CANON VII.

Sacerdotes, & ministri Altaris sæcularibus curis abstineant.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, nequaquam sæculares curas adsumat: sin aliter, deijciatur.

CANON VIII.

Quo tempore Pascha celebretur.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum Paschæ diem ante vernale Æquinoctium cum Iudæis celebrauerit, abijciatur.

CANON IX.

Ministri Altaris oblatione celebrata communicari debent.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicauerit; aut causam dicat, vt si rationabilis fuerit, veniam consequatur: aut si non dixerit, communione priuetur, tamquam qui populo causa læsionis extiterit, dans suspicionem de eo qui sacrificauit, quòd rectè non obtulerit.

CA-

CANON X.

Fideles Laici ingredientes Ecclesiam, communicare debent.

Omnes fideles qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt, non autem perseuerant in oratione nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari.

Non damnātur hic qui singulis diebus audientes sacrum missæ officium non communicant, sed illi qui statutis ab Ecclesia temporibus; puta circa festum Paschatis vel contemnunt sacram synaxim, vel ob aliquā superstitionem abstinent à communione.

CANON XI.

Cum excommunicatis non est orandum.

Si quis cum excommunicato, saltem in domo, simul orauerit, iste communione priuetur:

Non licet horas Canonicas neque alias preces cum excommunicato recitare. Nec sermones communes miscere, aut cibum simul capere.

CANON XII.

Cum damnatis Clericis non est orandum.

Si quis cum damnato Clerico, veluti cum Clerico, simul orauerit, iste damnetur.

CANON XIII.

Nullus fidelium præter commendatitias suscipiatur epistolas.

Si quis Clericus aut Laicus à communione suspensus, seu communicans, ad aliam properet ciuitatem, & suscipiatur preter commendatitias literas: & qui susceperunt, & qui susceptus est, communione priuentur. Excommunicato verò protelетur ipsa correptio, tamquam qui mentitus sit, & Ecclesiam Dei seduxerit.

CANON XIV.

Ab Episcopis aliena Parochia minimè peruadatur.

Episcopo non licete alienam parochiam, propria relicta, peruadere, licet cogatur à plurimis. Nisi fortè quis cum rationabili causa compellatur, tamquam qui possit ibidem constitutis plus lucrifacere, & in causa religionis aliquid profectus prospicere. Et hoc non à semetipso pertentet, sed multorum Episcoporum iudicio, & maxima supplicatione perficiat.

Non de his dicitur hoc Canone qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut auctoritate maiorum hoc agunt, sed de illis qui auaritiæ aut ambitionis causa alienam Diœcesim inuadunt, vt melius elucidatū est in Concilio Carthaginensi. I. cui interfuit D. Augustinus.

CANON XV.

Clerici proprias Ecclesias non relinquant.

Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam parochiam, pergat ad alienam, & omnino demigrans preter Episcopi sui conscientiam, in aliena parochia commoretur, hunc vlterius ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo, redire contempserit, in sua inquietudine perseuerans. Verumtamen tamquam Laicus ibi communicet.

Idē omnino statuit Concil Nicenum I: Can. 15, & Concilium Aquisgranense, Laodicenum, & alia.

CANON XVI.

Episcopus Clericos alterius suscipiens, communione priuatur.

Episcopus verò, apud quem moratos esse constiterit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans, tamquam Clericos fortè susceperit, velut magister inquietudinis communione priuetur.

Hoc ipsum docet Cōcil. Chalcedonēse IV & Carthaginense I Taletanū II, & alia.

CANON XVII.

Bigami non admittantur ad Clerum.

Si quis post Baptisma secundis fuerit nuptijs copulatus, aut cōcubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.

Nō damnantur hic nuptiæ secundæ tanquā illicitæ, sed auctoritate Apostolica statuitur ne quis duas simul, aut successiue vxores carnaliter cognoscens admittatur ad Ordines sacros, nisi cū dispensatione Sedis Apostolicæ prout tot Concilijs comprobatum est. Similiter nec concubinarius infamis.

CANON XVIII.

Viduam, vel eiectam, vel meretricem accipiens, non admittitur ad Clerum.

Si quis viduam, aut eiectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de ijs quæ publicis spectaculis mancipantur, non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero qui ministerio sacro deseruiunt.

CANON XIX.

Duas sorores habens, non admittatur ad Clerum.

Qui duas in coniugium sorores acceperit, vel filiam fratris Clericus esse non poterit.

Si quis ex pietate iubet, miserabilem personam iuuare cupiens, non peccat, sed meretur. Panor. cap. 1. Gomesius t. 2. Variarum resolut. c. 13. n. 18. Vide Baron: de hac re sub Anno Christi 208.

CANON XX.

Clericus fideiussor esse non potest.

Clericus fideiussionibus inseruiens, abijciatur.

CANON XXI.

Qui non sponte eunuchizati sunt, suscipiantur ad Clerum.

Eunuchus, si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione eius sunt amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, efficiatur Episcopus.

CANON XXII.

Qui se eunuchizauit Clericus non fiat.

Si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputauit sibi virilia, non fiat Clericus, quia sui ipsius homicida est, & Dei conditionis inimicus.

CANON XXIII.

Clericus qui se eunuchizauit, eijciatur a Clero.

Si quis cum Clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur, quia suus est homicida.

CANON XXIV.

Laicus qui se eunuchizauit, tribus annis communione priuetur.

Laicus semetipsum abscindens, annis tribus communione priuetur, quia suæ vitæ insidiator extitit.

Hunc Canonem allegat Gratian; Dist: 81. cap. Presbyter & c. Si quis. & c. Quidam Totq; Concilia diuersa comprobarunt, sed vltimatè Toletanū IV sub Honorio I. Can. 42.

CANON XXV.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, si pro criminibus damnati fuerint, minimè communione priuentur.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, ac furto captus est, deponatur, non tamen communione priuetur. Dicit enim scriptura: non vindicabit Dominus bis in idipsum.

CANON XXVI.

Similiter, & reliqui ministri Ecclesiæ.

Similiter, & reliqui Clerici huic conditioni subiaceant.

CANON XXVII.

Qui Clerici debeant coniugibus copulari.

Innuptis autem qui ad Clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant: sed Lectores, Cantoresque tantummodo.

CANON XXVIII.

Episcopus, Presbyter, & Diaconus, fideles peccantes verberare non debeant.

Dist: 45. c. Episcopi.

Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, percutientem fideles delinquentes, aut infideles iniquè agentes, & per huiusmodi volentes timeri, deijci ab officio suo præcipimus, quia nusquam nos ad hoc Dominus docuit. E contrario verò ipse cum percuteretur, non repercutiebat: cum malediceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur.

CANON XXIX.

Officium pristinum damnati vsurpare non debent.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus depositus iustè super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia penitùs abscindatur.

CANON XXX.

Non debent officia Ecclesiastica pecunia obtineri.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuit dignitatem, deijciatur & ipse, & Ordinator eius, & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus à Petro.

CANON XXXI.

Ecclesia sæculari potentia non peruadatur.

Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus vsus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregentur omnes qui illi communicant.

CANON XXXII.

Presbyter contempto Episcopo, seorsum conuentus congregare non tentet.

Si quis Presbyter coutemnens Episcopum suum, seorsum collegerit, & altare aliud erexerit, nihil habens quo reprehendat Episcopum in causa pietatis, & iustitiæ, deponatur, quasi Principatus amator existens; est enim tyrannus: & cæteri Clerici quicumque tali consentiunt, deponantur: Laici verò segregentur. Hæc autem post vnam, secundam, & tertiam Episcopi obsecrationem fieri conueniat.

Hic Canon confirmatur in Concil. Nicœno 1. can. 5: & in Concil. Antioch. 1. cap. 13, & alijs compluribus.

CANON XXXIII.

Clerici damnati non debent ab alijs recipi.

Si quis Presbyter aut Diaconus ab Episcopo suo segregetur, hunc non licere ab alio recipi, sed ab ipsó qui eum sequestrauerat: nisi forsitan obierit Episcopus ipse, qui eum segregasse cognoscitur.

CANON XXXIV.

Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus sine commendatitijs suscipiatur epistolis.

Nullus Episcoporum peregrinorum, aut Presbyrerorum, aut Diaconorum, sine commendatitijs suscipiatur epistolis: cùm scripta detulerint, discutiantur attentiùs, & ità suscipiantur, si prædicatores veritatis extiterint. Sin minùs, nec quæ sint necessaria subministrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa proueniunt.

Eadem statuit Conc. Vormatien. can. 62. Elibertinum cap. 24 Et allegatur a Gratia dist. 98 cap. Omnes. Trideut. verò Conc. statuit sess. 23. c 16 vt nullus Clericus peregrinus sine commendatitijs sui Ordinarij litteris ab vllo Episcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur.

CANON XXXV.

De primatu Episcoporum.

Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius præter eius conscientiam gerant, quàm illa sola singuli, quæ parochiæ propriæ, & villis quæ sub ea sunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid: sic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto.

Idem dicit Concilium Antiochenum cap. 9.

CANON XXXVI.

Non liceat Episcopum in aliena prouincia Clericos ordinare.

Episcopum non audere extra terminos proprios Ordinationes facere in ciuitatibus, & villis, quæ illi nullo iure subiectæ sunt. Si verò conuictus fuerit hoc fecisse, præter eorum conscientiam, qui ciuitates, & villas detinent; & ipse deponatur, & qui ab illo sunt ordinati.

Hunc Canonem sequitur Synodus Nicœna Can, 6 item. que Ephesina Ancyrana Antiochena I. Sardinen. & Romana sub Siricio Is Totq; Pontifices sui Epistolis decretalibus eam comprobarunt.

CANON XXXVII.

De ordinatis Episcopis, nec receptis.

Si quis Episcopus non susceperit officium, & curam populi sibi commissam, hic communione priuetur, quoadusque consentiat, obedientiam commodans. similiter autem Presbyter. & Diaconus. Si verò non pro sua sententia, sed pro malitia populi; ipse quidem maneat Episcopus, Clerici verò ciuitatis communione priuentur, eo quòd eruditores in obedientis populi non fuerint.

CANON XXXVIII.

Bis in anno concilia celebrentur.

Bis in anno Episcoporum Concilia celebrenrur, vt inter se inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas contentiones amoueant, semel quidem quarta septimana Pentecostes; secundò verò duodecima die mensis Hyperethei. (id est Octobris.)

Concil. verò Toletanum III. statuit cap 18. vt si propter longitudinem itineris non potuerint bis in anno Concilia celebrari (puta Prouincialia) saltem semel celebrentur. Tridentinum autem Concil. quolibet triennio.

CANON XXXIX.

Episcopus solùm rerum Ecclesiasticarum curam habeat.

Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset: nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus proprijs, quæ Dei sunt, condonare: quòd si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, ne eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædentur.

CANON LX.

De dignitate Pontificis, & quod rerum suarum habeat potestatem.

Comprobarunt hoc suis rescriptis diuersi Pontifices & Cõcilia.

Presbyteri, & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent: nam Domini populus ipsi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem. Sint autem manifestæ res propriæ Episcopi (si tamen habet proprias:) & manifestæ Dominicæ, vt potestatem habeat de proprijs, moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere. Ne sub occasione Ecclesiasticarum rerum, quæ Episcopi esse probantur, intercidant; fortassis enim aut vxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut seruos. Et iustum est hoc apud Deum, & homines, vt nec Ecclesia detrimentum patiatur ignoratione rerum Pontificis, nec Episcopus vel eius propinqui, obtentu Ecclesiæ proscribantur, & in causas incidant qui ad eum pertinent, morsque eius iniurijs malæ famæ subiacea t.

CANON LXI.

Episcopus rerum Ecclesiasticarum pro dispensatione pauperum habeat potestatem.

Præcipimus, vt in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita vt potestate eius indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros, & Diaconos, & cum timore omnique solicitudine ministrentur. Ex ijs autem, quibus indiget (si tamen indiget) ad suas necessitates, & ad peregrinorum fratrum vsus ipse percipiat, vt nihil possit eis omnino deesse. Lex enim Dei præcipit, vt qui altari deseruiunt, de altari pascantur: quia nec miles stipendijs proprijs contra hostes arma sustulit.

CANON LXII.

Episcopus Presbyter, & Diaconus, aleator, & ebriosus esse non debet.

Citatur & renouatur hic Canon à Cõcilijs diuersis.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè deponatur.

CANON XLIII.

Clerici & laici si permanserint in alea, communione priuentur.

Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens; aut desinat, aut communione priuetur: similiter etiam laicus.

CANON XLIV.

Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, non debet vsuras accipere.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus vsuras à debitoribus exigens; aut desinat; aut certè damnetur.

CANON XLV.

Episcopus, Presbyter, aut Diaconus non debet cum hæreticis orare.

Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, qui cum hæreticis orauerit tantummodò communione priuetur: si verò tamquam Clericos hortatus eos fuerit agere, vel orare, damnetur.

CANON XLVI.

Baptisma hæretciorum non debent comprobari.

Si hæreticorum baptismus non ex forma confertur, qua confer Ecclesia, nullus sanè erit.

Episcopum, aut Presbyterum, hæreticorum suscipientem Baptisma, damnari præcipimus. Quæ enim conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?

CA-

CANON LXVII.

Ecclesiæ Baptismate baptizatus, denuò babtizari non debet: & non ita baptizatus, debet baptizari.

Episcopus, aut Presbyter, si eum, qui secundùm veritatem habuerit Baptisma, denuò baptizauerit: aut pollutum ab impijs non baptizauerit; deponatur tamquam deridens crucem, & mortem Domini, nec Sacerdotes a falsis sacerdotibus iure discernens.

CANON LXVIII.

Laicum pellentem suam coniugem, comunione priuandum.

Si quis laicus vxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimissam duxerit, communione priuetur.

CANON LXIX.

In nomine Trinitatis debet baptizari.

Si quis Episcopus, aut Presbyter iuxta præceptum Domini non baptizauerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; sed in tribus sine initio principijs, aut in tribus sine initio principijs, aut in tribus Filijs, aut in tribus, Paracletis, abijciatur.

CANON L.

Non vna, sed trina mersio. debet dari in baptismo.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, non trinam mersionem vnius misterij celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur, in Domini morte, deponatur. Non, enim dixit nobis Dominus, In morte mea baptizate; sed Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

CANON LI.

A nuptijs, carnibus, & vino abstinentes propter abominationem, damnantur.

Si quis Episcopus, Presbyter, vel omnino ex Sacerdotali numero, a nuptijs, carnibus & vino, non propter exercitationem, sed propter abominationem abstinet, oblitus, quòd omnia valdè bona, & quòd masculinum, & fæmininum fecit Deus hominem, sed blaphemans calumniatur opificium; vel corrigatur, vel deponatur, & ex Ecclesia deijciatur similiter & Laicus.

CANON LII.

Reuertentes ad pænitentiam, recipi debent.

Si quis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, eum qui à peccatis conuertitur, non recipit, sed eijcit, deponatur: quoniam Christum molestia afficit, qui dixit: Gaudium est in cælo propter vnum peccatorem pænitentiam agentem.

CANON LIII.

Ecclesiasticus non sumens carnem, & vinum in Festis, deponatur.

Si quis Episcopus Præsbyter, vel Diaconus in festis diebus carnem, & vinum non sumit, abhorrens, & non propter exercitationem deponatur: vt qui habeat iustum conscientiam propriam, & sit multis offensionis causa.

CANON LIV.

Clericus in caupona comedens, quando segregandus.

Si quis Clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur, præterquam si in publico diuersorio in via propter necessitatem diuerterit.

Hinc Sacerdoti nō permittitur habere doni sua canpona-riā tabernam, vt do cent Concilia. Quæ etiam cauent ne à potētibus sæculi Clerici conora Episcopos suos illo modo e rigantur.

CANON LV.

Clericus Episcopum contumelia afficiens deponatur.

Si quis Clericus Episcopum contumelia affecerit, deponatur: Principi enim populi non maledices.

CANON LVI.

Idem de Clerico erga Presbyterum, vel Diaconum.

Si quis Clericus Presbyterum, vel Diaconum iniuria affecerit, segregetur.

CA-

CANON LVII.

Clericus irridens claudum, surdum, vel cæcum, separetur.

Si quis Clericus claudum, vel surdum, vel eum cui vitiosus est incessus, irriserit, separetur; similiter & laicus.

CANON LVIII.

Episcopus vel Presbyter, Cleri vel populi curam non gerens, segregetur.

Episcopus vel Presbyter, qui Cleri, vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, segregetur: & si in socordia perseuerat, deponatur.

CANON LIX.

Episcopus vel Presbiter, Clericis egenis non præbens necessaria, puniatur.

Si quis Episcopus vel Presbyter, cum sit aliquis ex Clericis egenus, ea quæ sunt necessaria ei non suppeditat, segregetur: sin autem perseuerat, deponatur, vt qui fratrem suum interfecerit.

CANON LX.

Libros impiorum in Ecclesia publicans, deponatur.

De hac materia prolixius tractat. D. Clemens I. libro I. Constit. Apostolicarum cap. 6. & 7.

Si quis falsò inscriptos impiorum libros tamquam sanctos, in Ecclesia publicat ad populi, & Cleri perniciem, deponatur.

CANON LXI.

Conuictus de falsa accusatione, vel alicuius prohibitæ actionis, ad Clerum non proueha tur.

Si aduersus fidelem aliqua accusatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterij, vel alicuius alius prohibitæ actionis, & conuictus fuerit, ad Clerum ne proue hatur.

CANON LXII.

Clericus negans propter metum nomen Christi, eijciatur.

Si quis Clericus propter metum humanum, vel Iudæi, vel Græci, vel hæretici, negauerit, si quidem nomen Christi, eijciatur; si autem nomen Clerici, deponatur. Pænitentiam autem agens, vel laicus, recipiatur.

CANON LXIII.

Clericus in sæcris, comedens carnes in sanguine, vel morticinium deponatur.

Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Sacerdotali catalogo, comederit carnes in sanguine, animæ ipsorum, vel quid à feris captum, vel morticinium, deponatur; hoc enim Lex prohibuit: si autem sit laicus, segregetur.

CANON LXIV.

Ingrediens Iudæorum vel hæreticorum synagogam ad orandum, deponatur, & segregetur.

Si quis Clericus, vel laicus, in Iudæorum, vel hæreticorum synagogam ingressus sit ad orandum, deponatur, & segregetur.

CANON LXV.

Clericus in pugna occidens aliquem, deponatur.

Si quis Clericus in pugna pulsatum aliquem vno ictu occiderit, deponatur, propter suam procliuitatem, & temeritatem.

CANON LXVI.

Clericus ieiunans in die Dominico, vel Sabbato, deponatur.

Orientales die Sabbato non ieiunant. Occidentales vero à Iudæis Sabbato epulantibus differenter esse voluerunt esu lacticiniorũ tantũ.

Si quis Clericus inuentus fuerit die Dominico ieiunare vel Sabbato, præterquam vno solo, deponatur: sin autem laicus, segregetur.

CANON LXVII.

Deflorans virginem, segregetur.

Si quis virginem non desponsam, vi allatam habet, segregetur: ei autem aliam accipere non liceat, sed illam retinere quam elegit, etiamsi pauper sit.

CANON LXVIII.

Duas Ordinationes easdem accipiens, deponatur.

Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus secundam Ordinationem ab alio susceperit, deponatur & ipse, & qui ordinauit: nisi vtique constiterit, quòd ab hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati vel ordinari sunt, vt fideles vel Clerici sint, fieri non potest.

CANON LXIX.

Clericus Quadragesimam non ieiunans, deponatur.

Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam Paschæ Quadragesimam non ieiunant: vel quartum diem, vel Parasceuen, præterquam si per imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: si sit autem laicus, segregetur.

Modus obseruandi hoc ieiunium non omnium vnus & idem est. Sed quidā strictius & rigorosius ieiunant, quidam vero laxius, & quidam cum lacticinijs, manducāt

CANON LXX.

Clericus ieiunans, vel dies festos agens more Iudaico, deponatur; laicus verò segregetur.

Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo ieiunat cum Iudæis, vel cum ipsis festos dies agit, vel ab ipsis xenia accipit, vt verbi gratia, azyma, vel quid tale, deponatur: si verò sit laicus, segregetur.

CANON LXXI.

Christianus deferens oleum in templum Gentium, vel in Synagogam Iudæorum segregetur.

Si quis Christianus oleum deferat in templum Gentium, vel in Synagogam Iudæorum, in eorum Festis, vel lucernam accendat, segregetur.

CANON LXXII.

Si quis Clericus vel laicus à sancta Ecclesia ceram vel oleum auferat, segregetur.

CANON LXXIII.

Vasa sacra in vsum profanum non conuertantur.

Vas aureum vel argenteum, vel velum sanctificatum, nemo amplius in suum vsum conuertat: hoc enim fit, præter ius, & contra leges. Si quis autem deprehensus fuerit mulctetur.

CANON LXXIV.

Contra Episcopum accusatum quomodo procedendum.

Episcopum à viris fide dignis ob aliquid accusatum, ipsum ab Episcopis vocari necesse est: & si se quidem stiterit, & confessus vel conuictus sit, statuatur pœna. Si autem vocatus non paruerit, secundò etiam vocetur, missis ad ipsum Episcopis duobus. Si etiam sic non obedierit, vocetur & tertiò, duobus ad eum rursum missis Episcopis. Si autem vel sic aspernans, & contumax non stiterit, Synodus ea, quæ videntur aduersus eum pronuntiet, ne lucrifacere videatur, dum iudicium subterfugit.

CANON LXXV.

Ad idem.

In testimonium aduersus Episcopum hæreticus ne admittatur: sed nec vnus solus fidelis. In ore enim duorum vel trium testium, stabit omne verbum.

CANON LXXVI.

Episcopi successores consanguineos vel alios non eligant.

Quod non oportet Episcopum fratri, vel filio, vel alij cognato gratificantem, humana affectione ad Episcopatus dignitatem, quem vult, eligere. Episcopatus enim hæredes facere, iustum non est, ea quæ Dei sunt, largientem. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem electio maneat, ipse autem segregatione mulctetur.

Praxis huius temporis est vt omnes Episcopi à Summo Pontifice creentur.

CANON LXXVII.

De qualitate Episcopi eligendi quo ad corpus.

Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ inquinatio.

CANON LXXVIII.

Ad idem.

Qui autem est surdus, & cæcus, ne sit Episcopus: non vt pollutus, sed ne Ecclesiastica impediantur.

CANON LXXIX.

De qualitate Clerici promouendi.

Nunc arreptitij, qui à dæmone vexantur perpetuo irregulares sunt.

Si quis dæmonem habet, ne fiat Clericus, sed neque cum fidelibus precetur. Purgatus autem, recipiatur, & si sit dignus fiat.

CANON LXXX.

Ad idem.

Debent ante esse discipuli qui doctores esse desiderant vt possint docere quæ didicerunt Dist.59.

Eum qui ex vita gentili accesserit, & baptizatus fuerit, vel ex improba viuendi ratione non est æquum protinus Episcopum fieri. Iniquum est enim, vt qui sui nondum experientiam ostenderit, sit aliorum magister, nisi fortè hoc diuina gratia fiat.

CANON LXXXI.

Ad idem.

Diximus non oportere Episcopum, vel Presbyterum seipsum ad publicas administrationes demittere, sed in Ecclesiasticis negotijs versari. Vel ergo ita facere persuadeatur, vel deponatur.

CANON LXXXII.

Ad idem.

Seruos in Clerum prouehi sine voluntate dominorum, non permittimus, ad eorum qui possident, molestiam: domorum enim euersionem talia efficiunt. Si quando autem etiam dignus seruus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus sit, & domini concesserint, ac liberauerint. & ædibus miserint, fiat.

CANON LXXXIII.

Clericus Romanum magistratum & Sacerdotalem administrationem non exerceat.

Episcopus, vel Præsbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & vtraque obtinere volens, Romanum scilicet magistratum, & Sacerdotalem administrationem, deponatur: Quæ sunt enim Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

CANON LXXXIV.

Principes non sunt contumelia afficiendi.

Quisquis Regem vel Principem præter ius, contumelia affecerit, pænas luat: & si sit quidem Clericus, deponatur; si verò laicus segregetur.

CANON LXXXV.


De libris sacris.

Hic Canon apocryphus & subreptitius est à Conciliabulo Trullano editus vt notant Doctores Vide Baronium Anno Christi 102. & Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 20.

Sint vobis omnibus, Clericis & laicis libri venerandi & Sancti, veteris quidem Testamenti, Moysis quinque, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Iesu Naue vnus, Iudicum vnus, Ruth vnus, Regnorum quatuor, Paralipomenon, id est derelictorum, duo; Esdræ duo, Esther vnus, Machabæorum tres. Iob vnus, Psalterium vnus. Salomonis tres, Prouerbia, Ecclesiastes. Cantica canticorum Prophetarum 12. Isaiæ vnus, Ieremiæ vnus, Ezechielis vnus, Danielis vnus. Extrinsecus autem à vobis intelligatur, debere vestros adolescentes discere Sapientiam eruditissimi Syrach. Nostra autem, id est noui Testamenti, Euangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis; Pauli Epistolæ quatuordecim, Petri Apostoli duæ, Ioannis tres, Iacobi vna, Iudæ vna, Clementis Epistolæ duæ, & Ordinationes vobis Episcopis per me Clementem in octo libris editæ, quæ non sunt omnibus diuulgandæ, propter ea quæ sunt in eis mystica: & Actus nostri Apostolorum

CONCLVSIO CANONVM APOSTOLORVM.

Hæc verò de Regulis constituta vobis sint per nos, ò Episcopi: vos autem obtemperantes, saluabimini, & pacem habebitis. At si non parueritis, puniemini, & bellum mutuò perpetuum habebitis, pænam inobedientiæ congruam daturi, Deus porrò, qui solus est æternus ac vniuersorum creator, vos omnes in pace, in Spiritu sancto confortabit, & aptos reddet ad omne opus bonum, immutabiles irreprehensibiles, sine crimine, dignosque faciet vita æterna nobiscum, per intercessionem dilecti filij sui Iesu Christi, Dei & Saluatoris nostri, cum quo gloria sit ipsi supra omnia Deo i Patri, cum sancto Spiritu consolatore, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.



LIBER II



RINCEPS Apostolorum PETRVS Galilæus de Betsaida Primus Romanus Pontifex, sedit in Cathedra Episcopatus annis viginti quinque, temporibus Tiberij Cæsaris, & Caij, & Claudij, & Neronis. Cũ antea sedisset in Cathedra Antiochena annis septem, habuissetque ibi *Synodum Apostolorum*, in qua & nomen accepit religio Christiana, & mores fidelium certis legibus stabiliti sunt. Testatur Pamphylius Martyr in bibliotheca Origenis huius Synodus Canones repertos esse, qui sunt numero nouem.

Romana Ecclesia instituitur, Anno Christi 45.

Claudij Imp. an. 3. Synodus Antiochena & Canones in ea editi.

Primus est, vt credentes in Dominum Iesum, quos illius temporis homines (vt habent Acta Apostolorum cap. 11.) appellabant discipulos, Christiani dicerentur.

Secundus, ne baptizatus Iudaico more circumcideretur.

Tertius, vt omni nationi ad Ecclesiam aditus pateret, nec quisquam à Christiana religione excluderetur.

Quartus, de vitanda auaritia, & quæstubus iniquis.

Quintus, de vitio gulæ coercendo curiositateque ludorum, qui in theatris exhiberi solerent. vitanda; & de abstinendo à iuramento.

Sextus, de vitanda scurilitate, & moribus gentium.

Septimus, Abstinentiam sanguinis, & suffocati in Synodo Hierosolymitana præceptam, confirmat.

Octauus, de imaginibus sacris venerandis.

Nonus & vltimus, de non admittendo Iudæorum delectu ciborum.

Firmissimum testimonium huic Concilio Apostolorum Antiochiæ celebrato præbet Con: Nican. II. Act. I.

Scripsit B. Petrus in Cathedra Romana sedens duas epistolas, quæ Catholicæ, ac Canonicæ nominantur, quibus fidem, vitæ innocentiam, & charitatem omnibus Christianis commendat sanctissimè: ordinauitque duos Episcopos Linum, & Cletum, qui præsentialiter, omne ministerium sacerdotale in Vrbe Roma populo, vel ad se venientibus exhiberent: ipse autem prædicatione omnes erudiens orationi vacabat, multasque disputationes cum Simone Mago habuit, tam coram Nerone Imperatore, quam coram populo. Cumque diem vltimam imminere sibi præsagiret, beatum etiam Clementem Episcopum consecrauit, cui, & Cathedram, vel Ecclesiam omnem disponendam commisit, sed noluit acceptare, nisi post obitum Lini, & Cleti ne videretur ambire Prælationem. Beatus verò Petrus Martyrio coronatur die eodem cruci affixus, quo & Paulus capite truncatus est post passionem Domini Anno XXXVIII.

Vitam S. Petri, omniumq; aliorum Apostolorum scripsit S. Babilas Episcopus Babylonis, vnus è septuaginta Discipulis Domini.

Niceph. Callistus Hist: lib. 2. c. 37.

LINVS natione Italus de regione Tusciæ sedit post S. Petrum annos vndecim, menses 3. temporibus Neronis à consulatu Saturnini, & Scipionis, vsque ad Capitonem, & Rufum Consules. Hic constituit ex præcepto B. Petri, vt mulier velato capite in Ecclesiem introiret, Fecitque ordinationes duas, quibus creauit Episcopos XV. Præsbyteros 18. Martyrio pro Christi nomine coronatus, sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano sub die IX. Kalend. Octobris.

Anno Christi 70. Neronis 14. Hic Pontifex Petri Acta conscripsit & digladiationum eius cum Simone Mago vt refert Eusebius.

CLETVS natione Romanus, sedit annis 12. mense vno, temporibus Vespasiani & Titi. Hic ex præcepto B. Petri, 15. præsbyteros ordinauit in Vrbe Roma. Qui etiam sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano 6. Kalend. Maias, martyrio coronatus, vt Martyrologium Romanum attestatur.

Anno Domini 81. Vespasiani an. 10. Cum multi Doctores antiqui, tum Canon missæ attestatur Cletũ Lino successisse, huic deinceps Clementem.

CLE-

Anno Christi 93. Domitiani an. 10.

CLEMENS natione Romanus, Faustini filius, de *regione* Cœlij montis, discipulus beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, sedit annis 9. Hic septem Vrbis regiones, diuisit septem Notarijs, singula singulis attribuens, qui passiones Martyrum, & res ab eis gestas diligẽtissimè conquisitas litteris mandarent. Vetuit quoque ne laicus præsbyterium ingredi præsumat, quando Missa celebratur.

Summa librorum Clementis Romani, primi successoris Diui Petri: : qui libri separatim tam Græcè quam Latinè excussi passim reperiũtur.

Multa scripsit & ipse accuratè, & salutariter, quibus Christianam Religionem illustrauit, præcipuè libros de Constitutionibus, & doctrina Apostolorum, quorum hæc summa est.

Libro primo de disciplina ad laicos pertinente, ipsa doctrinæ ratione ita postulante, tractat, vt ab ignobiliore scilicet, & generaliore ac notiore ordine sæcularium, id est coniugalem exordium caperet, Paulum imitatus, qui in priore ad Corinthios Epistola, in illa mystica prosopopæia membrorum corporis Christi, quod est Ecclesia, eodem modo & ratione laicos ante ministros Ecclesiæ collocauit.

Libro secundo, de omni genere virtutum Episcopi differit, siue quæ in diiudicandis litibus & controuersijs fratrum, siue in iudicando & arguendo eos, qui deliquerunt, siue in admittendis pænitentibus, obuenire poterunt; siue in omni pastorali studio ouium ratione vtentium, tanquam in curatione quadam ægrotantium: siue in oblationibus tribuẽdis Episcopo, & reliquis Clericis siue in impartiendo egentibus ea, quæ Episcopo dantur; siue in celebrendo Ecclesiasticos conuentus ad sacrificia & orationem; Et vt omnia vno verbo complectar, de omnibus ijs rebus tractat, quæ vt Apostulus ait, honestè, & secundùm ordinem in Ecclesia ab Episcopo fieri oportet.

Tertio libro de viduis, quales esse debeant, & quomodo eis ab Episcopo subueniendum, quodue munus earum, ex doctrina Apostolorum scribit.

Quarto de Orphanis, quatenus scilicet hos etiam, prout & viduas, oportet ijs bonis ali, quæ Episcopis, Presbyteris, & Diaconis tribuuntur: sicut in lege veteri, Leuitis eorumq; Vxoribus, & filijs, de hostijs & donis oblatis impertiebatur, Viduas enim & Orphanos, ac Virgines, omnesq; egentes, tamquam filios ac filias sacerdotum, participandis primitijs & decimis, alijsq; oblationibus sacris ab ipsis Episcopis & Presbyteris, seu à parentibus procurari oportet.

Quinto traditur doctrina de Martyribus, qui pro Christi nomine, patiuntur se diripi, vexari, in carceres, & custodiam tradi. His itaque tanquam verè orphanis, & omni ope humana priuatis, ante cæteros omnes egentes & calamitosos, omnibus modis, etiam periculo mortis impendente, succurrendum docet. Et quia nihil prodesset martyrem fieri, mortem pro Christo subeundo, nisi futura esset ressurrectio, sicut Apostolus ait, si secundùm hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Ob hanc causam de resurrectione postea in eodem libro docetur, & de passione ac morte Christi, qui est caput Martyrum, & primitiæ resurgentium,

Sexto quia Martyres propter confessionem fidei, quam hæretici oppugnant, cruciantur, valdè appositè post Martyres, de schismatibus, & hæresibus, & de Apostolica prædicatione, dogmata Catholica profert.

Septimo, de vita Christiana & gratiarum actione, & de Catechesi ante baptismum, in persona Apostolorum docet.

Canones Apostolorum per diuum Clementem promulgati

Octauo, eodemq; extremo præmissa omni vitæ Christianæ disciplina, quæ septem superioribus libris tradebatur, seu vincula quædam Canones dispositi, & collocati sunt: Ac primum de ordinatione Episcopi, qui est Princeps minister sanctæ Eucharistiæ conficiendæ, participandæ, & alijs distribuendæ; tum de mystico cultu magni Sacramenti Sanctæ Eucharistiæ, de sacrificio inquam Missæ, quæ vsque in hodiernum diem vsu Ecclesiastico, sicut à Sanctis Apostolis traditum est, celebratur; cuius descriptio summatim ac typo quodam in hoc libro delineata est.

Decreta & Epistola Diui Clementis Romani.

Extant eiusdem Sancti Pontificis Epistolæ quinque decretales; duæ ad Iacobum fratrem Domini Hyerosolimam scriptæ; tertia ad omnes Episcopos Orbis. Quarta ad Iulium & Iulianum discipulos suos, qui malorum hominum persuasionibus aliquatenùs deuiarant Quinta ad discipulos & condiscipulos suos Hierosolymis cum Iacobo fratre Domini habitantes, de communi vita & reliquis causis.

Franciscus Turrianus S.I quinque libris Epistolas Pontificum Decretales solidissime defendit à Calumnia Magdeburgensium.

Meminit adhuc vnius Epistolæ Eusebius lib. 3. Eccl. Hist. cap. 32. sub Romanæ Ecclesiæ persona, ad Corinthiorum Ecclesiam directæ, quæ non extat, quam ille omnium consensu approbatam fuisse dicit, & Epistolæ B. Pauli ad Hæbreos simillimam; ex quâ Diuus quoque Hieronymus in Cathalogo & Commentarijs quædam pauca citat. Obijt Martyr anno Traiani tertio. Et cessauit Episcopatus vt vult Baronius Menses 4. dies 10. quia breui temporis spatio, vt dicit liber Damasi non poterat Romæ nunciari martyrium illius in Taurica Chersoneso peractum. Huic Pontifici quidam Confirmationem Puerorum attribuunt: quia statim pueris iussit presbyteros post Baptisma manus imponere.

ANA-

ANACLETVS Natione Græcus, ex patre Antiocho, sedit annos 9. Menses tres, dies decem, temporibus Domitiani Imperatoris. Hic memoriam B. Petri construxit, hoc est, quandam ædificij structuram quæ postea in Ecclesiam fuit consecrata; vbi & ipse sepultus est in pace, iuxta corpus D. Petri, tertio Idus Iulij. Decreta illius tribus Epistolis omni sapientia plenis continentur, de ordinationibus Episcoporum, & omnium Clericorum; de accusationibus eorum; deque Ordine, primatu, ac prærogatiuis Ecclesiasticarum personarum. Tnm quo loco,& quibus testibus sit sacrtficandum

Anno Domini 104. Traiani an, 4. Huius Pontificis Epistolis docetur sedē Romanam supremū Ius in Ecclesia habere, à quo nulla cōceditur appellatio, vt Cōcilia Occumenica approbarunt.

EVARISTVS Natione Græcus, ex patre Iudæo, nomine Iuda, de ciuitate Betleem, sedit annos 9. Menses 10. temporibus Domitiani, & Neruæ Traiani, Martyrio coronatur. Hic titulos in Vrbe Roma diuisit presbyteris, & septem diaconos ordinauit, qui custodirent Episcopum prædicantem, propter stylum veritatis. Fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, & creauit presbyteros 6. Episcopos per diuersa loca 5. Qui etiam sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano sexto Kal. Nouembr. Extant decreta illius, & Epistolæ duæ; vna ad Episcopos Aphricanos de legitimo coniugio fidelium: altera ad cunctos fideles in Aegypto habitantes, qua docet Episcopum esse sponsum Ecclesiæ, quam nullatenus relinquere debet, ambitus præsertim causa, vt ditiori ampliorique coniugatur. Creauit Præsbyteros 17. Diaconos 2. Episcopos 15.

Anno Domini 112 Traiani 13. quintus post B. Petrum Pontifex Enaristus. decreuit, ne Esclesia consecraretur sine Missa.

ALEXANDER Natione Romanus, semel tantum in die sacrificandum censuit: panem azymum non fermentatum in Eucharistia sumi præcepit: aquam vino in altaris Sacramento admisceri iussit: aquam lustralem pro fugandis dæmonibus in templo, domique seruandam instituit. Sedit annis 10. mensibus 5. martyrio coronatus cum Euentio & Theodulo presbyteris sub Traiano Imperatore. Extant eius Epistolæ tres ad omnes ortodoxos valdè eruditæ, & decreta plurima, vbi & de fide sanctæ Trinitatis docet, congestis multis testimoniis veteris Testamenti. Idem in Missæ Canone adiecit ob passionis Christi memoriam. Qui pridie quam pateretur &c. vsque ad hæc verba. Hoc est corpus meum. Polyd. de Inuent. lib. 5. cap. 10.

Anno Domini 112 Hadriani Imp. 2.

SIXTVS I. Natione Romanus constituit duabus Epistolis suis, ne vasa sacrata tangerentur, nisi à ministris sacratis. Et vt populus hymnum decantaret Sanctus Sanctus &c. sacerdote Missarum actionem incipiente. Præcipuè autem vt omnes Christi fideles, vitando hæresim Valentinianorum (quæ postea valdè inualuerat sub Thelesphoro eius successore) rectè de sanctissima Trinitate crederent. Et Episcopi à Præsule Romano vocati, non reciperentnr à suis, nisi litteras secum ferrent salutationis à Sede Apostolica, sedit annos 10. Menses 3. temporibus Adriani Martyrio coronatus, sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano 8. Idus Aprilis.

Anno Domini 132 Hadriani Imp. āno 13.

THELESTPHORVS Natione Græcus, ex Anachoreta Papa, sedit annos vndecim, Menses 3. qui Epistola sua decretali ad omnes vniuersaliter data, statuit vt septem hebdomadas ante Pascha ieiunium celebraretur prout Apostoli tradiderunt, Vt nocte Natiuitatis Dominicæ Missas ter celebrent, & hymnum Angelicum in eis solenniter decantent. Martyrio coronatur temporibus Antonini, & Marci, & sepultus iuxta corpus B. Petri in Vaticano Nonis Ianuarij.

Anno Domini 142 Antonini 3. Ieiunium Quadragesimale institutum

HYGINVS Papa itidem natione Græcus, Chrisma instituit, compatres ad baptismum inuenit, templa solennibus cæremonijs dedicari voluit, clerum composuit, & distribuit gradus; Duas Epistolas scripsit eruditas: vnam ad omnes Christi fideles, de fide Trinitatis, in qua de æqualitate personarum in diuinis multa congerit testimonia. Alteram ad Athenienses paroeneticam, vt in sanctitate persistant. Sedit annos 4. Menses 3. Martyrio coronatur sub Antonino Imp. 11. Ianuarij.

Anno Domini 154. Antonini Pij 15. Decreta Hygini Atheniēsis Philosophi.

D PIVS

Anno Domini 158. Antonini Pij 19. Huius Pontificis frater nomine Hermes scripsit librum cui titulum dedit Pastor in quo refert quod ei praeceperit Angelus Domini, habitu pastoris ad eum veniens, vt Pascha die Dominico celebraretur. Duæ aliæ Epistolæ Pij Pontificis directæ ad Iustum Episcopum Viennensem paucos ante annos prodierunt ex archiuo Ecclesiæ Viennensis.

PIVS Aquiliensis, Anno Domini 158. statuit ne Virgines consecrentur ante annum vigesimum quintum, idque certis festiuitatibus: ne panis consecratus, terram, lignum, aut linteum prophanum attingeret: ne Pascha celebretur nisi die Dominico. Idem peierare compellentem, & compulsum suis Decretalibus Epistolis periurio subijcit; quarum prima ad vniuersos Christi fideles est directa: altera ad Italos tantùm, quæ docet ea quæ diuinis sunt assignata vsibus, ad humanos vsus sine sacrilegio non posse transferri: eosque qui per caput Dei, aut capillum iurauerint, absque blasphemia non esse. Idem decreuit de consuetudine seruanda, quæ non est contra fidem. De pænitentia eius, cuius negligentia de sanguine Domini aliquid stillat. De oblationibus populorum. De illo, qui vxorem legitimam sine iudicio interfecerit. Ac de illis qui à Dæmonibus eliduntur, ne sacris altaribus ministrent.

Anno Domini 167. Marci Aurelij Et L Veri Imp. anno 5.

ANICETVS Natione Syrus, constituit vt Clericus comam non nutriret, secundum præceptum Apostoli, & vt Episcopus à tribus Episcopis sacraretur. Archiepiscopus verò ab omnibus Episcopis suffraganeis ordinaretur: de quo extat Epistola illius ad Galliæ Episcopos directa. Obijt Martyr, & sepultus est in Cœmeterio Calixti via Appia, decimoquinto Kalendas Maias.

Anno Domini 175 M. Aurelij 13. Hic vndecimus Pontifex fuit, in Vrbe Roma.

SOTER Natione Campanus, ex Fundis, sedit annos 9, menses 7. Hic constituit, vt nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia. Nuptias quoque palam, & in celebritate fieri, & benedici mandauit. Huius Pontificis temporibus Cataphrygarum hæresis orta est, quare primam Epistolam dirigit ad Campaniæ Episcopos de fide: in qua docetur, quod Christus in diuinis scripturis dicitur secundum carnem factus; nam secundum diuinitatem nusquam à Patre dicitur factus, sed genitus. Secunda verò Epistola ad Episcopos Italiæ præfata decreta statuit, mandatque serio, vt a nullis in cœna Domini perceptio Eucharistiæ negligatur; exceptis his, quibus pro grauibus criminibus inhibetur.

Anno Domini 179. M. Aurelij 18. Huius tempore Marcionis secta variè discissa est.

ELEVTHERIVS Natione Græcus, Nicopolitanus, sedit annos 15. & menses tres, temporibus Antonini Commodi, cuius Epistola Decretalis ad Galliæ prouincias hæc tria in se continet. De escis irrationabiliter non vitandis. De accusationibus Episcoporum, & omnium Clericorum: & de accusationibus omnium comprouincialium. Hoc est, ne quis Christianus Seuerianorum stulta hæresi infectus, aliquem cibum, quo vescerentur homines, superstitionis causa, abominaretur. Ne quis priuaretur sacerdotio, nisi accusatus, & criminis conuictus. Et ne reo absente secundum accusatorem vllum fieret decretum. Lucius Britanniæ Rex gentilis petijt ab isto Pontifice sacris Christianis initiari, & duos quasi Apostolos à Pontifice missos, Donatianum nimirum & Fugatium, qui populum in fide & moribus instruerent, impetrauit.

Anno Domini 194. Commodi Imp. an. 12. Quo tempore Pacis templum incendio consumptũ est, quod vnum scilicet opus cunctorum tota Vrbe maximum fuit atque pulcherrimum idem templorum omnium opulentissimum egregieq; munitum, multaq; ornatum auro & argento; Quippe vniuersi fermè suas il-

VICTOR Natione Afer, ex patre Felice, sedit annos 10. Menses 2. dies 10. Fuit autem temporibus Aelij Pertinacis, & Seueri Hic constituit vt sanctum Pascha die Dominico celebraretur, sicut Pius ante eum ordinauerat. Item constituit vt omnibus indifferenter baptisma adhiberetur, siue in flumine, siue in mari, siue in fonte, si necessitas id requireret, aut mortis periculum ingrueret. Et quia passim controuersiæ tunc exoriebantur inter Orientis Ecclesias de obseruatione Paschasis, dissentientibus inter sese viris vndique doctissimis, idcirco hac de re aliquot conuentus diuersis in prouincijs celebrati fuerunt.

Primum Concilium habitum est Romæ Anno Domini 198. cui ipse Victor Pontifex præfuit, accersito Theophilo Cæsareæ Palestinæ Metropolitano. Decretumq; est Pascha non

14. Luna primi mensis, sed potius die Dominico post 14. Lunam & Vernale Aequinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse. Euseb. lib. 5. Hist. c. 22.

luc diuitias quasi in thesaurum congerebant, & ideo communem quidem iacturam publicè omnes, suam autem quisque deplorabāt, quod ex opulentis facti essent egeni.

Secundum Concilium Anno eodem Christi nati & Seueri Imperatoris, auctoritate Victoris Romani Pontificis, *Cæsareæ in Palestina*, Theophilus ex Vrbe rediens, tanquam Metropolitanus coegit, & idem quod & Romæ cum Victore Pontifice de tempore Paschatis constituit, suis Suffraganeis vicinisq; Episcopis declarauit.

Tertium Concilium Pontificum à Palma congregatum idem quod & præcedētia de Paschatis obseruatione definiuit.

Quartum Gallicum, propter eandem controuersiam ab Iræneo authoritate Victoris cōgregatum & approbatum.

Quintum Osroenum in Achaia.

Sextum Corinthiacum à Bachylli conuocatum, in quibus vno consensu, iudicioq; vno, eandem de obseruatione Paschatis, Patres congregati tulere sententiam.

Septimum Concilium anno eodem in Asia celebratum, conuocatis per Polycratem Ephesinum Episcopum circumuicinis Patribus, in quo putantes se Euangelio & maiorum traditionibus inhærere à consuetudine celebrandi Pascha die 14 primi mensis, etiamsi in Dominicum, non incideret, recedendum non esse constituerunt, idq; per Polycratem Victori Papæ rescripserunt. Victor responso accepto, Concilium reprobauit, & contra pertinaces, quam excommunicationis sententiam diu minatus fuerat, exsecutus est. Hanc Victoris sententiam contra Orientales, postea Patres Nicæni Concilij confirmarunt.

Quartadecimani excommunicantur à Victore Papa, similiter Montanistæ & Nouatiani.

Statuit quoque idem Pontifex, vt illis qui Eucharistiam sumerent, nec odium in proximum remitterent, sacris interdiceretur.

ZEPHYRINVS Papa, ex patre Habundio Romano temporibus Antonini, & Seueri Imp. sedit annis 9. Quem Baronius ostendit sedisse annos 18. Et scripsit vnam Epistolam ad Episcopos Siciliæ, de iudicijs Episcoporum, & maioribus Ecclesiæ causis apud sedem Apostolicam terminandis, sicut Apostoli, & sancti successores eorum statuerunt. Alteram, ad Episcopos Aegypti, hortans eos ad patientiam in persecutione, quod sedibus suis pellerentur, & rebus omnibus spoliarentur.

Anno Domini 204. Seueri Imp. 9.
Hoc Papa sedente immanis persecutio toto Orbe edicto Seueri in Christianos exorta erat, adeo, vt Antichristi putarentur adesse tēpora.

Hic vitreum calicem, cum prius ligneus esset, ob materiæ soliditatem ad sacrificia instituit. Sacerdotes præsentibus Clericis & laicis ordinari iussit. Et omnes Christianos pubertatis annos egressos, ad minimum semel in anno (vtpote Paschali solennitate) Eucharistiam sumere præcepit. Idem appellationem omnibus ad Romanam Ecclesiam a suo Metropolitano concessit. Causa 2. 9. 5. ad Romanam. Et Episcopum accusatum a duodecim iudicibus audiri oportere statuit; nec tamen iudicij sententiam promulgandam esse, antequam consulatur Romanus Episcopus. Ibid. tom. 2. Concil. in Zephir. Caus. 5. quæst. 4. Duodecim Martyrē obijsse Martyrologium refert, fortasse ex ea causa, quod Elegabalo Christianorum religionem, sub cultu Dei sui referre volenti, contradixerit. Qui sepultus est in cœmeterio suo, non longè a cœmeterio Calixti, via Appia, Septimo Kalend. Septembr. cum quatuor ordinationibus per mensem Decembrem, presbyteros creasset 13. diaconos 7. Episcopos per diuersa loca 13.

Origenes his temporibus floruit & Romanam Ecclesiam, quod sibi admodum erat in optatis visitauit.
Isdem temporibus Caius insignis Theologus Romæ floruit

Concilium Africanum eius temporibus celebrauit Agrippinus, Carthaginensis Ecclesiæ Episcopus, conuocatis Numidiæ & Africæ Episcopis, de iterando baptismate hæreticorum quæstione proposita, ex occasione Tertulliani, qui prætextu pietatis, omnia hæreticorum ab Ecclesia reijcienda ac depellenda esse dicebat, vt nec baptismum cum eis communem habendum esse putaret. Quapropter omnibus in ea Synodo Episcopis communi sententia affirmantibus, baptizatos à ministris hæreticis in Ecclesiam Catholicam recipiendos non esse, nisi illud ipsum sacrum lauacrum per ministerium Catholicorum iteratum denuò susciperent Zephyrinus Papa omnino improbauit, quod contra Apostolicam Ecclesiæ Catholicæ trrditionem id fieri videret.

Diuus Cyprianus Epist. 71. ad Quintum operte testatur se quoque eiusdem sententiæ cum Agripino fuisse; promptū tamen esse mutare animū, si aliter hac de re Concilium vniuersale quid statuisset.

CALIXTVS Natione Romanus, temporibus Macrini, & Heliogabali Cathedram B. Petri conscendit, Anno 221. Cumque sedisset annos sex, martyrio coronatus, sepultus est cœmeterio Calepodij, via Aurelia, milliario tertio, pridie Idus mensis Octob. Hic fecit Ecclesiam Sanctæ Mariæ trans Tiberim, & aliud cœmeterium via Appia, vbi multi sacerdo-

Anno Domini 221. Heliogabali 2.
Hoc Pontifice sedente Alexander Seuerus Mameæ filius Imper. optimus Christo templum statue-

re, eumq; inter deos referre voluit: sed probibitus est ab ijs qui consulentes sacra repererunt omnes Christianos futuros si id fecisset.

cerdotes, & Martyres requiescunt, quod appellatur vsque in hodiernum diem Cœmeterium Calixti. Hic prima epistola ad Benedictum Episcopum constituit ieiunium quatuor temporum. Secunda ad Episcopos Galliæ, prohibet matrimonia inter consanguineos. Vetat cum excommunicatis commertia habere. Et qui negarent Sacerdotibus post crimen admissum patere ad dignitatem reditum, eos hæreticos esse iudicat. Idem viritus carere sententiam excommunicationis iniustè prolatam concludit. Cauf.II.quæst.3.Iniustum. Fecit ordinationes quinque per Mensem Decembrem. Presbyteros 16. Diaconos 4. Episcopos per loca diuersa 8.

Anno 217. Alexandri 4. Episcopi debent prouetus Ecclesiarum suarum dispensare in egenos, quia communes sunt, non proprij illorum, ne sacrilegij reatum incurrant.

VRBANVS

Primus, decimus septimus Pontifex Romanus, sedit annos sex, vt vult Baronius. Hic Ecclesiæ vasa aurea, & argentea (cum prius lignea aut vitrea fuissent) esse voluit. Fundos, & agros à fidelibus Ecclesiæ oblatos, accipiendos, nec in alios quam sacros vsus vsurpandos statuit, de quo extat epistola eius Decretalis elegantissima. Confirmationis etiam Sacramentum fidelibus diligentissimè commendans: omnes siquidem fideles, per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.

Hic Pontifex multos conuertit ad baptismum, & credulitatem, Tiburtium, etiam, & Valerianum nobilissimum virum, sponsum Sanctæ Cæciliæ, quos etiam vsque ad martyrij palmam perduxit. Et per eius monita, & doctrinam, multi martyrio coronati sunt. Hic fecit Ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros 9. diaconos 5. Episcopos per loca 8. Sepultusque est martyrio coronatus in cœmeterio Prætextati via Appia, 8. Kal. Iunias. Anno Christi 233. Alexandri Imperat. 10.

Anno Dom. 233. Alexandri. 10. Hoc Pontifice sexta persecutio Christianorum, & maximè Præsulum Ecclesiæ à Maximino Imp publico edicto promulgata fuit.

PONTIANVS

Natione Romanus ex patre Calfurnio, sedit annos 9. menses 5. duasque Decretales scripsit; ad Felicem Succribonum primam, de honore, quo sacerdotes prosequendi sunt. Secundam ad vniuersos fideles, de fraterna dilectione, & vitandis malis. In Sardiniam Insulam à Maximino Imperatore deportatus, ibidemque 12. Kal. Decembr. fustibus verberatus martyrium consummauit; cuius corpus postea Fabianus Papa Romam reduxit, & in cœmeterio Calixti via Appia sepeliuit. Hic statuit vt Sacerdos ante celebrationem Missæ præmitteret *Confiteor*. propterque eminentiam dignitatis suæ, non posset accusari à sceleratis, infamibus, inimicis, aut alterius religionis hominibus, sed à solis sacerdotibus tantùm, & Episcopis.

Anno 238. Maximini Imper. an 2. Quando cæperunt Episcopi ad alios Episcopatus transferri.

ANTERVS

Natione Græcus sedit annos 12. vt habetur in libro Pontificali Damasi Papæ; quem Baronius dicit eodem anno martyrio coronatum esse. Extat eius epistola decretalis ad Episcopos prouinciarum Bæticæ, & Toletanæ, de mutatione Episcoporum, vt scilicet necessitatis gratia possint ad alios Episcopatus, consentiente Pontifice Romano transferri. Idemque statuit nullum posse fieri Romanum Antistitem, nisi prius Episcopus fuerit. Et quia maxima tunc iussu Maximini persecutio in Christianos inualuerat, resque gestæ martyrum, iuxta vetus edictum Diocletiani passim flammis traderentur, hic Pontifex magna cura Notarios ad res martyrum conscribendas & in Ecclesia recondendas instituit, obque eam rem propriè ipse martyrio coronatus est, & sepultus in cœmeterio Calixti via Appia 3. nonas Ianuarij.

Anno Dom. 29. Maximini 3. Fabianus decimus nonus Papa Anno Christi 240. electus signo columba apparentis super ipsum ea figura, qua super Christum Dominũ apparuerat in Iordane.

FABIANVS

Natione Romanus, sedit iuxta Baronium annos 15. Epistolæ eius Decretales sunt tres, quarum prima præcipit vniuersis Ecclesijs, vt ad officia diuina peragenda ordinent diaconos septem, comsubdiaconis, & acolythis, qui diebus Dominicis, & festiuitatibus solemnibus ministrent sacerdotibus diuina ministeria peragentibus. Ibidem commonet vt caueant à Nouato hæretico & alijs, qui aliam fidem, & doctrinam tenent, quam Apostoli, & successores eorum tenuerunt. Et si quis cum excommunicatis, auertendo regulas, scienter psallat in domo, aut simul locutus

fuerit,

fuerit, aut orauerit, iuxta Canones Apostolorum, communione priuetur. Secunda epistola ad Orientales Episcopos directa, mandat, vt omnis Christianus ter in anno Eucharistiam sumat. Vt quotannis die Cœnæ Domini Chrisma instauretur, vetere combusto. Statuit quoque vt Sacerdos in sacro, non prophano foro accusaretur: neue Clerici in accusatione laicorum, aut laici in Clericorum recipe- rentur. Causa 2. quæst. 7. Sicut. Tertia ad Hilarium Episcopum, vetuit ne quis consanguineam ad quintam sobolem vsque vxorem ducat: Euseb. 6. cap. 29. Ne quis ante trigesimum annum presbyter ordinetur, etiamsi dignissimus sit, illiteratus verò nusquam ad celebrandum Missam admittatur. Hic regiones diuisit Diaconibus, & fecit septem Subdiaconos, qui septem notarijs imminerent, vt gesta martyrum in integrum colligerent: & multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit, quæ deinceps orandi causa à fidelibus freqnentata sunt. Et quinque Ordinationibus fecit presbyteros 22. Diaconos 7. Episcopos 11.

Hic primũ Schisma Ecclesiæ à Nauato hæretiso ortum Romæ conuocatis 60. Episcopis sustulit. Cæsarem Philippum baptismo insigniuit, ac tandem ipse sub Decio martyrij coronam tulit.

Fabiano iussu Decij Imperatoris, occiso, vacasse sedem eius Baronius dicit anno vno & amplius, propter ingentem persecutionem in Christianos, & factiones diuersas hæreticorum, sedem Romanam occupare volentium.

Persecutio gloria est sacerdotum.

Concilium Labesitanum in Africa sub hoc Pontifice congregatum fuit Anno Christi nati 242. Hoc est Fabiani Papæ anno 4. & Gordiani Imperatoris 2. Conuenerant 90. Episcopi & hæreticum quendam nomine Priuatum diuersarum hæresum errores in vnam sectam compilantem communi sententia condemnarunt, factum approbante Fabiano Papa qui eum communione Ecclesiæ priuauit.

Secundum Concilium teste Eusebio lib. 6. cap. 30. celebratum est *in Arabia*. anno Fabiani Pontificis 11. contra hæreticos affirmantes animas hominum mortales esse, easque vna cum corporibus extingui, & in nouissimo die cum ijsdem vicissim resuscitari. Quos Origenes tunc præsens doctissimè impugnauit, & expugnauit. Baron. anno 249. numer. 6.

Tertium Concilium Romanum, sede vacante post obitum Fabiani à Clero Romano congregatum Anno 253. ad requisitionem D. Cypriani, quod plurimi in Africa metu mortis fide negata Idolis immolassent, & postea datis supplicibus libellis *reconciliationem* cum Ecclesia expetijssent, quos cum Lucianus Episcopus sine discrimine reciperet D. Cyprianus Romanæ Ecclesiæ sententiam ea in re ac iudicium per literas requisiuit. Clerus itaque Romanus conuocatis circumuicinis Episcopis statuit; vt infirmi quidem de vita periclitantes præuia confessione, & pænitentia reciperentur; aliorum verò reconciliatio ad electionem noui Pontificis Romani suspenderetur.

Eo tempore Sapor Rex Persarum multas prouincias Romanis ademerat, & in Syriam vsq; progressus Antiochiã subegerat. Fuitq; terremotus eo ãno adeo grauis, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent. Hinc omnium malorum causam Gentiles in multitudinem fidelium, inquit Origenes, conferre cœperunt, quod nõ punirentur à Principibus sicut superiore tempore.

CORNELIVS Natione Romanus, ex patre Castino, sedit annos tres, & dies decem, & tandem sub Cæsare Decio martyrio coronatur. Hic rogatus à quadam matrona Lucina, corpora Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli è Catacumbis leuauit noctu, & in clariorem locum transtulit. Sub huius Episcopatum *Primum Schisma factum est*, Nouatus enim Nouatianum extra Ecclesiam ordinauit, & in Aphrica Nicostratum, quos Cornelius Papa damnauit, cum omnibus sectarijs suis. Fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, & ordinauit presbyteros 4. diaconos 4. Episcopos per diuersa loca numero septem. Epistolas atque decreta Episcopis atque Catholicis viris per diuersa loca direxit. Vnam ad Flauianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana (vt testatur D. Hieronymus) Italica, & Aphricana, & aliam de Nouatiano, & de his qui lapsi sunt. Tertiam de gestis Synodi; & quartam ad eundem Flauianum, Nouatiani hæreseos causam, & anathema continentem. Baron. ann. 255. nu. 63.

Anno Domini 254 Decij Imp. 2.

Nouatus Aphricanæ Ecclesiæ fuit Episcopus, qui Nouatianum in Episcopum resistente D. Cypriano consecrauit, hic Romã veniens Antipapam se fecit.

D. Hieron. lib. de Script. Eccl in Cornelio.

In corpore verò Conciliorum primam eius Epistolam ponit Seuerinus Binius ad Orthodoxos, de translatione corporum Apostolorum Petri, & Pauli, & de Nouato alijsque hæreticis. Secundam ad Rufum Coepiscopum Orientalem, qua statuit, ne quis ab Episcopo, aut Sacerdote, nisi pro fide, exigeret iuramentum. Et ne pueri ante annos quatuordecim cogantur iurare. Tertiam ad Flauianum Antiochenum. Quartam ad Lupicinum Episcopum Viennensem. Quintam ad Diuum Ciprianum, de Confessoribus ad vnitatem regressis, & Sextam ad eundem, de factione Nouatiani.

Idem Pontifex statuit, vt à ieiunis iuramenta præstentur

Fuere his temporibus aliquot Concilia Prouincialia diuersis in locis celebrata, vt ex epi-

D Cyprian. Epist. ad Antonianum, totã erga due historiam inter Corn elium & Nouatianũ describit, dicitque Cornelium virum optimũ & legitimè electum fuisse. Nouatianum vero sceleratũ hæreticum illegit mdm electionem vsurpasse ostendit.

Nota Concilia nihil valere sine approbatione ac authoritate Sedis Apostolicæ.

stolis D. Cypriani colligitur. *Et primum quidem Carthaginense* Cypriano Episcopo conuocatum Anno Domini 234. in causa Lapsorum; vbi legati quoque Nouatiani, (qui seductis nonnullis Clericis Romanis, Pontificatum appetebat. Cornelium Papam diuersimodè calumniando) cum litteris ad Ecclesiam Aphricanam scriptis reiecti sunt, tanquam indigni, qui in tam sacro sacerdotum consessu audiantur. Post modum Felicissimus schismatis Aphricani infelix auctor, & quinque illi Presbyteri Carthaginenses fidei desertores, ac schismatis sectarij, iam ante bis excommunicati, tertio excommunicantur. Et litteris Synodicis ad Cornelium Papam scriptis, infames hæretici denunciantur. Baron. anno 344. num. 83.

Secundum Concilium, *Romanum* I. in causa Lapsorum celebratum à Cornelio Papa ad petitionem Cypriani, in quo decretum Carthaginensis concilij, vt lapsi pœnitentiam agentes ad communionem Ecclesiæ reciperentur, sed non citra vrgentem necessitetem, nec ante satisfactionis tempus impletum, confirmatum est. De Sacerdotibus verò lapsis hoc peculiariter decretum est, vt præuia pœnitentia ad Ecclesiam quidem reciperentur, sed à sacerdotali functione deinceps abstinerent, laica commuuione tantum contenti. Atque statim Trophimum quendam episcopum lapsum, ad laicam solummodò communionem Cornelius admisit, munere Episcopali interdicto.

Hæretici conuersi recipi debēt sicut Abdias Babylonius refert. Iacobum Apostolum. Hermogenem magum, & h reticum resipiscentem subscepisse.

Tertium Concilium fuit Anno 255. Romanum II. in quo sexaginta Episcopi congregati, Nouatianum condemnarunt eiusq; fautores omnes, eò quod ab vnitate Ecclesiæ ipsi se præscidissent: lapsis verò ad reconciliationem & pœnitentiam aditum denegarent.

Quartum Concilium Italicum sub eodem Cornelio, & eadem de causa celebratum, vt refert Hieron. lib. de script Eccles hisce verbis. *Cornelius Romanæ Vrbis Episcopus* &c. *scripsit epistolam ad Flauianum Antiochenę Ecclesię Episcopum*, *de Synodo Romana*, *Italica*, *& Africana*. in quo Concilio totum id, quod præcedente Romano Concilio secundo contra Nouatianum decretum fuerat, confirmatum est.

Felicissimus Diaconus erat, auctorque extitit Montensium hæreticorum qui orandi causa in mõtem conueniebant. Nouatianus verò presbyter Romanus sed à Nouato Episcopo Africano Romæ habitanti, male in Cornelium Papã vitio ambitionis animato, corruptus, illoq; promouente à tribus Episcopis Schismaticis in Pontificem Romaoum electus & ordinatus clandestine turbas in Ecclesia Dei ciere cepit, & primus Antipapa creatus Schisma inuexit vt ex Epistolis D. Cypriani & Cornelij Papæ, manifestè patet.

Quintum Concilium, *Carthaginense*. II in causa Schismaticorum Felicissimi, & Nouatiani anno eodem 255. celebratum, Idib Maij. Quorum ille omnes omnino lapsos absque pœnitentia mox suscipi debere pertinaciter defendebat, Nouatianus verò in alterum extremum nimis declinans, neminem eorum qui lapsi essent, in Ecclesiam recipiendum esse non minore pertinacia asserebat. Ad hanc ergo controuersiam determinandam, auctoritate Cypriani, quadraginta duo Episcopi Africanæ Ecclesiæ congregantur, qui media via incedentes definierunt, lapsis reditum ad Ecclesiam postulantibus, pacem & reconciliationem concedendam esse, si impositam sibi pœnitentiam adimpleuissent: idq; ordinariè obseruari constituerunt. Nisi vitæ extremum periculum imminens, vel instans Tyrannorum persecutio (quam futuram esse Spiritus S. Cypriano reuolauerat) pœnitentiarum iniunctarum, aut etiam iniungendarum indulgentiam, relaxationnm, & dispensationem postularet.

Tentauit quoque & Priuatus cognomine quidam veterator hæreticus, ad hanc Synodum cum suis introire, vt causam suam ageret, sed quia antea sæpius damnatus fuisset nec resipiscere vellet, repulsus est Qua de cause ille socijs quibusdam collectis, Fortunatum quendam profugum & absentem, aduersus Cyprianum, Pseudoepiscopum creat: & postea statim per Felicissimum, & magnam schismaticorum cateruam ad Cornelium Papam ablegatam, vt schismatis & hæreseos suspicionem auerterent, Apostolicæ Sedis communionem sollicitè admodum appetunt. Verùm cum Romam adnauigassent, & à Pontifice Cornelio aliquoties audiri, & recipi postulassent, reiecti fuerunt, Synodica epistola ad Cornelium, hæreseos auctores, & propugnatores declarati. Baron. ann. 255. num. 5.

Ano Domini 255. Galli & Volusiani Imp. 3 Bis ob cõfessionem fidei exulauit, semel cum Cornelio Papa, & semel iam Pontificatum adeptus.

LVCIVS Natione Romanus, ex patre Porphyrio, sedit annos tres, menses tres, dies tres. Martyrio coronatur, temporibus Galli, & Volusiani i in exilium primo relegatus, vnde nutu Dei incolumis ad Ecclesiam redierat. Scriptaque epistola Decretali ad Galliæ atque Hispaniæ Episcopos, statuit, vt Episcopus semper testes secum præsbyteros, ac Diaconos haberet: appellationes ad altiora subsellia permitteret: nil absq; ue consilio sui Metropolitani in Ecclesia ageret: prioribus se Antistitibus non præferret: eosque qui res Ecclesiæ, aut oblationes fidelium auferre præsumerent, nil à tramite Apostolicæ traditionis recedendo seuerè puniret, Metropolitanus quoque sine consilio Episcoporum haud quidquam ageret; sineque illis causas eorum non audiret.

S. Melauius Episcopus Rhotomagensis a Lucio Papa fuit ordinatus.

Hic Pontifex à Valeriano capite truncatus, quarto Nonas Martij, dum ad passionem pergeret omnem potestatem Ecclesiæ dedit Archidiacono suo Stephano, qui ei in Pontificatu successit, postquam Episcopatus cessauisset dies 35. Fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros 4. diaconos 4. Episcopos 7-

STE-

STEPHANVS I.

Natione Romanus ex patre Iulio, sedit annos 7. menses 5. dies duos. Martyrio coronatur temporibus Valeriani, & Gallicani & Maximi. Hic constituit, sacerdotes & Leuitas vestibus sacratis in vsu quotidiano non vti, nisi in Ecclesia tantum. Scripsit epistolas duas, primam ad Hilarium Episcopum, de reuerentia præpositis exhibenda, deque infamibus non recipiendis ad officia Ecclesiastica, & accusationem sacerdotum. Secundam ad omnes Catholicos Episcopos per diuersas prouincias constitutos, de accusationibus sacerdotum, & Episcopis rebus suis spoliatis, aut à sede pulsis. Fecitque ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros 6. diaconos 5. Episcopos per diuersa loca tres. Sepultus est in cœmeterio Calixti via Appia, quarto Nonas Augusti; & cessauit Episcopatus dies 22.

Ann. 257. Vigesimus secundus Papa post B. Petrii; Valer. & Gal. Imp. 3.

Et quia occisis duobus Impp. prædictis, Gallo, & Volusiano, prout à Cypriano prædictum fuerat, Ecclesia pace, & tranquillitate quadam fruebatur, vsque ad annum Valeriani Imp. quintum, Cyprianus ac reliqui Africanæ Ecclesiæ Episcopi, multis Concilijs in Africa habitis conuenientes, summo conatu laborarunt, vt id, quòd à fide Catholica, & bonis moribus alienum in Ecclesiam irrepserat, emendarent; hæreses extirparent, vitia corrigerent, ac demum Orthodoxæ fidei dogmata confirmarent. Cumque Martianus Arelatensis Episcopus in Gallia, hoc tempore Nouatiano plurimum studeret, multosque iam in eius errorem induxisset, sollicitè Stephanum per litteras, vna cum Faustino Episcopo Lugdunensi petierunt, vt eum ex officio & munere, è Sede deponeret, & alium in eius locum substitueret. Aquarios hæreticos, solam aquam videlicet in Sacrificio offerentes, extingueret; & num baptizati à ministris hæreticis iterum rebaptizari debeant, ortam inter Doctores controuersiam, Apostolica authoritate determinaret.

Imperator Valerianus principio Imperij sui erga Christianos beneuolentissimus fuit: sed paulò post à quodam Mago Aegyptio in eos concitatus crudelissimam persecutionem promulgauit

Auctoritas Romani Pontificis in traditionibus Apostolicis fundata.

Primum itaque Concilium Africanum sub Stephano habitum est Anno 257 ad collapsam Ecclesiæ disciplinam reformandam: vbi primum decretum constitutum est, vt Diaconus ille, quem Rogatianus de proteruia, & conuitijs sibi illatis coram Patribus Concilij denunciauerat, aut abstineatur, aut nisi peccatum emendet, omninò deponatur: Idem de reliquis proteruis, & contumeliosis Clericis constitutum volens. Deinde à testamentaria tutela clericos exemerunt, excommunicationis censura in eos animaduertendo, qui testamento Clericos tutores constituissent. Postremo baptismum infantulorum in casu necessitatis ante octauum diem accelerandum esse decreuerunt. Cypr. Epist. 59. ad Fidum presbyterum.

Secundum Concilium Africanum ad instantiam Episcoporum Hispaniæ fuit celebratum Anno 258. in causa Basilidis Episcopi Legionensis, & Martialis Episcopi Asturicensis, eo quod in persecutione fuissent lapsi Libellatici, qui nimirum priuatim fidem abnegantes, publicum idolorum cultum pecunia redemissent, Episcopali honore ad denuntiationem fidelium Hispanorum spoliantur, & in eorum locum Sabinus, & Felix substituuntur. Cessante verò persecutione, illi, sicut anteà Felicissimus in Africa lapsus, absque vllo gradus, & honoris dispendio ab Ecclesia recipi temerario ausu contenderunt. Quo conatu cum frustarentur. Felicemque cum Sabino in locum suum substitutos viderent, Basilides liuore tabescens ad Apostolicam Sedem Romam se contulit, ibique se iniustè sede priuatum conquerens, Stephano Romano Pontifici supplicationem plurimis mendacijs refertam exhibet, ac per eam sedi ac honori pristino restitui suppliciter rogat. Quod cum Episcopi Hispaniæ audissent, ipsi duo suffecti Episcopi, Sabinus ac Felix ad Africanam Ecclesiam ablegantur, & vtrique litteræ ad Cyprianum reliquosque eius Ecclesiæ Episcopos scriptæ communicantur, vt scilicet ijdem Episcopi, Libellaticorum duorum causam cognoscant ac dijudicent. Cyprianus igitur cum Legatos vnà cum litteris prædictis, excepisset, collegas Antistites conuocat, & in eorum sacro consensu litteras ad se, suosque collegas scriptas legi ac recitari, & ab ijsdem Legatis in Concilium introductis, suam ipsorum causam enarrari procurat. Quæ cum facta essent, hoc quod ab Episcopis Hispaniæ de Basilidis, & Martialis Libellaticorum Episcoporum depositione, & Sabini cum Felici suffectione constitutum fuerat, per Africanæ Ecclesiæ Episcopos illos, qui huic Concilio interfuerant, confirmatum est, Nimirum *Libellaticos omnes ad pænitentiam quidem agendam posse admitti, verum ab ordinatione Clericali, atque Sacerdotali dignitate rectè prohiberi; & hosce duos etiam sua Episcopali dignitate rectè spoliatos, Sabinum ac Felicem in locum ipsorum rectè suffectos esse*. Quo testimonio habito, ipsi Sabinus ac Felix litteris Cypriani aliorumque Episcoporum

Libellatici dicebantur, qui priuatim fide in Christum abnegata perscripturam, ne publicè idolis immolare cogerentur à Magistratu libellum securitatis data summæ pecuniæ conscriptum acepissent, ne iterum ad sacrificium idolorum cōpellerentur Baron. ann. 253. num. 21. & sequ.

vetus vsus appellãdi ad Pontificem Rom. tanquam primarium vniuersalis Ecclesiæ Antistitem.

Iconiũ ciuitas est Phrygiæ vnde ortum habuit Montanus ille multarũ heresum author, qui se Paracletum primo deinde Deum Patrem nominabat, & pietatem simulans; dicebat aliorum hæreticorum baptismum inualidum esse, proinde oportere omnes illos iterum in Ecclesia baptizari, qui a quibusuis alijs hæreticis baptizati fuere,

ad Stephanum, & Episcopos Hispaniæ scripsit communiti, Romam adnauigant, tum vt mendatia Basilidis coram refellant, tum etiam vt auctoritate Sedis Apostolicæ contumaces Episcoporum Hispaniæ contemptores compescant. Vide Baron. an. 258. num. 1. 2. 3. &c.

Tertium sub Stephano Papa erat Concilium Iconiense, anno eodem 258. contra Cathaphrygas celebratum, vt de ipsorum omniumque aliorum hæreticorum baptismatis valore, quid statuendum sit inquirerent. Ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, alijsque proximis orientalibus regionibus Episcopi ad hanc Synodum accesserunt: a quibus omnibus constitutum ac decretum est, *nihil eorum quæ à hæreticis facta sunt, ab Ecclesia Catholica recipiendum esse: ordinationes, baptismum, manuum impositiones, aliudue sacrum quoduis ab hæreticis administratum, inualidum esse*. Quod totum Stephanus Papa improbauit, & Antistites illos communione Sedis Apostolicæ priuauit, quod contra Apostolorum traditionem totum esset. Miserant illi quidem legatos, qui de rebus in Synodo gestis coram Pontifice rationem redderent, sed quos ille recipere & audire dedignatus est. Itaque Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, ad Cyprianum Epistolam scribens valdè conqueritur, quod & ipsi fuerint præcipitanter excommunicati, & ipsorum Legati per contemptum non fuerint admissi. *Vide Baron. anno 258. num. 14. & sequen.*

Synadis ciuitas Asiæ minoris.

Quartum sub Stephano Concilium Synadense, in causa Baptismi ad hæreticis collati, anno eodem celebratum, & tempore eodem quo & Iconiense: idemque in illo quod & in Iconiẽsi constitutum: *nimirum vt baptisma hæreticorum nullius omnino valoris existimetur*.

Numidiæ quoque Episcopii dubitantes an hæreti rebaptizari heberent, miserant vnum è medio sui Episcopum, ad Synodum præsentẽ petentes resolutionem sibi dari in scriptis, quibus secundũ Definitionem Synodi rescripsit D. Cyprianus vt patet apud Baron & ex Epist Synodica ipsius Cypriani.

Quintum Concilium Carthaginense I. itidem in causa Baptismatis hæreticorum, tempore eodem celebratum, quod nimirum Agrippino, aut verius Tertulliano authore vsus rebaptizandi hæreticos in tota Ecclesia Aphricana inualuerit, eumque Nouatianus, vt saltim hoc modo lapsi, quos immundos esse docebat, per baptismum, ab omni sua immunditia ablutos in Ecclesiam reciperet, æmulatus fuisset. Cumque ex occasione Nouatianorum orta fuisset controuersia de baptismate, & ex Africanis Patribus alij, iuxta Apostolicam traditionem, sentirent, non esse rebaptizandos eos, qui legitimè ab hæreticis baptizati sunt: alij verò contra existimarent, vnum baptisma duntaxat esse vnius Ecclesiæ, ideoque apud hæreticos qui extra Ecclesiam sunt, baptismum verum & Catholicum esse non posse. Post multas controuersias tandem definitum est: *cum vnum sit in sancta Ecclesia baptisma, neminem foris extra Ecclesiam baptizare posse. Illos verò, qui à Catholicis ritè baptizati ad hæreticos defecissent, non per baptismum, sed per solam manuum impositionem recipiendos esse, si ad Ecclesiam redire contendant.*

Romanus Pontifex Concilium hoc reprobauit.

Sextum sub Stephano Concilium Carthaginense II pleniore conuentu Episcoporum anno eodem, & in eadem baptismi materia a Cypriano celebratum. Septuaginta igitur Numidiæ & Africæ Episcopi, quidquid supra præcedentibus Concilijs in hac & Basilidis causa habitis, definitum fuerat, duplici decreto de superlato, confirmarunt. *Vt & ij scilicet, qui in Ecclesia ordinati à fide defecerunt, reuertentes ad Ecclesiam, non nisi ad laicam communionem recipiantur: & baptismus ad hæreticis collatus, non tantum pro inualido, sed etiam pro nullo habeatur.* Quod statim Epistola Synodica Stephano Pontifici perscribunt, qui ea lecta Concilium reprobauit & simul etiam sanctissimè mandauit, ne à traditione Apostolica, de non iterando, baptismate hæreticorum eorum, qui eadem forma, qua vtitur Ecclesia, baptizassent, vel latum vnguem recedant, ipsosque ab eis baptizatos, si ad Ecclesiam redire petant, non aliter, quam per solam manuum impositionem recipiant.

Fuerunt in hac Synodo ex Afrieæ, Numidia, & Mauritania 87. Episcopi.

Septimum sub eodem Pontifice Concilium Carthaginense, *III.* itidem in causa baptizmi à Cypriano coactum, sed similiter prout & superiora duo ab Ecclesia reprobatum.

Anno 260. Valer. & Gal. Imp. 5.

SIXTVS II.

Natione Græcus & Philosophus Atheniensis, sedit annum vnum, menses decem. dies 24. sub Decio & Valeriano martyrio coronatur, cumque eo Diaconi sex, Felicissimus, Agapetus, Ianuarius, Magnus. Vincentius & Stephanus. Post triduum verò Laurentius eius Archidiaconus & Subdiaconus Claudius Seuerus presbyter, & Romanus Ostiarius, & Crescentius lector. Hic per mensem Decembrem ordinauit presbiteros 4. diaconos 7. Episcopos 2. & cessauit Episcopatus dies 35

Laurentius natione fuit Hispanus. Eadem persecutione Decij & D. Cyprianus martyrij corona decoratus est.

Et qu ia eius temporibus Sabellius quidam hæresiarcha ab inferis progressus, omnem personarum distinctionem in Deo sustulit: reliqui verò Christum ante incarna-

tionem

tionem nihil fuisse docebant; ea propter vt hosce errores solide refellat, & consulentem hac de re Episcopum quendam nomine Gretianum instruat, primam epistolam scribit, apertis testimonijs scripturæ probans, Christum quoad diuinam naturam æterni Patris filium esse, & à Patre distinctam in diuinitate personam esse, ac semper sine vllo principio extitisse. Secunda verò Epistola ad Episcopos Hispaniæ, agit de accusationibus & persecutionibus Episcoporum.

DIONYSIVS Ex Monacho Papa 25. sedit annos 6. Menses 2. dies 4. quo tẽpore Valerianus Imp. à Sapore Persarum Rege captus scelerum suorum iustas pænas luit, & pax Ecclesiæ Gallieni edicto tranquillitasque reddita fuit. Hic presbyteris Ecclesias diuisit & cæmeteria, parochiasque & diæceses constituit, vt quisque suis limitibus contentus esset. Fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros 12. diaconos 6. Episcopos per diuersa loca numero 7. Huius Pontificis extant duæ Epistolæ Decretales; prima ad Vrbanum Præfectum, qua eum hortatur deligere & scrutari, vt rationabiliter & sapienter disponat, & iudicet ea, quæ illi commissa sunt. Secunda ad Seuerum Episcopum, de Ecclesijs parochianis, vt singulæ singulis dentur presbyteris, & vt nullus alterius parochiæ terminos, vel ius inuadat. Quod longè ante illum Euaristus constituerat, sed tempore persecutionis omnia confusa fuere; itaque pace oborta omnia vicissim consignauit.

A.D. 261. Valer & Gallien Imp. 9. Eo tempore quo Ecclesia pacem adepta erat, pacis occasione freta, hæresim Samosateni & errorem Millenariorum expugnauit.

Primum Concilium à Dionysio celebratum est Romæ, Anno Domini 263. Cum enim Sabellius heresiarcha adorandæ Trinitati personarum distinctionem auferret, Dionysius Alexandrinus, sui officij esse ratus, hominem Lybicum sibi subditum refellere, in eum lucubrationes quasdam scripsit. Quibus sinistro iudicio Pentapolitanorum, non personarum tantùm, sed etiam naturæ diuinæ distinctionem ac diuersitatem tueretur. Pentapolitani igitur eundem Dionysium Pontificem accusant. Pontifex hoc Episcoporum conuentu indicto, Dionysium Alexandrinum ad Concilium citat, & quid de natura ac ineffabili gloriosissimæ Trinitatis substantia sentiat, vnam eandemue, an verò diuersam, in tribus personis subsistentem diuinam naturam esse credat, scripto profiteri mandat. Episcopus Alexandrinus calumniosè accusatus, Pontificis decreto paret, epistolam mentis suæ iudicem, & criminis obiecti purgatricem, cum quatuor Apologeticis libris, pro sui defensione conscriptis, mittit, & omnium Episcoporum iudicio ab accusatorum calumnia absoluitur.

Extat apud Baron. Epist. Dionys. Alexan. Ann. 263. num. 34.

Secundum sub Dionysio Papa Concilium fuit Antiochenum I. in causa Pauli Samosateni Anno 266. Samosatenus etenim existens Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, hæc impia dogmata spargebat. *Christum purum hominem esse: ante Mariam Virginem non extitisse: nomen Filij Dei ex bonis & iustis operibus suis accepisse: in Sacramento Eucharistiæ sanguinem eiusdem Christi corruptibilem esse.* Quæ cum totius Christianæ religionis fundamentum euertere conentur, iure merito Dionysius Pontifex damnauit, ipsumque communione Catholica, & sede Episcopali priuauit. Episcopi verò illi, qui ad Synodum illam conuenerant, priusquam domos suas abijssent, fidei Catholicæ de Filio Dei professionem scripto editam emiserunt, & ad Paulum Samosatenum ex Synodo deferri curarunt, cum sedula admonitione, vt de diuinitate Christi Domini quid sentiat, Patribus Concilij aperiat. Ille metuens, ne Sede deijciatur, pœnitentiam dolosè simulans, sententiam mutauit, hæresim abiurauit, & fidem Catholicam professus est. Quo facto, sui de Episcopali Sede ac honore deiectionem deprecatus, præfecturam illius Antiochenæ Sedis ad tempus continuauit.

Pauli Samosateni heresis quam deinceps Machometes amplexus est.

Hæc professio fidei Synodi Antiochenæ extat in corpore Conciliorum.

Tertium Concilium sub Dionysio Papa Anno 272. in causa eiusdem Pauli Samosateni celebratum, cum semel abnegatam & conuictam impietatem iterum resuscitare conaretur. Itaque congregati Antiochiam Patres Orientales, Samosatenum throno Episcopali deposuerunt, & in eius locum Domnum Episcopum suffecerunt, scripta epistola Synodica de actis Concilii ad Dionysium Papam, cui de diuina natura Christi, Dei Patris naturæ consubstantiali, insignem sui professionem inseruerunt, ad condemnandum duorum hæresiarcharum Samosateni videlicet, & Sabellii, blasphemos errores. Cumque Samosatenus domo Episcopali exire iussus, nollet obtemperare, Imperator Aurelianus de ea re rogatus, sententiam sanctisimè, quid esset agendum decreuit. Præcepit enim vt domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Chri-

Euseb. lib. 7. c. 24. Baron. anno 272. per totum.

Christiani Italiæ, & Vrbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent Sic demum Paulus cum summo dedecore, secularis Imperij ac potestatis auctoritate ab Ecclesia penitus extruditur.

Anno Domini 273. Aureliani 3 Hoc Pontifice sedente Manes Persa Manichæã sectam introduxit ex seruo Philosophaster factus stultitias suas multis in locis disputando studuit seminare; sed sæpe conuictus ac fugere compulsus patrocinante illi Archelao quodam Episcopo, tandem in Perside captus arundine excoriatus pœnas suorum scelerum atque imposturarum dedit.

FOELIX Natione Romanus ex patre Constantio, sedit annos 4. Menses 3. temporibus Aureliani martyrio coronatur. Hic constituit, supra sepulchra, aut memorias Martyrum, Missas celebrari. Voluit ne quis sacrificaret, nisi initiatus. Et si templi dedicatio ob vetustatem in dubium veniret, iterum dedicari censuit, diemque dedicationis ab omnibus vicatim celebrari. Prout & Martyrum annua sacra. *Grat. de Consec Dist. 1. Solennitates.* Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros 9. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca 5. Sepultus est in cœmeterio suo, vbi & Basilicam fecit via Aurelia, milliario ab Vrbe Roma secundo, tertio Kalendas Iunias.

Tres Epistolas scripsit; primam ad Paternum Episcopum, de vitanda hæresi, & temerario iudicio, Secundam ad Episcopos Galliæ, de authoritate iudicis Sedis Apostolicæ, deque accusatis Episcopis. Tertiam ad Benignum Episcopum, docens errare eos, qui Filium non videre Patrem contendunt, eò quod Deum nemo vidit vnquam. Tum quoque errare dicit affirmantes filium minorem esse Patre, quia ille inuisibilis, Filius verò visibilis. Scripsit & quartam epistolam, ad Maximum Episcopum, & Clericos Alexandriæ, de Christi diuinitate, & humanitate; sed cuius vix fragmentum aliquod exstat in Concilio Chalcedonensi. Act. prima.

Anno Dom. 275. Aureliani 5. Hic Pontifex constituit, vt quicumque fidelium martyrem sepeliret sine dalmatica aut collobio purpurato nullatenus sepeliret: dum tamen huius constitutionis ad illum peruenisset notitia.

EVTYCHIANVS Natione Tuscus, ex patre Marino, de ciuitate Lunensi, sedit annis octo, mensibus quinque. Hic per diuersa loca trecentos quadraginta duos martyres manu sua sepeliuit: quibus & ipse sociatus, sub Numeriano Imp. martyrio coronatus est. Et quia benedicendi creaturas antiquissimus est vsus, & ab Apostolorum tempore frequentatus, vt constat ex Canonibus Apostolorum, hic Pontifex benedictionis huius decretum edidit, ad tollendum errorem Manichæorum, qui à Mali principio creaturas omnes exortas, ideoque execrabiles esse dicebant, atque iisdem pariter maledicebant. Fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros 14. Diaconos 5. Episcopos per loca 9. Sepultus in Cœmeterio Calixti via Appia 8. Kalend. Augusti.

Multa alia decreta Gratianus dicit ab hoc Pontifice esse constituta, vt patet in Corpore Iuris Canonici.

Duas Epistolas edidit, *Prima* ad Ioannem Metropolitanum & ad omnes Episcopos Bæticæ prouinciæ, aduersus Pauli Samosateni venena paratum antidotum habet: docet enim Christum Dominum. quem Paulus purum hominem esse dicebat, verum & æternum Dei Filium, in tempore virtute Spiritus Sancti in vtero B. Mariæ Virginis incarnatum esse, & per hoc nequaquam naturam diuinam immutatam fuisse. *Secunda*, vniuersis Episcopis per Siciliam constitutis directa accusationis ordinem in negotijs Ecclesiasticus præscribit commouetque eos ad fidem & pietatem tenaciter seruandam, vt sancti, & immaculati inueniantur in conspectu Dei.

Anno Domini 283. Carini & Numeriani Imp. I.

GAIVS Natione Dalmata, ex genere Diocletiani Imp. sedit annis vndecim, menses quatuor, dies duodecim. Hic constituit, vt omnes ordines in Ecclesia sic ascenderent. Si quis Episcopus fieri mereretur, vt primo esset Ostiarius, deinde Lector, Exorcista, Acolvtus: tum demum Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur. Hic fugiens persecutionem Diocletiani, in cryptis latitabat multo tempore & D. Sebastianum ad Christum conuertit, & tandem cum Gabinio fratre suo, propter filiam Gabinij presbyteri, nomine Susannam martyrio coronatur, & sepelitur in cœmeterio Calixti via Appia 10. Kal. Maij. Fecit ordinationes quatuor, presbyteros 25. Diaconos 8. Episcopos 5.

Susanna Maximiani Cæsaris connubium spreuerat. ob eamque rem intra domesticos parietes gladio in cõfessione Christi Domini necata est, Grat. dist. 24. Subdiaconus, & Causa 2. qu 7. Pagani. De testibus legitimis vide cap. 4. quest. 1. Placuit.

Vnam Epistolam scripsit ad Felicem Episcopum, qua docet paganos, & hæreticos non posse accusare Christianos: nec Episcopum accusandum esse apud iudices seculares, sed apud Episcopos. Sub finem verò Epistolæ Pauli Samosateni, aliorumque hæreticorum Filij Dei incarnationem negantium errores doctissimè refutat.

LIBER



LIBER III.



ECIMA Christianorum persecutio Diocletiano, & Maximiano Impp. promulgata, omnium crudelissima edixit vt vbique terrarum Ecclesiæ deturbentur, Christianorum Scripturæ igne absumantur, honores adepti cum ignominia de gradu deponantur, priuatis libertas adimatur: denique vt Ecclesiarum præsides in vincula conijciantur, & omnes omnibus tormentis adhibitis, ad immolandum idolis compellantur. Vigore cuius edicti, die passionis Dominicæ ex composito omnes Ecclesiæ demolitæ sunt: grauissimisque tormentis fideles, vt Sacræ Scripturæ Codices quos penes se habebant extraderent ad comburendum, excruciebantur. Tum qui atrocitate pœnarum adacti sacros Codices tradidernnt, nolentes mori pro Christo, Traditores appellati sunt. Interea temporis post vacationem sedis Episcopalis vndecim dierum, tertio Maij anno Christi 296. Marcellinus Gaio Pontifici martyrio coronato successit.

Euseb. lib. 7. Hist. c. 3. August. de bapt. contra Donatistas lib. 7. c. 2. Arnobius contra Gentes lib. 4.

MARCELLINVS Natione Romanus, ex patre Proiecto, sedit annos 9. menses 2. Quo tempore tanta persecutio fuit, vt intra 30. dies 17. millia hominum promiscui sexus per diuersas prouintias martyrio coronarentur. Marcellinus verò mortis metu perterritus, & blanditijs Imperatoris inductus in templo Vestæ Iouis simulachro thus adoleuit. Sed post paucos dies pœnitentia ductus, ab eodem Diocletiano pro fide Christi, cum Claudio, & Cyrino, & Antonino capite truncatus est, & martyrio coronatus. Qui dum pergeret ad passionem suam, adiurauit Marcellum presbyterum, vt præcepta Imperatoris non impleret, sed potius mori vellet, quam idolis sacrificare. Iacuerunt autem corpora Sanctorum in platea dies 36. ex iussu Maximiani. Exinde Marcellus presbyter noctu collegit corpora sanctorum cum presbyteris, & Diaconibus, cum hymnis, & sepeliuit ea 6. Kal. Maij in via Salaria in cœmeterio Priscillæ.

Ann. D. 296. Diocl & Max. Imp. 13. Nicephorus scribit quod hoc Pontifice sedente viginti hominum millia vna nocte Natiuitatis Christi cum in criptis & templis orarent, à Maximiano combustos esse lib. 7. cap. 6.

Duæ Epistolæ huius Pontificis extant; *Prima* ad Salomonem Episcopum, qua confutat errorem dicentium, Patrem esse Filio maiorem. *Secunda* ad Orientis Episcopos, qua eos hortatur, vt pacem inter se ac mutuam dilectionem conseruent.

Idem titulos vrbis, presbyteris ab Euaristo datos, numero limitauit, viginti quinque diœceses ad baptizandum gentes, & sepeliendum mortuos statuens. Præterea quæstiones difficiles passim in Christianis prouincijs ortas (quia Concilia celebrare Tyranni non permittebant) ad sedem Apostolicam referendas esse censuit.

Interea temporis tamen cum Marcellinus simulachris gentilium thus adoleuisset, *in ciuitate Sinuessana conuenerunt complures Episcopi* de lapsu Illius sententiam dicturi Anno Domini 303. Et post causæ discussionem in crypta Cleopatrensi, & quorumdam presbyterorum condemnationem, Marcellinus

Conciliũ Sinuessanum de Marcellini Papæ cõdemnatione.

Ponti-

Prima sedes à nemine iudicatur.

Pontifex peccatum suum publicè confessus, indutus sacco, aspersus cinere, humi prostratus, pœnitentiam agens: *Peccaui*, inquit, *coram vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum*: atque ita suo seipsum iudicio condemnauit. Patres enim illi noluerunt ferre sententiam in ipsum, quoniam prima sedes non iudicabitur à quopiam, sed tantum dixerunt ei. *Audi Pontifex, & iudica causam tuam, quoniam ex ore tuo condemnaberis & ex ore tuo iustificaberis*. Audiens autem Imperator, quod trecenti Episcopi, & triginta presbyteri, & tres diacones in condemnationem Marcellini conuenissent, iratus misit in eandem ciuitatem, & multos Episcopos ad martyrii coronam traxit.

Hæc Synodus celebrata est in domo Vrbani Carisi, quia Basilicæ nondũ erant restitutæ.

Eodem quoque anno fuit *Concilium Cirtense in Numidia*, Secundo Trigisitano Episcopo Numidarum Primate auctore, conuenientibus eo Episcopis traditoribus, qui ex Imperatorum edicto, codices sacros comburendos tradiderant, aut thurificarant idolis gentilium metu mortis, vt in locum defuncti Cirtensis Episcopi, alium sufficerent, & subrogarent. Quæsiti igitur à suo Primate de sacrorum librorum traditione, omnes crimen suum confessi sunt, atque illum ipsum eiusdem delicti redarguerunt, & in locum defuncti Episcopi Cirensis crimine traditionis polluti, alium similiter traditorem ordinarunt, qui à magistratibus conuentus, libros, & Ecclesiæ suppellectilia tradidit ad comburendum, sicut & Siluanus eiusdem Subdiaconus, postea verò etiam Cirtensis Episcopus.

Ex his traditoribus deinde Donatistæ fluxerunt, quorum causa Africana Ecclesia tot cladibus, multis sæculis in pœnam criminis exagitata, ac demum à Vandalis atque Arabibus penitus deuastata fuit.

Anno Dom. 304. 21. Nouemb. Const, & Galer Imp. I,
Hoc tẽpore auctore Galerio persecutio restaurata fuit Chrẽstianique omnes infames esse edicto declarati.

MARCELLVS

MARCELLVS Natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Via lata, sedit annis quinque, mensibus sex, Fuit autem temporibus Constantij & Galerij, & peruenit vsque ad Maxentium. Hic fecit cœmeterium via Salaria, & vigintiquinque titulos in Vrbe Roma constituit, quasi Diœceses, propter baptismum, & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis, & propter sepulturas martyrum. Hic ordinauit 25. presbyteros in Vrbe Roma, & duos Diaconos per mensem Decembrem, Episcopos per diuersa loca 21. Hic coarctatus & tentus est, eò quod Ecclesiam ordinaret, & comprehensus à Maxentio, vt negaret se esse Episcopum, & sacrificijs se humiliaret dæmoniorum. Qui semper contemnens & deridens dicta, & præcepta Maxentij damnatus est in catabulum: vbi cum multis diebus seruiret orationibus, & ieiunijs Domino, tandem mense nono, venerunt clerici eius, & eruerunt eum noctu de catabulo. Matrona verò quædam (nomine Lucina) vidua, quæ vixerat cum viro Marco annis 15. & in viduitate sua habebat annos 19. suscepit beatum virum, quæ & domum suam nomine tituli beati Marcelli dedicauit, vbi die noctuque hymnis, & orationibus Domino Iesu Christo confitebantur. Quibus Maxentius auditis, iterum tenuit beatum Marcellum, iussitque in eadem Ecclesia animalia catabuli locare, vt ipsis beatus Marcellus deseruiret; quod & fecit amictus cilicio vsque ad mortem. Corpus beata Lucina collegit, & sepelinit in cœmeterio Priscillæ via Salaria 17. Kal. Februarij. Episcopatus cessauit dies 20. Lucina verò proscriptione damnata est.

Catabulum est, stabulũ iumentorum quæ publicæ vtilitati inseruiebant. Lucina vidua prima omnium bona sua moriẽs Ecclesiæ legauit & ab eo tempore Pontifices Romani cœperunt possessiones habere.

Ab eo tempore Christiani intra Vrbem sepeliri cœperunt quod olim lege 12. Tab. vetitum erat.

Scripsit duas Epistolas Decretales. *Primam* ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ, de Romanæ Ecclesiæ primatu, & authoritate, docens nullam Synodum fieri debere præter Sedis Romanæ auctoritatem. *Secundam*, ad Maxentium Tyrannum, vt desinat sæuire in Christianos.

Sub id tempus, auctore Donato à Casis Nigris schisma Donatistarum Carthagine conflatur: & aliud in Aegypto Meletianum, auctore Meletio, qui de idolatria conuictus, & à Synodo depositus nullam pœnitentiam agere voluit, aduersusque Petrum Alexandrinum insurrexit, qui diuersos lapsorum casus considerans, diuersaque adhibens pro conditione cuiusque medicamenta

Donatus erat Episcopus Carthaginensis potens eloquio communicationem cum Eccles. Romana habere noluit.

vulne-

vulneribus, Canones aliquot ſcripſit: qui ab Orientalibus Patribus cogniti, vſu recepti, atque probati, merito Concilijs nouiſſimæ editionis inſeruntur.

Prouincialis Synodus

Hoc quoque Pontifice ſedente, fuit celebratum *Concilium Eliberitanum*, à nouem decem Epiſcopis in Hiſpania, Anno Domini 305. Cui interfuit Oſius Epiſcopus Cordubenſis, functus multis Pontificijs legationibus. Huius Concilij Canones quia multa ad ſtabiliendam diſciplinam Eccleſiaſticam in ſe continent, iure meritò tomis Conciliorum ſunt inſerti.

Celebrarunt etiam ſub Marcello conciliabula ſua Schiſmatici Donatiſtæ Carthagine bis, vnum Anno Chriſti 306. ab Epiſcopis 70. Alterum Anno 308. ab Epiſcopis 270. Traditoribus, qui libros Sacros ad comburendum gentilium magiſtratibus tradebant, fide negata.

EVSEBIVS

Anno Chriſti 309. Hic fuit trigeſimus Epiſcopus Romæ Conſtantini Imp. anno 3: quo tempore Fortunæ templum conflagrauit; ſtulta autē Gentilitas Chriſtiani; mala omnia adſcribere ſolebat.

EVSEBIVS Natione Græcus, ex patre Medico, ſedit annis ſex, menſe vno, diebus tribus. Fecit hic (temporibus Conſtantini) ordinationem vnam menſe Decemb. presbyteros 13. Diaconos tres, Epiſcopos per loca 14. Sepultus eſt in cœmeterio Calixti via Appia, ſexto Nonas Octob. & ceſſauit Epiſcopatus dies ſeptem.

Scripſit Epiſtolas Decretales tres. Ad Epiſcopos Galliæ; ad Aegyptios; & ad Epiſcopos Tuſciæ atque Campaniæ.

Hoc Pontifice ſedente, Galerius, poſtquam in Oriente plurimos Chriſtianos è viuis ſuſtuliſſet, tandem diuinitus acerbiſſimo, & horribili morbo percuſſus, hoc ſibi ob ſuam contra Chriſtianos immanitatem exercitam euenire agnoſcens, perſecutionem edicto relaxat, & Chriſtianis liberum vſum ſuæ religionis permittit, eoſque admonet, vt Deo ſuo, pro ſua & totius Reip. ſalute ſupplicent Euſeb. lib. 3. cap. 28. & 29.

MELCHIADES

Anno Domini 311. Conſtantini Imp. anno ſexto.

MELCHIADES Natione Apher, ſedit annos tres, menſes ſeptem, dies octo. Hic conſtituit, ne vlla ratione die Dominica, aut quinta feria ieiunium quis fidelium ageret, quia eos dies pagani quaſi ſacrum ieiunium celebrabant. Fecit ordinationem vnam per menſem Decemb. presbyteros 6. Diaconos 5. Epiſcopos 11. Sepultus in cœmeterio Calixti via Appia 4. Idus Decemb. Et ceſſauit Epiſcopatus dies 17.

Scripſit vnam Epiſtolam ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos.

Extat Epiſtola Conſtantini ad Melchiadem Pōtificem ſcripta, & ad Epiſcopos Catholicos.

Concilium hic Pontifex celebrauit Romæ Anno Chriſti 313. in Laterano in domo Fauſtæ Imperatricis, quam Conſtantinus poſt obitum Fauſtæ donauerat Melchiadi. Igitur aduocatis 19. Epiſcopis cauſam Donatiſtarum audiuit, qui Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem petierunt deponi, oblato libello Imperatori. Sed Conſtantinus declinando iudicium Epiſcoporum, partes ad Pontificem remiſerat, rogans in hac cauſa Concilium congregari. Congregato itaque concilio Pontifex præuia inquiſitione Cæcilianum cum Catholicis calumnioſè accuſatum abſoluit. Donatum verò, eo quod lapſos, non per ſolam manus impoſitionem, ſed potius rebaptizando Eccleſiæ reconciliaſſet, cum omnibus ſuis adhærentibus condemnauit.

SYLVESTER

Anno Domini 314. Conſtantini Imp 9.

SYLVESTER Natione Romanus, trigeſimusſecundus Pontifex Romanus, ex patre Rufino, ſedit annis viginti tribus, menſibus decem, diebus vndecim. Hic in exilio fuit in monte Soractenſi, & poſtmodum rediens cum gloria, baptizauit Conſtantinum Auguſtum, quem Dominus curauit à lepra. Hic fecit in Vrbe Roma Eccleſiam in prædio cuiuſdam presbyteri ſui, qui cognominabatur Equitius, iuxta thermas Traianas, quem titulum Romanum conſtituit, & vſque in hodiernum diem appellatur titulus Equitij, vbi & multa dona contulit, quæ ex munificentia Conſtantini habuit. Conſtituit Chriſma ab Epiſcopo confici: tum vt baptizatum liniat presbyter chriſmate leuatum de aqua,

Conſtantinus à Syluestro Romæ baptizatus āno Imperij ſui. 18. Anno vero Chriſti 324.

Sub hoc Pontifice toti orbi, & imprimis uniuersæ Ecclesiæ pax & tranquillitas concessa est. totiq; Clero immunitas à Constantino donata.

Idem Imperator diem Dominicum sanctum & à iudicijs & laboribus liberum in æternum constituit.

Constituit quoque vt Diaconi Dalmaticis in Ecclesia vterentur, & palla linostima leua eorum tegeretur: tum vt sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto consecraretur, sed tantum in lineo ex terra procreato, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi, in Sindone linea, & munda sepultum fuit. Insuper constituit, vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre: nullusque Clericus, propter quamlibet causam in curia introiret, nec ante iudicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia. Hic fecit ordinationes septem, per mensem Decembrem, Presbyteros 42. Diaconos 36. Episcopos per diuersa loca, & tempora 66.

De magnificentia Constantini scripserat libellum B. Syluester, quem Anastasius Bibliothecarius ex archiui; sacræ Romanæ Ecclesiæ in lucem edidit. Baron. ann 324. num. 55.

Eusebius quoq; volumẽ separatum scripsit de donarijs a Constantino diuersis Basilicis collatis.

Huius temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicas istas in Vrbe, quas & ornauit. Basilicam Constantinianam, quæ à celebri Saluatoris imagine, dicta fuit Basilica Saluatoris potius quàm Constantiniana; Basilicam B. Petri, Basilicam B. Pauli, Basilicam S. Crucis in Hierusalem, Basilicam S. Agnetis Virginis, & martyris, Basilicam S. Laurentij Martyris, Basilicam Petri & Marcellini Martyrum. In ciuitate quoque Ostia, iuxta portum Vrbis Romæ, Basilicam Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Ioannis Baptistæ. In ciuitate Albanensi Basilicam S. Ioan. Baptistæ; In Vrbe Capuana Basilicam Apostolorum, quæ dicitur Constantiniana, Basilicam in Vrbe Neapoli; obtentamque victoriam de Maxentio, vni Deo inuisibili, & immortali acceptam ferens trophæum Crucis in medio Vrbis, cum hoc elogio erexit. HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI, ET S.P.Q.R. IN LIBERTATEM VINDICANS PRISTINAE AMPLITVDINI, ET SPLENDORI RESTITVI.

Concilium hoc celebratum est circa annum 326. cui interfuit ipse Constantinus Imp.

Sub hoc Pontifice in primis celebratum est Concilium Arelatense in causa Cæciliani, quem Donatistæ omnino deponendum apud Imperatorem instabant. Ad petitionem igitur Constantini Arelate in Gallia comparuerunt Episcopi ducenti, quibus ille sumptus prouiderat. Nomine Syluestri quatuor legati Concilio præsederunt, qui omnium consensu Cæcilianum Episcopum Carthagenensem, innocenter secundo accusatum, a calumnia aduersariorum schismaticorum absoluerunt; multaque ad optimum Ecclesiæ regimen Canonibus viginti tribus decreuerunt, & ad Syluestrum miserunt, vt ipse auctoritate Pontificia confirmaret, totique orbi obseruanda promulgaret, vt patet ex Epistola Synodica.

Antyra est Vrbs in Prouincia Galatiæ.

Secundum Concilium tempore Syluestri Ancyranum ab octodecim Episcopis celebratum, ad instantiam lapsorum in Ecclesia communionem, à qua tormentorum metu exciderant, recipi petentium, auctore Vitali Antiocheno Episcopo conuocati, postquam per obitum Maximini persecutoris ab Ecclesia omnis metus tyrannidis propulsatus esset. Quicquid autem in hoc Concilio Spiritu Sancto afflante canonibus 24. constitutum fuerat, id totum à Nicæna Synodo vniuersali approbatum esse constat.

Neocæsaria Vrbs est Cappadociæ. quam Lycus ãnis præterfluit.

Tertium Concilium sub Syluestro Neocæsariense, in quo 14. Canones editi, & est approbatum à Leone IV. Dist. 20. C. de libellis; vbi præter cætera decretum, nullum ante 20. annum presbyterum ordinandum; nec eundem debere conuiuio secularium interesse, aut vxorem ducere posse. Subscripserunt. Episcopi 13. iidem ferè omnes qui Ancyrano interfuerant, atque postea Nicæno Generali.

Helena Augusta suadebat filio Constantino vt Iudaicam sectam profiteretur, & propterea cum 50. doctissimis Iudæorum Romam venit, totidemq; Syluester Papa Episcopos illis opposuerat, vt latius patet in Actis Syluestri.

Quartum sub Syluestro Concilium Romanum in præsentia Constantini celebratum, vbi celeberrima illa disputatio inter Iudæos, & Syluestrum habita est, qua ad instantiam Imperatoris, ac matris illius Helenæ, vtrinque viri doctissimi conuenerunt eo fine, vt scripturis simul & miraculis singularium partium defensores suæ religionis veritatem probarent, ac manifestarent. Sed Domino protegente, Iudæis 120. conuictis, Christiani victores effecti sunt. Hunc conuentum celebratum fuisse Acta Syluestri probant, anno eius Pontificatus secundo, Constantini verò decimo, aduocatis 24. Episcopis

Quin-

Quintum Concilium sub Syluestro celebratum Alexandrinum Primum, indictum ab Alexandro Episcopo Alexandrino, ob hæresim Arii eiusdem Ecclesiæ Presbyteri, qui *Filium Dei non sine principio à Patre genitum, sed in tempore creatum esse*, cum duodecim impietatis suæ sociis pertinaciter asserebat. Alexander itaque conuocatis centum ferè Episcopis, peruersi atque hæretici dogmatis assertorem Catholica communione priuauit, & ordine presbyteratus exuit. Anno Christi 315.

Scripsit hic Alexander ad Syluestrum & alios Episcopos Catholicos Encyclicas Epistolas, Ariana dogmata refutans, numero septuaginta.

Sextum Concilium sub Syluestro, Alexandrinum Secundum, cui omnes Episcopi, qui Alexandrino Primati parebant, vna cum Osio Cordubensi Episcopo qui legationis Pontificiæ munere fungebatur, atque ideo huic Synodo præsidebat, interfuere, ad Arianorum motus componendos, qui se cum Meletianis, & Colluthianis coniunxerant, impiaque Sabellij de Sacrosancta Trinitate dogmata disseminabant. Vbi Colluthum Presbyterum Alexandrinum, quod qui non erat Episcopus, Episcopale munus obijsset, multosque ordinare tentasset, ab Osio in ordinem redactum esse scribit Athanasius Apolog. 2.

Anno Domini 329. Syluestri vero 6. Constanti Imp. 14.

Septimum sub Syluestro Concilium Laodicenum, in quo ad collapsam Ecclesiæ disciplinam restaurandam, auctore Nunechio Phrygiæ Metropolitano, congregati fuerunt 32. Episcopi & 59. Canones ad mores singulorum fidelium reformandos ediderunt.

Sciendum est quod triplex fuerit Laodicea. vna in Syria. altera in Media tertia in Phrygia ad Lycum fluuium, in qua hoc concilium habitum est.

Octauum Concilium sub Syluestro, Romanum Secundum, in quo ducenti octoginta sex Episcopi à Pontifice conuocati, ab Imperatore vehiculis adducti, & liberalissima annona sustentati, conuenerunt in thermis Traiani, quem locum Syluester Pontifex nuper in titulum erexerat, donisque plurimis Imperator exornauerat. Causa conueniendi hæc erat, vt Ecclesia ab hæreticorum & hostium incursu libera seruaretur, & quæ ad disciplinam pacemque Ecclesiasticam conseruandam necessaria erant, instituerentur. Ideoque primæ actionis exordio Hyppolitum Diaconum Valentinianæ hæresis sectatorem, Callistum Sabellij hæresi maculatum; & Victorinum Episcopum, qui receptos ab Ecclesia Paschales Cyclos, redarguere præsumpsisset, damnarunt. Quæ reliquis Canonibus constituta sunt, ferè omnia ad Hierarchicum clericorum ordinem spectant.

In hoc Concilio soli Episcopi cum Syluestro Pontifice sedisse, presbyteri autem & diaconi à tergo sedentium Episcoporum stetisse narrantur.

Nonum Concilium sub Syluestro Nicænum, Primum Generale seu Oecumenicum, in præsentia Constantini Imperatoris, & Licinij Cæsaris celebratum, præsidentibus legatis Pontificijs, Osio Episcopo Cordubensi, & Vito atque Vincentio Presbyteris Romanis. Trecenti octodecim Patres huic Concilio interfuere, alij confessionis gloria clarissimi, alii vitæ sanctitate celeberrimi, alii doctrina, & virtutum ornamentis conspicui; quos omnes in singulos dies Imperator cibariis munificentissime prouidit, & nonnullos quidem equis, alios verò vehiculis vti iussit, prout & ad Vrbem Nicæam publicis sumptibus adduxit. Cui Eustachius Antiochenus Episcopus luculenta oratione de omnibus bonis Ecclesiæ præstitis, post inuocationem Spiritus Sancti gratias egit, eumque rogauit, vt fidem consubstantialis Trinitatis, aduersus Arium & omnes hæreticos, sartam tectamque esse velit. Cui Imperator Latino idiomate respondens, de conuentu, & læto conspectu Episcoporum gratulabatur, eosque à se laudatos ad mutuam pacem ac concordiam exhortabatur. Causæ habiti Concilii primariæ duæ fuerunt. Vna, vt de Christi Domini nostri diuinitate blasphema Arii sententia, in iudicium Ecclesiæ vocata discuteretur, & quid de ea fideles sentire deberent definitiuo iudicio decideretur. Altera, vt ante sæpius oppressa Quartadecimanorum secta nunc reuiuiscens, semel radicitus euelleretur. Sed causa Arianorum discussa, subito Catholicorum impugnatione obmutuit; suamque hæresim detestantes, qui ab impio Apostata seducti fuerunt, Catholicorum sententiæ accedunt. Catholici autem, ne simulata hæreticorum palinodia decipiantur, quadam fidei formula, quam Osius composuit, quamque Nicænum symbolum appellant, edita, Arii hæresim con-

Huius nominis ciuitates plures extitisse diuersi authores dicunt. Prima Nicæa in Gallia, quæ nunc vulgo Nissa dicitur Altera Nicæa apud Locros. Tertia in Thracia. Quarta Bithyniæ metropolis: huius sacrosancti Concilij locus & receptaculum. Celebrata autem est Synodus Anno Christi nati 325 Constantini 20 Syluestri 12.

Et quia Acta Synodi huius ab Arianis passim, vbique concremabantur, Orthodoxi quanto poterant studio illa conseruabant in suis Ecclesijs. quos inter etiam fuit Gelasius Cyzicenus Episcopus. qui illa è tenebris in lucem eruta sub Basilisco Imperatore publicauit, Qui deinde Alphonsus Pisanus Soc. Iesu Presbyter libris 4 comprehensa Regi Polniæ Stephano I. dicauit. Canones verò Synodi illius Franciscus Turrianus cõmentarijs suis illustrauit.

condemnarunt. Cui omnes Catholici, & plurimi hæreticorum subscripsissent, Eusebius Nicomediensis, Theognis Niceæ Episcopus, cum tribus aliis, id facere recusarunt. Quamobrem sedibus suis iure meritoque spoliati, relegati, in que locum eorum alii suffecti fuerunt. Paulo tamen post, quam hortatu Imperatoris, metuque exilii ac depositionis ad resipiscendum inducti essent, oblato libello, palinodiam recantantes iis quæ de fide decreta fuerant subscripserunt. Arius verò cum scriptis suis turpissimis condemnatus, quæ Imperator exuri præcepit, & pœnam capitis proposuit, quicunque illa occultaret. Hæresis autem Quartadecimanorum, seu controuersia de celebratione Paschatis antiqua in Syria resuscitata, ita ab hac Synodo decisa est, vt secundum Canones Apostolorum, post decimamquartam Lunam primi mensis in ipsum æquinoctium vernum incidentem, vel ipsum proximè sequentem, prima Dominica omnes vbique terrarum Christiani, vno eodemque die Pascha celebrarent.

Synodus Nicena facta constitutione de celebratione Paschatis, statuit vt in posterum Alexandrinæ Ecclesiæ Primas cum suis Corepiscopis quo die singulis annis Pascha celebrandum sit, Romanæ Ecclesiæ & Episcopis per litteras Paschales significarent. Qui dies ex Alexandrinis litteris recognitus, per Apostolicæ Sedis epistolas omnibus Ecclesijs promulgaretur.

Post constitutionem verò de Paschate vniformiter obseruando, altera fax incendii oborti Meletius, qui, quod idolis sacrificasset, ab Episcopatu synodali iudicio, sub Petro Alexandrino habito, iustè deturbatus, Petrumque ipsum propterea, eiusque sucessores, Achillam, & Alexandrum fœdissimis criminationibus lacerans, totaque fere Aegypto bacchatus, & mult is per ciuitates diaconis, presbyteris, Episcopis creatis, pernicioso schismate Ecclesiam scindebat, in iudicium deducitur. Causaque huius diligenter cognita, ob pacem Ecclesiæ, cum eo transactum fuit hac ratione, vt nomen Episcopi ipse retineret, ab Episcopali autem munere, & functione deinceps abstineret. Illi verò quos ordinauerat, post impetratam ordinum sibi collatorum confirmationem, & sufficientem attestationem, officiis, muneribus, & functionibus sacris relinquerentur, sed inferiores nihilominus essent illis, qui ab Alexandriæ Primate Sacros ordines suscepissent. Reliqua quæ ad disciplinam Ecclesiasticam, & bonum ordinem spectabant, compluribus Canonibus Patres Sancti determinarunt, adque Syluestrum Papam litteris scriptis, confirmationem petierunt, & promulgationem. *Vide Pisanum lib. 4.* Eusebius deinde oratione quadam habita Constantinum Imperatorem laudat. Imperator verò Ep scopos omnes, ob insignem victoriam contra hostes Ecclesiæ obtentam, munificentissimè excepit, eosque amplissimis muneribus donauit. Clericis, Virginibus, & Viduis per multas prouincias, certum frumenti numerum, suppeditari mandauit: dexteros oculos Episcoporum in persecutione effosos, piè ex osculatus est, certo sibi persuadens, se sanctorum stigmatum ex osculatione sacratissimam benedictionem consecuturum. Tandem quos summis fauoribus, & studijs prosecutus fuerat, admonitione pietatis, & amoris plenissima ad pacem, & concordiam tranquillè conseruandam, præuia, singulos a se dimisit. *Baron. an. 325 num. 71 & seqq.*

Dicimum sub Syluestro Concilium Romanum III. ob confirmationem Concilii Nicæni conuocatum. Cum enim illi trecenti octodecim Patres Sancti, constitutiones Sacrosanctæ Synodi Nicænæ ad Syluestrum Pontificem Romæ agentem misissent, easque iuxta Canonem Apostolicum, quo, ne decreta aliqua absque sententia Episcopi Romani in Ecclesia sanciantur & promulgentur, prohibitum est, vt refert Socrat. lib. 2. cap. 13. confirmari pontificia auctoritate, per Epistolam Synodicam, humiliter petiuissent; iustè postulationi eorum Syluester Papa annuens, indicta Synodo ex Italia, aliisque vicinis prouinciis Episcopos conuocat, atque post confirmatum Nicænum Concilium, nonnulla mores fidelium concernentia decernit, rescripta prius Epistola ad Patres Nicææ congregatos, aliosque absentes omnes, vt fidem Concilii Nicæni, dato chyrographo singuli approbarent, eamque in suis Diœcesibus promulgarent, vniformiter crederent, atque vno eodemque tempore Resurrectionis Dominicæ memoriam celebrarent. In eadem Synodo Syluester Pontifex Ethnicà dierum nomina, Solis, Lunæ, Martis, Mercurii,

Apostolicæ sedis est Concilia confirmare.

Generalibus Concilij; Episcepi etiam absentes subscribere soliti,

In hoc concilio statutum fuerat, ne inferior superiorem accusaret, neue Missa nisi in loco sacro fieret.

curii, Iouis, Veneris, & Saturni, in Dominicam, feriam primam, ſecundam, tertiam, quartam, quintam, & Sabbathum commutauit. Damnati quoquo Arius, Photinus, & Sabellius, cum ſuis adhærentibus. Iſid. tom. 1. Concil. in Sylu.

Vndecimum Concilium Eliberinum, circa tempora Concilii Nicæni, ab Epiſcopis Hiſpaniæ celebratum, in quo editi Canones octoginta, & vnus; ſed non ſunt ab Eccleſia recepti, ipſumque Concilium non fuit approbatum.

Modo Eleberis vocatur Eluira vel vt alii volunt Granata.

Duodecimum Concilium Arelatenſe I. Similiter prout et Eliberinum, Prouinciale in Gallia Narbonenſi celebratum, in quo triginta duo Canones conſcripti, & ad Syluestrum Pontificem miſsi; ſed non conſtat, vtrum fuerint ab eo approbati. In iure tamen multa exinde leguntur deſumpta, prout & ex Concilio Eliberino.

Tredecimum Concilium Arelatenſe II, a 41. diuerſarum Prouinciarum Epiſcopis celebratum, Prouinciale attamen nuncupatum, in quo 25. Canones conſcripti; alii dicunt fuiſſe plures, vt in corpore iuris citantur.

Arelate ciuitas Galliæ ad Rhodanum ſita.

Quatuordecimum tempore Syueſtri Concilium Gangrenſe in Paphlagonia (ſeu regione Pelaſgorum) celebratum, aduerſus Euſtachium Sebaſtianenſem in Armenia Epiſcopum, in quo Canones editi 20. & à Syluestro Pontifice approbati. Oſius Cordubenſis Synodo huic interfuiſſe dicitur, tanquam legatus per totum Orientem a Pontifice miſſus. Viginti fere hæreſes prædictus Euſtathius iam ante ſopitas reſuſcitauerat, nimiùm monachiſmo fauens, & matrimonium, eſumque carnium damnans. Quæ omnia epiſtola Synodali recenſita, & viginti capitulis diſtincta, viginti Canonibus condemnata fuerunt.

Prouinciale hoc erat Cōcilium, in quo excommunicati ſunt Nuptias contemnentes, carnem abominantes & familiam negligentes.


Decimumquintum Tyrium Concilium, vel potius Conciliabulum, ſub Syluestro Anno Domini 335. in cauſa Athanaſij habitum, vt à nefarijs hæreticis non tam iudicaretur, quam condemnaretur. Athanaſius huic, quantumuis illegitimo conuentui, cum quadraginta ſeptem Aegypti Epiſcopis Catholicis ac Confeſſoribus, ſe præſentem exhibuit, ne cauſæ ſuæ diffidere videretur, & aduerſarijs amplius ſequiendi cauſam preberet. Qui volentes eum ſede Epiſcopali exturbare, primo electionem eius, quaſi illegitimè facta fuiſſet, calumniabantur; deinde apud Imperatorem eum accuſarunt, de pecunia, & exactionibus violenter a plebe extortis; tertio, quaſi Philumeno cuidam Imperatoris hoſti, magnam vim pecunię miſiſſet: quarto, quaſi Arſenium Epiſcopum interfeciſſet, quem ipſi Thebaide in Aegypto in abditis habebant; aliaque plurima viro innocentiſſimo falsò obiiciebant; ſed quia falsò, ideo Concilium illud a Sede Apoſtolica non tantum non erat receptum, ſed etiam Anathematizatum fuit.

Tyrus Phænicię vrbs celeberrima, olim inſula ſed ab Alexandro Magno operibus continenti adiuncta. nunc Tripolis vocatur.

Athanaſius Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus acerrimus Arianorum atq; Maletianorum hoſtis in Synodo calumniatus ab Euſebio Nicomidienſi & ſuis ſectatoribus.

Vltimum ſub Syluestro Concilium Hieroſolymitanum, in cauſa Arij reſtituendi, ab Euſebianis celebratum, qui conuentu Tyrio dimiſſo, anno eodem Hieroſolymis conuenerant, ad dedicandam Eccleſiam ab Imperatore Conſtantino recens erectam. Et quanquam magni nominis Orthodoxi Epiſcopi præſto ibi adfuerint, quia tamen Euſebiani multitudine præualentes, Arii confeſſionem approbarant, & ipſius reſtitutionem, contra Nicæni Concilii decretum confirmârant, ideo potius conciliabulum, quam legitima Synodus æſtimari debet.

LIBER



LIBER IV

Egregius fidei athleta ab Arrianis iterum accusatus apud Imp. quasi minatus fuisset, se impediturum ne quid frumenti Alexandria Constantinopolim deueheretur.



ORTVO Syluestro Pontifice Sanctissimo, ingenti Eusebianorum motu concussa est Ecclesia, qui de nouo Athanasium Alexandrinæ Sedis Episcopum crimine læsæ maiestatis accusatum, procurarunt causa inaudita, magno omnium Catholicorum luctu ac mœrore in Galliam relegari, Arium verò Alexandrinæ Vrbi restitui. Verum iste quantumuis literis Eusebianorum, & Imperatoris communitus fuisset, ab Alexandrinis ciuibus tamen, eo quòd a Catholica fide alienus esset, Vrbis ipsius aditu prohibitus, Constantinopolim redijt; ibique in conuentu malignantium, occasione Marcelli Ancyrani congregato, sese Imperatori sistens, de fide interrogatus, verbo & scripto fidem Catholicam, per summam simulationem iuratus profitetur. Alexander Constantinopolitanus Episcopus dum eum contra mandatum Imperatoris in Ecclesiæ communionem recipere nollet, violenterque ingerendum metueret, ipse vnà cum plebe, ieiunij & orationum studio insistens à Christo impietatis Arianæ vindice impetrauit, quod dum Arius magno fastu Eusebianorum ad Ecclesiam deduceretur, exonerandi aluum necessitate ad locum secretiorem declinare compulsus, vna cum excrementis viscera effundens, misere interierit, cuius rei fama vniuersum ferè orbem diuagata, plurimos qui ab illo decepti fuerant, ad gremium Orthodoxæ fidei conuertit; ipseque Imperator tanto prodigio commotus, Arianos, & Eusebianos deinceps detestatus est, quos hactenus Nicænæ fidei sinceros defensores existimabat, Athanasiumque illorum calumnijs in exilium abactum proculdubio reuocasset, ni morte præuentus fuisset. Interea, post interregnum quindecim dierum, in locum Syluestri Pontificis piè sanctèque defuncti, subrogatus fuit.

Arij interitus turpissimus. Erat autem hic in Baucalide Ecclesia sic appellata in Alexandria presbyter, Lybi ngenere qui Alexandri Episcopi sui doctrinam carpere voluit, cum vitam non posset, & Christum Dominum à Patris diuinitate æterna separare tentans magnæ in Ecclesia perturbationis author fuit.

Papa 33.
Anno Domini 336.
Constantini 31 Hic Symbolum fidei à Patribus Nicæni Concilij conscriptum à populo & clero cani in Ecclesia præcepit.

MARCVS, Natione Romanus, ex patre Prisco, seditque iuxta Baronium mensibus nouem. Hic constituit vt Episcopus Ostiensis, qui Romanum Pontificem consecrat, pallio vtetur. Fecitque duas Basilicas, vnam via Ardeatina, vbi requiescit: & aliam in Vrbe Roma, iuxta Palatinas, quas Constantinus prouentibus ditauit, muneribusque diuersis. Hic fecit ordinationes duas in Vrbe, Presbyteros 25 Diaconos 6. Episcopos per diuersa loca 27. & a morte eius cessauit Episcopatus dies 20.

Conciliabulum hoc fuit celebratum sub Constantio Imp. mortuo Constantino Catholico fidei confessore sub id tempus. Marcellus Ancyranus acerrimus Catholicæ fidei defensor vocatus ad encœnia Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum Eusebianis communicare noluit.

Concilium Constantinopolitanum per id tempus ab Arianis celebratum; qui Marcellum Ancyranum in Galatia Episcopum, post multas calumnias, crimine hæreseos falsò insimulatum (quasi contra Asterium scribens, cum Paulo Samosateno sentiret, Christumque purum hominem esse doceret) condemnarunt, & Episcopatu abdicatum in exilium eiecerunt. Reque hac pro voto suo egregiè perfecta Arium hæresiarcham ab Alexandrinis reiectum, rectè, & Orthodoxè sentire adiudicarunt. Quem dum in Ecclesiam cum fastu insolito introducere vellent, minitantes Alexandro Episcopo Constantinopolitano

no exilium ex mandato Regis; ni eum recipere vellet; sed vti supra narrauimus, Ario ad inferos deturbato, magno cum luctu conciliabulum soluerunt. Cumque propter plagam diuinitus illatam aliquantisper erubuissent, rursus in sua coibant conciliabula, & Dei iram in Arium ostensam, ad communem mortem referre contendebant. Constantioque Imperatori persuaserunt, quod debitum naturæ reddiderit Arius, non autem ira diuina pœnas luerit.

IVLIVS I. Natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annos 15. Mens. 2. dies 18. temporibus Constantij hæretici filij Constantini. Hic post multas tribulationes in exilio fuit mensibus decem, & reuersus ad Sedem B. Petri Apostoli fecit basilicas duas, vnam iuxta forum, & aliam via Flaminia: & cœmeteria tria, vnum via Flaminia, aliud via Aurelia, & aliud via Portuensi. Hic statutum fecit, vt nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia: & vt notitia quę omnibus fidem facit, per notarios colligeretur; & vt omnium monimentorum in Ecclesia confectio per primicerium notariorum celebraretur, siue quod cautiones, vel instrumenta, vel donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut testamenta, vel colligationes, aut manumissiones clericorum in Ecclesia per Scrutinium sanctum celebrentur. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros 18. Diaconos 3. Episcopos per diuersa loca 9. Qui etiam sepultus est via Aurelia in cœmeterio Calepodii, pridie idus Aprilis. Et cessauit Episcopatus dies vigintiquinque.

Anno Domini 336. Constantini vltimo Totus Iulij Pontificatus cõsumptus fuit in tuenda Nicæna fide, & catholicis Episcopis, imprimisq; Athanasio ab impio furòre Arianorum. qui Constantio Imp. suarum partium subnixi, omnia pro libidine agitabant.

Scripsit Epistolas tres, & quartum rescriptum, contra Orientales pro Athanasio, & cæteris, increpans eos, quod Imperatoris brachio subnixi ausi fuerint Episcopos sedibus suis pellere, & condemnare, quod soli tantummodo Romano Pontifici liceat, vt generale Concilium cogere, ita & Episcopos iudicare: aliter, si quis Episcopum præter authoritatem Sedis Apostolicæ damnauerit, vel à sede expulerit, de gradu suo deiiciatur & excommunicetur, & Episcopi eiecti restituantur. Multa itaque decreta, ex his Epistolis illius Iuo, & Gratianus collegerunt, quæ patent in libris Decretorum connotata, ne deinceps talia fierent.

Cum parum Iulius scriptis suis apud Orientales Episcopos proficeret ad Imp. occidentis Constantem confugit, exhorrtans eum ad paternam æmulationem vt vniuersalē Synodum cogere patiatur constitutionesq; illius contra insolentiam Arianorum Regio edicto stabiliat.

Primum Concilium à Iulio celebratum Romæ, conuocatis 116. Orthodoxis Episcopis, duas potissimum ob causas, Prima vt certæ fidei confessionem ederet, ipsamque Synodum suo quoque calculo confirmaret. Altera, vt Arianam hæresim ante condemnatam, sua etiam sententia excommunicari ac proscribi voluerit.

Anno Christi 337. Pontificatus sui primo. vt optimè probat Baronius.

Secundum Concilium Alexandrinum ex Catholicis Episcopis congregatum in causa Athanasii, quem post biennale exilium ad Ecclesiam suam reuersum, denuo Eusebiani apud Imperatorem calumniati sunt. Orthodoxi itaque Episcopi, nouas simul ac veteres hæreticorum accusationes, ad iudicium & examen vocantes, dum eas calumniis plenissimas esse animaduertissent, scripta Synodali Epistola, legatos ad Imperatorem ablegarunt, qui mendacia eorum diluerent. Cæterum illi, ad pudorem quo suffundebantur minuendum, ad Concilium aliud subito prouocarunt.

Etiam ad Pontificem Ariani legatos suos miserant non tantum ad Imperatorem petẽtes vt condemnatio Athanasij Tyri facta rata ac firma haberetur sed eum concilium Antiochenum apud vtrumque gloriosè defendit Aderant in hac Synodo nonnulli Episcopi Catholici, qui omnibus Actis Arianorum contradicebant, sed preualere non potuerant Cõstantij Imperatoris potentiæ, cuius voluntate conciliabolum illud sartum tectumque habitum est.

Tertium Conciliũ, Antiochenum I ab Arianis celebratum Anno Christi 340. vbi inprimis se Arianos esse negarunt, Arianũq; nomen publicis scriptis auersati sũt. Deinde Vrbis illius nobilissimi tẽpli, quod à Cõstantino Magno incæptũ & sub Cõstantio eius filio absolutum præ sui excellentia, Dominicum aureum, appellatum fuit, encœnia, & dedicationem celebrarunt. Postea Athanasium ab exilio reuocatum, iterum calculis deponunt, eique Eusebium Emissenum hominem nondum sacris initiatum subrogandum decernunt, quem S. Hieronymus Arianæ factionis signiferum appellat. Qui dum ratione secum inita Episcopatum capessere recusat, alium subito sufficiunt, nomine Gregorium Cappadocem; quem deinceps Præfecti Imperatoris magna Catholicorum

stra-

ſtrage introduxerant. Ad extremum fidei Nicęnę formulam, callidè immutarunt, conſubſtantialis nomen omnino expungentes. Quam iterum, tertioque immutabant, filium ſubſtantię Patris imaginem profitendo.

Quartum Concilium Romanum II. à Iulio Pontifice in cauſa Athanaſii aliorumque Epiſcoporum celebratum; Cum enim Ariani per Alexandrinę Eccleſię legatos Romę coram Iulio Pontifice conuicti; ad Concilium appellaſſent, Pontifex eorum appellationi deferens, hanc ſynodum Romę celebrandam induxit. Cumque querelæ aduerſus Arianos aliundè accumularentur, ipſos cum Athanaſio per literas debitè citatos, certo atque pręfixo termino pręſentes adeſſe mandauit. Athanaſius itaque Pontificis mandato obtemperans, maturè preſto fuit, Ariani verò poſt futiles excuſationes, non modo contumaciter ſe abſentarunt, verùm etiam Conciliabulo, de quo ſupra diximus Antiochiæ indicto, Athanaſium Epiſcopatu & ſede Alexandrina amouerunt, inque eius locum Gregorium Cappadocem ſuę ſectę ſubrogarunt, Cumque iam Athanaſius Romæ vltra annum & ſex menſes aduerſarios expectaſſet, ne diutius quam par erat, (in iudicio quinquaginta Epiſcoporum abſolutus) ab Eccleſia abeſſet, facta publica Catholicæ fidei profeſſione, quæ Symbolum Athanaſii appellatur Latino ſermone, Alexandriam rediit. Profeſſionem verò illius, vnà cum Actis Synodi, in ampliſſimo Romanæ Eccleſiæ Archiuo, Pontifex collocari mandauit. In eodem ſimul Concilio, & alii Epiſcopi ab Arianis exturbati auditi, & abſoluti fuerunt, & literis communicatoriis muniti ad ſuas quiſque ſedes redierunt. Præcipuè Marcellus Ancyræ Epiſcopus, in Conciliabulo Conſtantinopolitano ab Euſebianis ſede ſua deturbatus, & in exilium relegatus. Et Euſthatius Antiochenus, Paulusque Conſtantinopolitanus, ab Euſebio Nicomedienſi deiectus, acerrimi Nicænæ fidei defenſores.

Plurimi tunc Epiſcopi ab Arianis ſedibus ſuis pulſi fuerunt, in Thracia, Cœleſyria, Phenicia atq; Paleſtina, ſed hos omnes Concilium reſtituit, & intruſos amoueri iuſſit.

Quintum Concilium ſub Iulio, Colonienſe, triginta ferè Epiſcoporum, qui authore Seruatio Tungrorum Epiſcopo Anno 346. Coloniam Agrippinæ conuenientes, Vrbis illius Epiſcopum, nomine Euphratam diuinitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti negantem, nudumque tantùm hominem eum eſſe aſſerentem ſede ſua depoſuerunt, & anathemate percuſſum Vrbe eiecerunt; inq; eius locum Seuerinum Epiſcopum Senonenſem virum ſanctiſſimum promouerunt.

Ab hoc Concilio legatus ad ſedem Apoſtolicam miſſus fuerat Euperius Epiſcopus Toloſtanus: quē & ipſe Seruatius comitatus eſt.

Circa tempus Paſchale Anno Domini 342. hæc cedes Alexandrina facta eſt.

Sextum Concilium, Romanum III. à Iulio Pontifice celebratum poſt cladem illam Alexandrinam, qua Gregorius in locum Athanaſij ab Euſebianis Antiochena Synodo ſuffectus, magna Chriſtianorum calamitate, & templorum incendio in Vrbem, per Philagrium & Arſacium Præfectos iuſſu Conſtantii Imp. introductus eſt. Athanaſius verò cladem præuiſam fugiens Romam reuerſus eſt, ibique deinceps triennio commoratus. Quo tempore Elpidius, & Philoxenus ab Euſebianis in Oriente huc vſque detenti cum literis ex Antiocheno conciliabulo ad Iulium acerbiſſimè, & contumelioſè ſcriptis, tandem dimiſſi fuerunt. Qui vbi Romam veniſſent, obtuliſſentque Pontifici Arianorum literas, quibus de Athanaſio abſoluto, de termini ad comparendum præfixi anguſtia, de iudicio Romani Pontificis, & Concilij, illegitimè vſurpato, deque alijs pluribus conquerebantur. Pontifex hac Synodo comprouincialium, ſecundum Apoſtolicam conſtitutionem congregata, literas eorum legit, quidue calumniatoribus reſpondendum videretur, inquiſiuit. Placuit autem omnibus congregatis, per Epiſtolam Synodalem calumnias hæreticorum refutare, & Athanaſij, Marcelli, aliorumque abſolutiones iuſtè factas eſſe demonſtrare.

Elpidius & Philoxenus Iulij Papæ legati fuere ad Concilium Antiochenum. ſed retenti ab Arianis tantiſper in oriente donec cognouiſſēt quid in Cōcilio Romano tādē factum fuiſſet Re autem cognita, hanc Epiſtolam cū qua reuerſi erant ſcripſere.

Septimum Concilium ſub Iulio, Antiochenum II. ab Arianis celebratum, in quo reiectis quatuor formulis fidei, ſuperiore conciliabulo Antiocheno à ſe conceptis, aliam nouam cæteris prolixiorem Anno 344. compoſuerunt, & ad Occidentales Epiſcopos quos nulla adhuc Arianorum labes contaminauerat, ad decipiendum tranſmiſerunt. Quam illi non receperunt, dicentes, ſe velle

Orientales Epiſcopi volentes pertrahere Occidentales in ſuam opinionem quo ſic facilius poſſent delere Concilium Nicænū, vnionem ab illis & pacem poſtularunt miſſis quatuor legatis Mediolanum vbi tunc Imp. Conſtantius erat.

velle decretis Nicæni Concilii acquiescere, & præter illa nihil amplius curiosè inquirere.

Octauum sub Iulio Concilium, Mediolanense I. à Catholicis celebratum, in quo quatuor Orientalium legati, à prædicto Concilio Antiocheno designati, Eudoxius, Martyrius, Macedonius & Demophilus, formulam fidei suæ, quam velut Catholicam, & Orthodoxam venditabant, offerebant petentes sibi Romanæ Ecclesiæ communionem impertiri. Cæterum Patres in hoc conuentu congregati, formulam illam ob nouitatem, & nomen consubstantialitatis omissum reiecerunt, dicentes satis sibi esse, omnibusque Orthodoxis Nicænæ fidei Symbolum profiteri, quod etiam ad communionem Romanæ Ecclesiæ impetrandam sufficit.

Nonum Concilium Sardicense, Generale & quasi appendix Nicęni, in quo Osius, Archidamus, & Philoxenius, Iulii nomine præerant. Adfuit, & Athanasius cum sociis ad crimina, quorum postulati fuerant, diluenda. Freti enim Ariani præsidiis, tàm Constantii ipsius, qui post Constantini patris obitum toti præerat Orienti, quàm multorum pręsidum illius, qui militum stipati copiis, omnibus erant formidini, Nicęnę Synodi fidem, quam apertè conuellere non audebant, occultè frequentioribus conciliis oppugnare conabantur, Catholicosque pastores, minis, vinculis, spoliatione bonorum, abdicationibus, atque exiliis perterrere studebant. Quorum audacia cum in dies ad grauiores tumultus vergeret Iulius Pontifex Imperatorũ cõsensu, apud Sardicam Vrbem Synodum Generalem indicit, quo trecenti septuaginta sex Episcopi ex Oriente, Occidente, Septentrione, omnibusque fermè prouinciis orbis Christiani conuenere Anno 347. Qui scriptis Canonibus viginti, & vno, sese contentos esse Nicęna fide declararunt, vt cui nihil deesset, & in qua integra, & solida pietas contineretur. Proinde cauerunt, ne quid vlterius de fide scriberetur. Ariani verò cum intelligerent rem agendam esse, sine Musoniano, Hesychio, & Castricio, quorum muniti lictoribus, Episcoporum solebant obterere libertatem, diffisi causæ suæ, & scelerum conscientia consternati, venturos se in Synodi conspectum, nisi prius Athanasio & sociis eius de medio pulsis palam negarunt. Quod cum Orthodoxi, de innocentibus ac sanctissimis viris, iamque in Romanam communionem receptis abnuerent constituere, Arianosque iterum atque iterum commonuissent, vt palatio, quo sese abdiderant, prodirent in medium, flagitia quę Athanasio intenderant probaturi, alioquin ipsos reorum loco habendos esse: illi tam incorruptis iudicum subselliis res suas credere non ausi, clam Philippopolim Thracię Vrbem defugere. Quapropter Sardicenses Patres, in eos vt causę desertores, criminatoresque piorum omnium, & Orthodoxę fidei aduersarios, iustisimum anathema conclamant. Stephanum Antiochenum, Menophantem Ephesinum, Narcissum Nerouiadis, Theodorum Heracleensem, Acatium Cęsariensem, Vrsacium, & Valentem ex Episcopali gradu dimouent, Gregorium imprimis qui in Alexandrinam sedem armatis militibus septus irrnperat. Athanasium verò, & socios honorificis iudicinm sententiis ac decretis ornatos, suarum iterum iubent Ecclesiarum gubernacula capessere. Omniaque quo ordine gesta sunt, diligenter perscribunt, primum Iulio Romano Pontifici; deinde omnibus Catholicę Ecclesię Episcopis vt iis, quos Ariani iniustisime vexauerant, solatio ac perfugio essent: postmodum Alexandrinæ Ecclesię, cuius tantopere intererat, quęcunque ad Athanasii causam spectabant non ignorare: tum denique Constanti Augusto, qui mox per litteras egit cum fratre Constantio, vt Athanasio, & sociis contra fas & ius omne depulsis, suas reddi Ecclesias imperaret. Atque hic fuit Synodi Sardicensis exitus.

Sardica Illyrij vrbs est in qua anno post obitum Constantini Vndecimo Synodus Generalis celebrata est, ducentis octoginta ex occidente, & septuaginta sex ex oriente Episcopis congregata.

Canones Concilij Sardicensis Grace & Latinæ in communem Ecclesiæ vtilitatem scripti sũt in quibus cũ omnia quæ de fide in Concilio Niceno definita fuerunt, confirmantur, nihilq; nouũ sancitum fuit id circo Synodus hęc tanquam pars appendixq; Nicæni Concilij ab omnibus habetur, licet altera Synodus fuerit, & ex toto orbe collecta.

Philippopolis ciuitas Tracia montis tantummodo Titurıs interstitio, à Sardica separntur, sed illa in potestate Constantis tum temporis erat, Sardica vero in potestate Constantis. Ad illã itaqs Ariani tanquam ad ditionem patroni sui confugerant, & quic quid ibi contra Orthodoxos moliti sunt Sardica se scripsisse & constituisse simularunt.

Decimum Concilium impiorum Arianorum Philippopoli habitum, quo Sardica profugerunt, vt rem iusto iuris ordine ab Orthodoxis agendam viderunt: ibique instar canum petram eam, à qua læsi fuerant frustra mordentium, in

Ab hoc tempore occidentales cum Orientalibus haud eadem secum sentientibus negotij sibi quidquam amplius & con-

iunctionis esse volue runt. Quamuis tum Vrscaius Pannonius & Auxentius Mediolanensis conati sunt Ecclesias distruhere & ad Arianam opinionem traducere, efficere tamen id nequiuerunt, sede Romana & alijs occidentalibus Episcopis vigilantibus.

Iulium Romanum Pontificem, Osium Cordubensem, Maximum Treuirensem, aliosque Catholicos Episcopos, quod cum Athanasio, Paulo, Marcello & Asclepa, suo iudicio condemnatis communicassent, anathematis sententiam pronunciarunt, eamque subito per litteras Encyclicas ad diuersos Episcopos scriptas promulgatam denunciarunt: & quintam perfidiæ suæ formulam, ementito Sardicensis Concilii nomine insignitam fabricarunt, nomen consubstantialitatis Filii cum Patre in ea omittentes. Scripserunt quoque, & ad Donatum Carthaginensem Episcopum, Ecclesiæ tunc Catholicæ infensissimum vt ipsum suis adiungerent partibus, Schismaticosque sibi conciliarent, qui in Aphrica erant potentes.

Hoc Concilium appellatur Primum quia inter orthodoxa & approbata concilia Carthagine habita, ea quæ etiam num extant, cum primum sit & antiquissimum post exturbatos schismaticos ex Africa.

Vndecimum sub Iulio Concilium, Carthaginense Primum, Post absolutum siquidem Sardicense Concilium, Gratus Carthaginensis Episcopus Catholicus, cum triginta collegis Episcopis Africanis, in Africam reuersus, Constanti Imperatori, religionis, pacis, & concordiæ amantissimo, statum Africanæ Ecclesiæ exponit, quod duo Donati, alter Carthaginensis, alter Bagaiensis Episcopi schismatici, homines factiosissimi, diro, & implacabili schismate, tempore Diocletiani exorto, Africanam Ecclesiam proscidissent, & grauissimè etiamnum inquietarent; quodque per circumcelliones sectæ suæ defensores, Præfectis prouinciarum resistere auderent, per nundinas, villas, vicosque circumuagantes, sese publicę iustitię vindices iactitarent: eoque prętextu seruos ad pileum vocarent; oppressos ęre alieno a creditoribus liberarent minacibus literis ad eos scriptis, nisi eorum debita expungerent mortem minantes. Addidit preterea, quod quantumuis schismatis authores prę nimia pertinacia, omnes pacis conditiones repudiarent, populum tamen oblatis concordię, pacis, & vnionis conditionibus facilè consensurum, si modo legati ab Imperatore missi collatis beneficiis eundem ad vnitatem amplectendam prouocauerint. Tandem Constante Imperatore obnixè admodum petiuit, vt memor paterni affectus in rem Christianorum, Africanæ Ecclesiæ grauissimis calamitatibus exagitatæ, suo subsidio succurrere non dedignaretur. Imperator iustæ petitioni annuens, Paulum, & Macarium, viros ex multis alijs amplissimis, maximèque pijs selectissimos, in Africam ablegat, vt populum collatis beneficijs, & muneribus, ab imbuta ferocia auocatum, ad iudicandam cum fratribus concordiam prouocent, & inducant. Legati fideliter munus sibi iniunctum exequentes, principio ipsos Donatistarum Episcopos ad concordiam inuitarunt, qui non modo non consenserunt, sed potius magno conatu ijsdem pro viribus resistere tentarunt: Donatus Carthaginensis suæ partis homines per litteras & nuncios monendo, ne quidpiam a peccatoribus etiam eleemosynæ loco acciperent, (puta ab Imperatore eiusque legatis, quod à sua parte alienæ communicationis essent) Donatus verò Bagaiensis ad arma circumcelliones suos & ad tumultum conuocando. Sed hi omnes à Præfectis militiæ Imperatoriæ fugati, Donatusque ipse Carthaginensis, malorum omnium fons, cum alijs quibusdam captus, atque Vrbe expulsus. Et ex hac occasione exturbatis Episcopis schismaticis, Catholici Concilium congregarunt, & quæ ab iisdem schismaticis in Christiana disciplina corrupta fuerant, restituere ac reformare laborarunt, scriptis Canonibus 14. Anno Pontificatus Iulii 13. Christi verò Domini 349.

Donatistarum Circumcellienum scelera. Sed illud maxime execrandum, quod gloria martyrij illecti, se ipsos precipitio necarent, mortemq; voluntariam vel ipsi opperent, vel conductis sui interfectoribus sibi ipsis inferri procurarent.

Donatus Carthaginensis tantæ superbiæ fuit vt etiam per suum nomen, tanquam per numen aliquod iurare homines docuerit. Optat. lib. 3. contra Parm.

Barnabas Apostolus primus vrbis Mediolanensis Episcopus fuit.

Duodecimum sub Iulio Concilium, Mediolanense II. Anno Christi 350. celebratum, cum adhuc Constans Imperator in humanis esset. Ibi Vrsacius, & Valens Episcopi, quasi a sua ipsorum conscientia flagellati, oblato libello poenitentiam egerunt, confitentes omnia, quæ vel dixissent vel fecissent contra Athanasium, falsa esse, nihil aliud quam calumniam. Itaque fide Ariana anathemate in conspectu Concilii, cui Romanæ etiam Ecclesiæ Presbyteri intererant, execrata, & damnata, ad Iulium Pontificem hæresim suam abiuraturi remittuntur.

Tredecimum Concilium Hierosolymitanum à Maximo Vrbis illius Antistite

coa-

coactum, vt Athanaſium iudicio Sardicenſis Concilii abſolutum, Epiſcopi Palæſtinæ, & alii circumuicini, qui olim ſententiæ in illum ſubſcripſerant, ab exilio reuerſum deprecarentur; delictumque ſuum deteſtati atque conſeſſi, eam quam poſtularunt communionem, & reconciliationem præſentis Athanaſii impetrarent. Quo facto Synodus dimiſſa, datis litteris, & Synodica Epiſtola ad omnes Epiſcopos Africæ, & Aegypti, tum presbyteros Alexandrinos, diaconos, populumque vniuerſum.

Vltimum ſub Iulio Concilium Vaſenſe in Gallia Narbonenſi, in quo hæc tria ſtatuta ſunt. Primo, vt quicunque oblationem fidelium ſuppreſſerit, aut negauerit, ab Eccleſia cui fraudem fecit excludatur. Secundo, vt in omnibus diuinis myſteriis, contra doctrinam Arii, laudes Sanctiſſimæ Trinitatis occinerentur: nomenque Papæ quicunque Sedi Apoſtolicæ præfuerit, in Eccleſiis recitetur. Tertio demum, vt ad antiquum glorificationis hymnum, *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto*, hæc appendix adiiciatur. *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen*. iuxta placitum Nicæni Concilii Patrum.

Cum Aquileiæ exulantem Athanaſium Conſtantius Orientis Imp. metu fratris Conſtantis Orthodoxi Principis ad ſedem ſuam redire iubet Magnētius Tyrānus Cōſtantem Imp. occidit. Ariani vero noua calumnia vſi, ab ingreſſu vrbis Alexandrinæ eum prohibent, quaſi ad Magnentium tyrannum aduerſus Conſtantium literas ſcripſiſſet. Quare acceptis ab Imp. denuo litteris recta Hieroſolymā progreditur.

LIBERIVS Natione Romanus, ex patre Auguſto, ſedit annis 15. menſibus 4. ſub Conſtantio, Iuliano, Iouiano, Valentiniano, & Valente Imperatoribus, vſque ad annum 367. Hic a Conſtantio deportatur in exilium, eò quod noluiſſet hæreſi Arianæ conſentire: & fuit in Thracia exul vltra biennium. In eius autem locum ordinauerunt Felicem presbyterum venerabilem virum, qui facto concilio, inuenit duos Epiſcopos conſentientes Conſtantio Auguſto Ariano, nomine Vrſacium, & Valentem, quos damnauit in congregatione quadraginta octo Epiſcoporum. Poſt paucos autem dies, zelo ducti Vrſacius, & Valens, rogauerunt Conſtantium Auguſtum, vt reuocaret Liberium de exilio, & vna tantum communione participaret, extra ſecundum baptiſmum Rediens itaque Liberius de exilio, dum noluit Ariminenſem formulam approbare, per Valentem Epiſcopum Arianum, qui eam poteſtatem ab Imperatore acceperat, Roma expulſus fuit, & habitauit anno integro in cœmeterio Sanctæ Agnetis apud Conſtantiam, Domino Ieſu Chriſto fidelem, germanam Conſtantii Auguſti. Tædio autem exilii, & calamitatum, precibusque Auguſti inductus conſenſit ad ſubſcribendum Sirmienſi confeſſioni primę, ad condemnandum innocentem Athanaſium, & denique ad communicandum cum Arianis. Quare cum pompa maxima per Conſtantii miniſtros in Vrbem introducitur infelix, & ſibi vitæ ac morum turpiſsimam maculam inurit. Namque ſtatim ab eodem die cœpit perſecutio magna in clero, quod Liberium manifeſta communione Arianorum pollutum, atque adeo a Pontificatus functione plane alienum, vniuerſus Clerus Romanus auerſaretur, ſeque Felici vexillum fidei Catholicę extollenti coniungerent. Multi itaque presbyteri intra Eccleſiam ab Arianis necabantur, multique de populo Martyrio coronabantur; & qui Liberio non communicabant, non tantum ab Eccleſia, ſed etiam a balneis publicis abſtinebant; tum decreto Auguſti prohibiti, tum etiam ſponte ſua, vt qui ſcirent ex ſententia Ioannis Euangeliſtę, neque balnei lotione cum hęreticis participandum eſſe. Felix autem de Epiſcopatu depoſitus, habitauit in prediolo ſuo via Portuenſi; quod verò Conſtantium Imp. declaraſſet hęreticum, & ſecundo rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi, propterea capite truncatus eſt, 4. Kal. Auguſti. Lyberiusque poſt martyrium Felicis diuino illuminatus Spiritu, cum viciſsim Arianorum communionem pręſcidiſſet, Ariminenſis Conciliabuli formam reprobaſſet, fidei vexillum denuo erexiſſet, non modo a Clero Romano Præſul & Pontifex legitimus haberi cœpit; verum etiam turpiſsimam illam maculam vitæ ac morum ante contractam, omnino eluit, & tandem Anno Domini 367. ſanctiſsimè ex hac vita deceſsit. Sepultus via Salaria in cœmeterio Priſcillæ

A. D. 342. Conſtantij Imp. 16. Poſt interregnū 25. dierum iuſſu Conſtantij Imp. Pontificatū Eccleſiæ inuitus accepit. Tantuſq; Athanaſij defenſor & Arianorum hoſtis fuit, vt Conſtantius Imp. per victoriam Magnentij elatus, publico edicto ſub pæna exilij mādauerit; ne quiſpiam deinceps Athanaſium defenderet. Arianoſque à communione Eccleſiæ excluderet. Quod cum Liberius liberè vbiq; faceret furtim Roma Mediolanum adductus nullo modo Imperatori obtemperare voluit, poſtq; multos alios ex Mediolanenſi conciliabulo relegatos in Thraciam deportatur.

Spe recuperandæ priſtinæ dignitatis inductus in Arianā hæreſim prolabitur. Nihil tamen orthodoxæ fidei contrarium ſcripſit aut fecit. Sed potius Arianam hæreſim ad ſe reuerſus proſcripſit & pœnitentiam egit. magnopere exoptan; pro fide Nicæna martyrio coronari.

Vnde eum S. Amb Epiph & Baſilius beatiſſimum paſſim appellant. Et Syricius Papa epiſt. ad Hymericum, venerandæ memoriæ eundem prædeceſſorem ſuum neminat Vide Baron. an 355. num. 53 Qui hic Schiſma ſecundum ponit.

ſcillæ 5. Idus Septemb. Hic fecit ordinationes duas in Vrbe Roma per menſem Decembrem, presbyteros 18. Diaconos 5. Epiſcopos per diuerſa loca 19.

Scripta Liberij.

Scripſit, præter multas Epiſtolas ad diuerſos in negotio Orthodoxæ fidei directas, Acta de curatione, & lepra Conſtantini Imperatoris. Extat quoque apud Ambroſ. lib. 3. de Virg. eiuſdem integer quidam ſermo, quem habuit in conſecratione ſororis.

Hæreſes ſub Liberio.

Sub huius pontificatu exortę fuerunt hęreſes *Anomianorum*, qui Filium Dei, Patri diſsimilem eſſe docebant. *Macedonianorum* Spiritus Sancti diuinitatem negantium. *Maſſalianorum*, qui ex monachis exorti, cęteris omnibus neglectis, ſoli orationi ſemper vacandum eſſe docebant. Prętere Lucifer Calaritanus Epiſcopus, legationibus Pontificiis aliquoties functus, decretum Alexandrinę Synodi de lapſis Epiſcopis improbans factus eſt ſchiſmaticus, *Donatiſtæ* quoque per edictum Iuliani ab exilio reuerſi, funeſtiſſimas illas, quas enarrat Optat. lib. 2. altarium demolitiones, calicum confractiones, & direptiones, clericorum & laicorum plurimorum trucidationes, virginum, & matronarum raptationes, horrendas denique Sacramentorum omnium violationes patrarunt. E quibus illud memorabile, quod ſacra Euchariſtia canibus proiecta, ijdem canes accenſi rabie, ipſos dominos ſuos, quaſi latrones ſancti corporis reos, tanquam ignotos, & inimicos, dentibus ſuis laniaueriut. Quodque ampullam chriſmatis, per feneſtram vt frangeretur iactatam, manus Angelica ita ſuſtinuerit, vt inter ſaxa illæſa conſederit.

Donatiſtarũ impia crudelitas.

Tria crimina. Athanaſio obiecta, Primum quod poſt Maximinum Treuirenſem & Seruatium Tungrenſem legatos Magnentij hoſpitio exceptos. aduerſus Conſtantium Imper ad Magnentiũ ſcripſiſſet Secundo quod Alexandriam reuerſus Baſilicam à Conſtantio extructam citra ipſius iuſſum conſecraſſet. Tertio quod per litteras Imp. in Italiam euocatus venire recuſaſſet.

Primum Concilium ſub Liberio habitum eſt Romæ initio ſtatim Pontificatus illius Anno Chriſti 352. hanc ob cauſam Ariani audita morte Iulij & ſuffectione Liberij, Concilium habent in Oriente, ex quo dant litteras ad Liberium, quibus Catholicæ vnitatis communionem ab eo expoſcunt, atque Athanaſio noua crimina impingunt. E contra ſeptuaginta quinque Epiſcopi Aegyptij crimina illa, & calumnias in Athanaſium excogitatas luculentiſſime literis ſuis refellunt. Liberius vtrinque his literis acceptis Epiſcopos conuocat, & re vtrinque benè trutinata, totum quod Ariani volebant, negat. Et ne eiuſmodi occaſione Conſtantius Imperator in Romanam Eccleſiam graſſandi anſam arriperet, decernit legationem ad ipſum, de cogendo Aquileiæ Concilio. Verum cum Magnentianum bellum impedimento eſſet, quo minus hæc pertractari poſſent, ad annum ſequentem, poſt expugnatum Tyrannum, legatio dilata fuit.

Ex hoc conuenticulo Arianorum inter alios fuerunt in exilium miſſi Paulinus Treuirenſis & Lucius Anneus Moguntinus Epiſcopi in Phrygiam, quorum poſterior anno ſecundo exilij ſui Arianorum inſidijs ſtrãgulatus eſt.

Secundum Concilium ſub Liberio Arelatenſe, ab Arianis celebratum, qui non auſi de fide certare cum Catholicis, hoc vnum ab eis expoſcebant, vt Athanaſii condemnationi ſubſcriberent. Cum enim Liberius Papa anno ſuperiore Arianos cum ſimplici negatione, ad eorum poſtulata nil penitus concedendo, abſoluiſſet, audito hoc Conſtantius in furorem exarſit, & vt ab omnibus Epiſcopis Athanaſius condemnaretur, ipſique ijdem Ariani in communionem acciperentur publico edicto mandauit. A quo furore vt eum Liberius Pontifex placaret, atque perſecutionem cum Athanaſio vniuerſæ Eccleſiæ imminentem anteuerteret, legationem præcedente Romano Concilio decretam ad eum Arelate agentem ablegauit. Duo legationem illam obibant Vincentius, & Marcellus Campaniæ Epiſcopi. Vincentius decretum Conciliabuli coactus ſubſcripſit, Marcellus cum aliis Catholicis Epiſcopis in exilium miſſus.

Plurimi Catholicorum Epiſcoporum condemnatione Athanaſij bellum Eccleſiæ ſopitum fore ſperantes ſubſcripſerunt Arianorum decreta, cumq; ipſis cõmunicarunt Sed ſanior pars Euſebium Varcellenſem Epiſcopum

Tertium Concilium Mediolanenſe, Generale, ſed reprobatum. permiſſu Conſtantii Imperatoris à Liberio Pontifice indictum, ad auertendam ab Eccleſia imminentem perſecutionem, quod Conſtantius promulgato edicto ſub pœna exilii ſubſcribere condemnationi Athanaſii omnes Epiſcopos iuſſiſſet. Congregatis igitur trecentis & amplius Epiſcopis, nomine Sedis Apoſtolicæ reſidebant legati, Lucifer Epiſcopus Calaritanus, Pancratius Presbyter, & Hilarius Diaconus. Cumque in eo conuentu omnia Arianis concederentur, præ-

præſente cum ſatellitio hæretico Imperatore, & ſancirentur Catholicorum degradationes, concilio ab Eccleſia ad palatium translato, nemoque Orthodoxorum ſubſcribere damnationi Athanaſii vellet, Imperator ſurgens clara voce dixit, *Ego Athanaſij accuſator ſum, meo nomine illis* (qui calumnias in Athanaſium adferebant) *credite*, Igitur reclamantibus plurimis, datur Arianis poteſtas quiduis in Athanaſium pro arbitratu ſuo conſtituere, Recuſantes verò ſubſcribere ſententiæ condemnatoriæ, relegantur in exilium. Quod vt Liberius Pontifex inaudiuit, epiſtolam Encyclicam ad omnes Confeſſores exules miſit, qua gloriam illorum laudans, conqueritur ſe cum ipſis eſſe non poſſe. Sed ſuaſu Arianorum, Euſebium Spadonem Præfectum cubiculi Imperator cum donis & literis ad eum mittit, quo blandiendo & minando ſubſcriptionem Concilii malignantium ſubſcribere vellet. Cumque recuſaret, Leontius Vrbi Præfectus, medio noctis eum furtim abduxit, & Imperatori ſtatuit; habitoque cum illò prolixo colloquio Imperator cum in partes ſuas pertrahere non poſſet, ad vtimum in Thraciam deportari mandauit. Et his relegationibus, & exturbationibus Epiſcoporum necdum contentus, ſcripſit ad omnes Rectores Prouinciarum, vt Orthodoxos tam clericos quam populos, qui Arianorum communionem deteſtarentur, vi ad communicandum cum illis impellerent.

ſecuti, ne condemnatione Athanaſij fidem quoque Nicænam damnare viderentur, ſubſcribere noluerunt Alij virgis etiam cæſi fuerunt, priuſquam in exilium relegarentur Liberio verò Pontifici Imp. mille aureos in ſumptus exilij obtulerat quos ille ſtatim cum hac exprobratione remiſit. Tu Eccleſias Orbis expilaſti, et iam mihi vt damnato & egenti affers eleemoſinam? Abi primum & Chriſtianus ipſe fias.

Quartum Concilium ſub Liberio, Byterrenſe, ab Arianis conuocatum hac ex cauſa. Cum Epiſcopi fama celeberrimi ob fidem Catholicam in exilium acti eſſent, iamque ſatis Arianorum perſecutio aduerſus Eccleſiam Catholicam declarata eſſet, Hilario auctore Epiſcopi Gallicani in vnum conuenientes; edito decreto, ſe mutuo conſenſu a communione Saturnini Valentis, & Vrſacii ſepararunt, addentes excommunicationis ſententia feriendos eſſe, qui ad vitandam eorum communionem admoniti, ſententiæ Epiſcoporum Catholicorum non obtemperarent. Quod cum inter alios Arianos, Saturninus Arelatenſis Epiſcopus iniquo animo ferret, indignum iudicans ſe ab Epiſcopis ſuæ prouinciæ communicatione excludi, & Anathemati traditum ab omnibus euitari; fauore Conſtantij egit, vt in ſua Diœceſi prope Arelatem Byterris Concilium cogeretur, ad quod vi Præſidum, Catholici Epiſcopi venire compellerentur. Conuentu verò coacto. S. Hilarius timens, ne Ariani, quod alias antea fecerant, ſimulatè ſub mentito *Subſtantiæ* nomine, ſimplicitatem plurimorum Orthodoxorum Epiſcoporum circumuenirent, libellum legendum obtulit, quo Arianorum latebræ, eorumque doloſæ inſidiæ, ac blaſphemæ hæreſes omnibus innoteſcerent. Sed Ariani librum illum legere non permiſeruut, Hilariumque ipſum in exilium relegarunt.

Conciliabulum iſtud celebratum eſt, Anno Chriſti 356. Liberij 5. Conſtantij vero vigeſimo.

Quintum Concilium Syrmienſe auctoritate Imperatoris indictum, in quo Ariani Photinum Sardicenſi Concilio damnatum, quod Chriſti diuinam natiuitatem negaret, ſe pios Catholicos, & hæreticis aduerſarios oſtendere volentes, iterum damnarunt, quamuis ipſi credendo parum aut nihil à Photinianis differrent. Editaque aduerſus eum fidei quadam formula, (quæ ſi nomine conſubſtantialitatis non caruiſſet, nullo modo culpari potuiſſet) quam deinceps Liberius vti Catholicæ veritati conſentientem, per vim, & minas ſollicitatus ſubſcribens Athanaſium condemnauerat, cumque Arianis, vt ſupra retuliſmus, deceptus communicauerat, ab exilio ita liberari cupiens. Cæterum Ariani veteratoriæ & per ſummam ſimulationem omnia agendo, mox aliam fidei formulam primæ plane contrariam ediderunt, in qua aperte docuerunt, Dei filium non Deum de Deo, ſed creaturam ex nihilo vel ſaltem ex creatura genitum eſſe. Eaque non contenti, adhuc tertiam fidei confeſſionem conſcripſerunt, quam Conſtantius publico edicto promulgauit, ſecundam verò tanquam blaſphæmam abdicauit & improbauit.

Sirmium Vrbs Pannoniæ inferioris vbi Imp. Concilium Oecumenium celebrari voluit: Pontifice Liberio tunc in exilio in Thracia exiſtẽte vbi trecenti & amplius ex occidẽte Epiſcopi interfuerunt præter orientales. Sed quia Ab Arianis præualentibus regebatur ideo ab Eccleſia reprobatum eſt.

Conciliabulum hoc celebratum eſt. Anno 357.

Sextum Concilium Ancyranum celebrarunt Semiariani Orientales ſecundam illam ac perfidam Sirmianam confeſſionem fidei deteſtati, qui Sirmio recedentes in Aſiam, migrarunt, atque Ancyræ in Galatia An. Dom. 158. conuene-

Semiariani dicebantur, qui Arij nomen deteſtati, diuinam in Filio Dei ſubſtantiam vtrumque

ſpecietenus confitebantur quia tamen vocem conſubſtantialitatis non recipiebant, Nicænumque Symbolum explodebant Semiariani nominabantur

Ariminum Vrbs Æmiliæ in Italia. à flumine propinquo eiuſdem nominis ſic dicta.

uenerunt, ibique ablegatum a Filio Dei *Subſtantiæ* nomen reſtituentes, impia ſtatuta ſecundæ confeſſionis ac formulæ planè condemnarunt, Filiumque Dei ſecundum ſubſtantiam Patri per omnia ſimilem eſse aſseruerunt.

Septimum Concilium Ariminenſe, Oecumenicum & vniuerſale, atque approbatum. In quo 400. Epiſcopi, omnes ferè Catholici, Arianis confeſſionibus reiectis, Nicænam fidem confirmarunt. & Arianos ferè omnes, præcipuè autem Vrſacium, & Valentem cum ſocijs eorum, qui aderant præſentes, communi concordique ſententia condemnarunt Anno Domini 359. Liberij 8. & Conſtantij 29. Qui diuiſos inter ſe Arianos conciliare volens, Concilium hoc vniuerſale Nicomediæ congregare intendebat: verum vrbis illius prodigioſo interitu impeditus (terræmotu enim inſperato abſorbta fuerat) in duas congregationes illud diuiſit, ſtatuens vt Occidentales Arimini, Orientales verò Seleuciæ in Iſauria conuenirent, eo nimirum fraudulento Arianorum conſilio, vt Orthodoxi loco diuiſi, animis & votis inter ſe diuiderentur, & quia facilius eſse putarent, paucioribus, quam ſimul omnibus imponere. Arimini itaque congregati Patres, nihil de Orientalibus, ſicut per literas Imperator petiuerat, ſtatuentes, Arianam hæreſim, vti diximus, cum ſuis ſectatoribus damnarunt, atque reiectis alijs formis ſeu formulis fidei ab Arianis compoſitis, vnicum duntaxat Nicænum fidei Symbolum comprobarunt: atque decem legatos cum Epiſtola Synodica ad Imperatorem, vti iuſserat, miſerunt, vt ab ijs de rebus in Concilio geſtis informaretur. Ariani quoque totidem ex ſuis ablegarunt, qui Catholicos anteuertentes, falſis ſuis relationibus aures Imperatoris præoccupauerunt, idque ſuo more effecernnt, vt neque Catholici legati apud comitatum, neque Patres Concilij ante expeditionem contra barbaros tentatam, Arimino diſcedere permiſſi fuerunt. Abeundi licentiam per literas reſponſorias ad eum reſcriptas, illi quidem poſtularunt; ſed nihil tamen impetrarunt: ideo, quod ab expeditione barbarica reuerſus conſtituiſset, omnes omnino Catholicos Arimini congregatos per vim, & tormenta adigere, vt eam, quam Ariani alibi, ſub nomine Ariminenſis Concilij formulam fidei vulgatnri erant, omnes ſubſcriptione ſua firmarent. Interea Ariani Epiſcopi, qui Nicææ Thraciæ iuſſu Imperaroris nouam fidei formulam, ex eiuſdem Conſtantij ſententia, ſub Nicæno nomine vulgatam ediderunt, & ad perfidiam hanc ſubſcriptione ſua approbandam non tantum legatos Adrianopoli, & Epiſcopos reliquos Arimini detentos verum etiam omnes pene totius orbis Antiſtites, metu exilij & tormentorum per vim induxerunt, (præter Liberium Pontificem, Seruatium Tungrenſem, aliosque 18. Epiſcopos fortiter reſiſtentes) poſt legitimam Synodum, multis ante menſibus abſolutam. Quo facto, acta huius perfidiæ ſuæ & tyrannidis veram Ariminenſem Synodum nominarunt, ſummisque præconijs extulerunt, vt Concilium orthodoxnm, & legitimum vel abolerent, vel ſaltem (quod etiam tempore Sardicenſis Concilii fecerant) eius gloriam obſcurarent.

Imperator Conciliū Generale ſuaſu Arianorū in duos conuentus diuidit. in Seleucienſem & Ariminenſem.

Legati catholicorum Adrianopoli detenti reditū Conſtantij ab expeditione bellica expectarunt.

Fraus & perfidia Arianorum.

Gaudentius Ariminenſis Epiſcopus quia ſubſcribere voluit, per milites fuſtibus & lapidibus appetitus glorioſe martyrio occubuit.

S. Hilarius Epiſcopus Pictaniensis quartum annum egens in exilio in Phrygia euocatus ad hoc concilabulum fuit, tuius doctrinam Catholicā Ariani Sabellianam hæreſim appellarunt, & reiecerunt, in ſua impiotate persiſtentes.

Octauum Concilium *Seleucienſe* celebratum ab Orientalibus tempore eodem. vti ſupra diximus, quo & Ariminenſe ab Occidentalibus. In quo circiter centum ſeptuaginta Epiſcopi comparuerunt; partim Acaciani, id eſt, Aetianorum conſortes, Chriſtum omnis cum Patre ſubſtantiæ expertem impiè tradentes; partim Semiariani, diuinæ cum Patre ſubſiantiæ ſuo quodam ſenſu aſſertores. Concilio intererant duo Comites ab Imperatore miſsi, in quorum præſentia, Semiariani formulam fidei in Encæniis Antiochiæ conſtitutam, retinendam eſſe ac ſubſcribendam definierunt. Quibns dum Acatiani contradicerent, Semiariani eos condemnarunt tanquam impios; & abſentibus excommunicatis, reliquos omnes Arianos ſedibus ſuis abdicarunt; damnati verò ad Imperatorem Conſtantinopolim reuerſum appellarunt, nouamque Synodum ibidem congregari pro voto impetrarunt. Hæc ex Socrat Athanaſ. & Seuero Baron. an. 359. nu. 61. & ſeqq.

Nonum

Nonum Concilium Constantinopolitanum Præsente Constantio celebratum, eo tempore, quo Arimini Patres Occidentales Concilio absoluto, illic inuiti detinebantur. Noua igitur fidei professio Constantinopoli scripta missa fuit ad eos, vt vel subscriberent eam, vel in exilium relegarentur. Professionem verò hanc Semiariani detestati, heresis suæ auctorem Aetium & Arianos condemnarunt, vicissim ab illis condemnati Interea dum hec Constantinopoli agerentur, Arimino alia fidei formula Constantinopolim adfertur, cui omnes Episcopi etiam orientales Seleuciensis Synodi iussu Constantij subscripserunt. Resque risu digna erat, quod iidem Episcopi, eodem prope tempore duplici fidei diuersæ, Constantinopolitanæ & Ariminensi subscripserint. Quarum alteram in Oriente, alteram in occidente Imperator obseruari voluit.

Quinquaginta Episcopi huic Cōciliabulo aderant & in rebus fidei ab Imperatore dependebant nō Imp. ab illis.

Decimum Concilium Antiochenum, quo ab Arianis Meletius Episcopus Antiochenus sede depositus est, anno Constantij 24. qui est Christi 360. qui è numero Semiarianorum existens, ad Arianos defecerat, & ab Eudoxianis & Acatianis post aliorum Semiarianorum depositionem, in Conciliabulo Constantinopolitano factam, in sedem Antiochenam introductus, preter spem & opinionem eorum, Dei nutu ac singulari prouidentia, Niceni Concilij fidem publicę, tanto zelo & orthodoxæ religionis ardore predicaret, vt dum ipsius contionantis, os Archidiaconus manu obstrueret, digitos ille primo tres, deinde vnum proferens, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate doceret: iussusq; ab Imperatore recantare palinodiam recusaret. Quare eiusdem Imperatoris mandato depositus, & in exilium eiectus fuit. Acaciani verò rursus nouam fidem, eamque omnium deterrimam, Constantio & Acacio auctoribus condiderunt, qua Filium Patri substantia & voluntate dissimilem, atque ex nihilo ortum esse statuerunt, sicut Ario ab initio placuerat.

Constantius per triginta annos Arianos promouens, Christo Domino diuinitatem adimere conatus est. tandem mortuus finem turbarum fecit, cum in Gallijs Iulianus à militibus acclamatus Imperator; regnum illi eripere quantumlibet inuitus cogitabat.

Meletius ab Arianis promotus preter spem illorū Nicænam fidem publicè predicat; & in exilium contra pacta religatur.

Vndecimum Concilium Alexandrinum, de lapsis recipiendis, sub Liberio celebratum & approbatum. Cum enim post occisum Geogium Cappadocem Alexandrinę sedis inuasorem, Athanasius à tertio exilio, & quinquennalibus latebris Alexandriam reuersus, magnoque omnium gaudio & applausu exceptus fuisset, hortatu & auctoritate Liberij Pontificis Concilium indixit: tum vt Ecclesiam suam ab Arianæ heręseos inquinamentis ac sordibus expurget; tum vt inter eos qui dissidebant pacem conciliet, atque tyrannide oppressos liberet; adeoque statum Ecclesię Catholicę, dira multorum annorum persecutione collapsum restituet atque reformet. Pontificis legatione functuri. Eusebius Vercellensis & Lucifer Calaritanus Episcopi præsto fuerunt. Statueruntque cum patribus Aegypti, aliarumque Ecclesiarum, vt Episcopi per ignorantiam vel tormenta, in heresim lapsi, cum ad Catholicam Ecclesiam reuerterentur, in eodem honoris gradu, quo insigniti fuissent, reciperentur. Sin verò hæreseos auctores fuissent, præuia pænitentia, ablatis honoribus, laica communione impertirentur. Secundo, aduersus Eunomium, Macedonium, & Semiarianos, Spiritus Sancti diuinitatem negantes; nec non recens emergentem heresim, quę postea dicta est Appollinaris, perfectam Christi incarnationem diminuentem, animam nimirum ab humanitate Christi detrahentem, noua decreta sanxerunt. Tertio, controuersia illa grauis, & periculosa, de nominandis in Sacrosancta Trinitate suppositis, inter Grecos, & Latinos exorta, feliciter admodum sopita fuit: vt deposita tandem controuersia nominum, Gręci Personę vocabulum pro hypostasi vsurparent, & & vicissim Latini, hypostasin pro persona dicerent. Quarto demum hac eadem synodo Alexandrina declaratum est, professionem illam fidei, ab Arianis titulo Sardicensis Concilij promulgatam, spuriam, & surreptitiam esse, atque ad Nicenam confessionem in Sardicensi Concilio nihil additum fuisse; Quod cum Athanasius per rescriptum Liberio Pontifici Romano significasset deque omnibus in hac Synodo gestis certiorem eum reddidisset, de iisdem prius ad Antiochenos, post ad Orientales omnes Synodicam Epistolam misit. Vide Baron. ann. 362. num. 176. & seqq.

Anno Christi. 362. Iuliani Imp. 2. quo nondum expleto interijt Iouianus vero ab exercitu Imperator salutatus crastina die ab obitu Iuliani statim restituit libertatem christianis. Et cum omnes alios Episcopos, tum ante omnes Athanasiū ab exilio reuocauit, vt primum Imperium adeptus est.

Et cum trifariam essent diuisi tunc tēporis Christiani hæresiarcharum impietate grassante, & multi circa Filium. pluresq; circa Spiritum sanctum ægram fidem haberent, Athanasius primus vnam trium personarū diuinitatem & essentiā scripto confessus est. librumque illum donum verè regium Imperatori Iouiano obtulit. quod ipse imperator per litteras ab eo postularet, vt se fidem Catholicam edoceret. In sacro igitur Episcoporum consessu librum illum legit, & communi consilio eum Imperatori misit.

Duo-

Post Hilarium An. Christi 362. ab exilio reuersum, in Gallia frequentia Concilia habita fure in quibus quid actũ fuerit. Epistola huius Parisiensis Concilij Synoidca, indicat.

Duodecimum Concilium Parisiense.

In quo Orientalium error, aduersus Nicenam fidei professionem, in diuersis Synodis comprobatus, vna cum suis auctoribus, nomen Consubstantialitatis in Filio Dei proscribentibus penitus condemnatus est. Resistebat sanis consiliis Saturninus Arelatensium Episcopus, vir sanè pessimus, & ingenio malo prauoque: verum etiam pręter heresis infamiam, multis atque nefandis criminibus conuictus, Ecclesia eiectus est.

Anno Christi 363. Liberij 12. Iouiani Imp. 1.

Tredecimum Concilium sub Liberio Alexandrinum II.

Cum Ariani libellum suę professionis Iouiano obtulissent, respondit. Ego contentionẽ odio prosequor, eos vero qui concordiæ dediti sunt, complector amore, veneror q.

Ab Orthodoxis celebratum. Athanasius enim postquam Inlianum defunctum, exulesque Episcopos à Iouiano per edictum reuocatos esse audi uisset, literasque Imperatoris, fidem doceri petentis accepisset, citra omnem moram primarios Aegypti, Thæbaidis ac Lybię Episcopos Orthodoxos sibi subditos ac hanc Synodum Alexandrinam conuocauit, vt scriptum Catholicæ fidei libellum euestigio ad nouum Impetatorem mitterent, ne ille (quod Constantio accidit) ab hæreticis præoccupatus, in impietatrm transuersus penitus ageretur. Quo Imp. per lecto in fide Orthodoxa confirmatus, non recedendum à Patrum fide existimauit.

Cum Principes sunt Orthodoxę fidei defensores heretici rubore suffusi aut silent aut procul abscedunt aut denique palinodiam canunt.

Quatuor decimum Concilium sub Liberio Antiochenum II.

Per Meletium Orthodoxum à 27. Episcopis celebratum, qui licet omnes Ariani, aut Semiariani fuissent, metuentes tamen Imperatorem, ne ab illo sedibus suis eijcerentur, Nicænam fidem absque altercatione in medium prolatam, recitatam ac recognitam, communi suffragio omnes ad vnum comprobauerunt, suoque eam chirographo munitam ad Imperatorem Iouianum transmiserunt.

Lampsacus est vrbs in angusto Hellesponti sinu posita, vbi Conciliabulum istud celebrarunt heretici sub præside Catholico. An. Christi 364.

Decimumquintum Concilium Lampsacenum.

Socrates lib. 4. cap. 4.

A Semiarianis aduersus Arianos celebratum, sed reprobatum, quod Spiritus Sancti diuinitatem, ex sententia Macedonij, suis decretis, alias bonis apposuissent; simulataque Nicænæ fidei professione, communionem Liberij per legatos petiissent. Sed nec Pontificis communicatorias, nec aliorum Episcoporum Epistolas impetrarunt. Quinimo contrarium à Sede Apostolica sua impietati mandatum retuletunt, quo præcipiebatur, vt ijdem, qui ante sedibus suis exspoliati fuerant, post habitam Catholicæ fidei professionem suis Ecclesijs restituerentur. Valentinianus Cæsar ad Concilium istud per legatum Hypotianum Heracles Episcopum inuitatus, adque indicendam authoritate regia Synodum sollicitatus, pręclare responsum dedisse fertur. *Sibi*, inquiens, *non licere eiusmodi negotijs se interponere, qui vnus è laicorum numero esset. Et ideo Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, vbicumque ipsis libitum fuerit, in vnum coueniant.*

Decimumsextum Concilium Sicilianum.

Volens Liberius Episcopos Orientis ad sanam mentem reuocare dederat alias literas legatis Lampsacenis de restitutione Episcoporũ, quarum auctoritate suas singuli receperunt sedes Episcopales.

In quo Eustathius Sebastenus, cæterique legati Lampasaceni fidem consubstantialis se seruare confitentur, fideique formulam in Nicæno Concilio confirmatam ratam faciunt. Baron. Anni 365. nu. 16.

Decimumseptimum Concilium Illyritanum;

Anno Christi 365 Liberij 14. Valentis Imperat. 2.

Liberius enim Pontifex propter confessionem fidei a legatis Orientalibus emissam, sperans vniuersum Orbem Christianum sub vna fide Catholica, & Nicæna fidei professione redigendum, prædictis Orientalibus, Elpidium Romanæ Ecclesiæ presbyterum legatum, adiungit; qui antequam in Orientem abiret, vniuersam, Occidentalem Ecclesiam de fide Catholica Orientalium ad Ecclesiam redeuntium, certiorem reddidit. Episcopi igitur in Illyrico hac occasione conuenientes, principio fidem Nicænam, paucis exceptis, omnes confessi fuerunt; atque ea de re per Elpidium ad Orientales Synodicam scripserunt, cui Valens quoque Imperator suas addidit. Episcopi quoque Italiæ Illyricis, quod fidem Nicęnam recepissent, per litteras gratulati fuerunt.

Deci-

Decimum octauum Concilium Tyonense

Catholicorum, in quo Eustathius Episcopus Sebastiæ, cum alijs collegis à Synodo Lampsacena ad Liberium Pontificem & alios Occidentis Episcopos in legatione missus, in Orientem rebus ex animo confectis reuersus, Liberij Pontificis, aliorumque Occidentalium Episcoporum communicatorijs epistolis ostensis, & recitatis, primus se obtulit ad professionem fidei Nicænæ: simulque iuxta mandatum, & speciales literas Romani Pontificis hac de re scriptas, in sedem suam restitui petijt. Episcopi verò omnes Tyanæ congregati, primæ sedis auctoritatem reueriti, non modo eum Catholica communione dignati fuerunt, sed etiam in sedem, à qua Acatianorum sententia deiectus fuerat, restituerunt. Receptus autem, sedique pristinæ restitutus, statim relapsus est, patrocinabaturque hæresi illorum, qui Spiritum Sanctum spoliabant diuinitate. Patres verò Orthodoxi Tyanæ congregati, magnam ex literis Liberij Pontificis capientes lætitiam scripserunt omnibus Ecclesijs, vt pro confirmatione vnionis cum Occidentalibus, dum adhuc ver esset, Tarsi Ciliciæ in vnum conuenirent.

Tyane est ciuitas Cappadociæ ad radices Tauri montis posita.

Eustatius suceptus restitutusque in sedẽ suam, relabitur ad heresim Arianam.

Decimum nonum Concilium Arianorum in Caria,

In quo Valens Imperator hactenus Catholicus, bono consilio salutarem baptismum expetens, vxoris Arianæ blanditijs, ad Arianos transierat, & ab Eudoxio Constantinopolitano Arianorum nequissimo baptizatus, ab eodem iuramento obstrictus fuerat, vt in impio suscepto dogmate perseueret, & diuersa sentientes, vbique Ecclesijs eijciat. Cum itaque eius impulsu iniquo furore, non tantùm Catholicos, sed etiam Nouatianos, Macedonianos, & Semiarianos exagitaret, & persequeretur, imprimis Concilium quod in Cilicia expectabatur, partim literis, partim minis diremit. Ariani verò eam occasionem captantes, nouas Synodos indicere, & congregare cœperunt.

Valent Imp. in gratiam vxoris Arianæ hæresim profitetur & promouet Catholicos verò opprimit, & alios sectarios similiter.

Vigesimum Concilium Arianorum Singediminum in Mysia,

Quod Valens, & Vrsacius Arianorum fœces, vna cum collegis suæ perfidiæ, aduersus Semiarianos habuerunt, tentantes eos inducere ad approbandum formulam Ariminensem, & Constantinopolitanam, qua Filius Patri tantum absolutè similis esse dicitur. Atque in eum finem ad Germinium Semiarianum epistolam ipsi scripserunt, ab eoque responsorias acceperunt, vt eo valentius Valente Imperatore in partes suas pertracto, Catholicos exagitarent.

Anno Christi 367. Liberij 15. Valentis Imp. 3. qui inexplebili auaritia ac blasphamia laborans, rebusque præterea feliciter gestis elatus, omnes ad sectam Arianam traducere cupiebat.

FELIX II. Natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annum vnum, menses tres, dies tres. Hic Liberij Diaconus fidelis, & Catholicus fuit. Suffectus verò in locum Pontificis sui Liberij exulantis, ab Arianis Ecclesiam Dei turbantibus, Sedem Apostolicam velut Chorepiscopus legitime tenuit, Liberio pro fide exilium sustinente; Cum autem Liberius tædio exilii consensisset præceptis Augusti, & confessionem Arianorum (communicans cum illis) Sirmianam primam, Athanasiique condemnationem subscripsisset, Felix legitimus tunc Pontifex factus, Constantium Imperat. Vrsacium, Valentem, aliosque Arianos excommunicando, vexillum fidei ipse erexit; & pro hoc ab eodem Constantio Constantini Augusti filio, martyrio coronatus, & capite truncatus est. Hic fecit Basilicam via Aurelia milliario ab Vrbe secundo, quum Presbyterii honore fungeretur; & ad eandem Ecclesiam, emit agrum circa locum illum existentem, pro vsibus Sacerdotum. Fecit ordinationem vnam per mensem Decembrem, presbyteros 22. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca 19. Martyrium passus est cum multis Clericis, & fidelibus occultè iuxta muros vrbis, ad lacum Traianum, tertio Idus Nouemb. Corpus eius raptum à presbyteris & clericis noctu, cum Damaso presbytero, & sepultum est in Basilica supradicta, quam ipse via Aurelia construxerat. Post eius obitum non est alius suffectus in Pontificatum, sed post dies 38. Liberius abrupta penitus, quæ recipiendæ sedis causa intercesserat, Arianorum communione, ab omnibus legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, vt fuerat ante cognitus, receptus est.


A.D. 367. Valentiniani & Valentis Imp. 4.

An. Christi 1582. tempore Gregorij XIII. diu multumque inter viros doctos, ad corrigendum Martyrologium deputatos, dubitatum fuit, deberetne hic S. Felix in emendatum Martyrologium referri. Interea arca marmorea in Basilica SS. Cosme & Damiani 28. Iulij pridie nimirum eius diei quo celebrari solebat memoria huius Felicis Papæ, inuenta est cum hac inscriptione, antiquis characteribus marmori incisis Hic iacet corpus Sancti Felicis Papæ & Martyris, qui Constantium hæreticum damnauit. *Quam inuentionem cum omnes non immerito diuinitus contigisse crederent suã quam de nominis illius expunctione conceperant*

 Scri-

sententiam meritò retractarunt, eamque in maiorem Martyris gloriam commutarunt.

Scripsit Epistolas duas ad Episcopos Aegyptiorum, Thebaidorum, Libyoruuque in Sancta Alexandrina Synodo sub Athanasio congregatos, de patienti sufferentia persecutionum & tribulationum, n quibus multa decreta reperiuntur, descripta in volumine Decretorum Pontificiorum.



LIBER V.



IBERIO Pontifice, quem S. Basilius Magnus, beatissimum virum nominat, (omnem siquidem maculam, quam olim exul Arianorum ad tempus communione, non autem hæresis prauitate, contraxerat, posteriori illa confessione, tempore Concilij Ariminensis prorsus deleuerat & obliuione sepeliuerat) quarto anno Valentis, & Valentiniani Impp. defuncto, dum alij ex parte Felicis, alij verò ex parte Liberij conarentur ordinare Pontificem, cæpta olim in Clero Romano dissensio, ex substitutione Felicis, iterum nouæ electionis occasione recruduit. Et maior quidem saniorque pars, sexta die ab obitu Liberij, in eius locum subrogarunt Damasum Hispanum die 15. Septembris, Pars autem aduersa, vna cum Diaconis Romanę Ecclesiæ conspirans, occupansque Basilicam Sicinini, creauit Pontificem Vrsicinum diaconum, quo factionis Damasi primores cum plebe proccurentes tumultum in Basilica exicitarunt, in quo multi mortales ex vtraque parte perierunt, efferatamque diu plebem ægre postea delinitam scribit Ammianus. Plebs eum incitata falsa spe Martyrij, libens volensque se in militum gladios immittebat, classicum clangentibus schismaticis, tempus esse martyrij, nec timendos eos, qui corpus occiderent; Nec vnius anni spatio turbæ istæ durarunt, sed decem & octo annis, vt inquit Baronius quoad vixit Damasus, nunquam destitit pertinacia schismaticorum, quantum ipsis licuit, eundem sanctum Pontificem grauiter exagitare.

Ammianus lib. 27. Rufinus lib. 1. cap. 10.

Res Damasi, & Vrsicini publicis iudicijs sæpe discussæ ac Ventilatæ, adeo exploratæ sunt redditæ atque perspicuæ, vt Imperatores ipsi sæpius ad Vrbis Præfectum pro Damaso aduersus Vrsicinum eiusque gregarios rescripta dederint.

DAMASVS Itaque Natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annos 17. Menses tres, sub quinque Imperatoribus Pontificatum administrans, nimirum sub Valentiniano seniore. Valente, Gratiano, Valentiniano iuniore, & Theodosio seniore. Hic fecit basilicas duas, vnam iuxta theatrum Sancti Laurentij, & aliam via Ardeatina, vbi requiescit intra Catacumbas, vbi iacuerunt corpora Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. In quo loco dedicauit platoniam ipsam, vbi iacuerunt corpora sancta, & versibus exornauit. Hic multa corpora Sanctorum requisiuit, & inuenit: quorum etiam conchylia atque sepulchra versibus declarauit & adornauit. Hic inuidiosè à schismaticis accusatus, ac criminatus de adulterio,, facta Synodo, purgatus est a quadraginta quatuor Episcopis, qui etiam damnauerunt Concordium, & Calixtum Diaconos accusatores eius, & proiecerunt de Ecclesia. Hic constituit, seu verius, restituit consuetudinem illam, conueniendi ad Ecclesiam, & diu noctuque psallendi, ab Apostolis deriuatam, ab hæreticis verò improbatam, & negle-

Anno Domini 367. Damasus 37. Pontifex Romanus constitutus. Vrsicinus verò paulo post sub contentione ordinatus vrbe eiectus iussu Imp. & in Gallias relegatus.

Valentiniani & Valentis Impp. 5.

Platonia est pauimentum tabellis marmoreis varijs figuris decorè stratum.

Hic Pontifex instituit vt sacerdos Confessionem generalem ad altare accedens dicat; &

gle&am, tempore turbarum præſertim, & exagitationis. Hic fecit ordinationes in Vrbe Roma quinque, per menſem Decembrem, presbyteros 31. Diaconos 11. Epiſcopos per diuerſa loca 62. Qui etiam ſepultus eſt via Ardeatina, in Baſilica ſua, quam multis donarijs ornauerat, tertio Idus Decembr. iuxta matrem ſuam, & germanam. Et ceſſauit Epiſcopatus dies 31.

Scripſit Epiſtolas Decretales ſeptem, ad Epiſcopos Orientis, & Africæ, & Hieronymum presbyterum, in diuerſis materiis.

Primum autem Concilium ſub Damaſo

Celebratum Romæ, in quo Vrſacius & Valens Ariani damnati ſunt, ſtatim initio Pontificatus illius, totique orbi terrarum per litteras Pontificias denunciati.

Secundum Concilium Romæ celebratum.

In quo Auxentius Mediolanenſium Epiſcopus Arianus, homo ne Romanæ quidem linguę, ſed tantum hæreſeos peritus, ingenio vafer, ſerpens veternoſus & callidus depoſitus eſt; & ad Illyrici Epiſcopos, quos ille magna ex parte ſeduxerat Synodalis Epiſtola miſſa, qua Auxentium Pontificia & Synodali ſententia condemnatum & excommunicatum deuitare, & ſub pœna excommunicationis & depoſitionis ad Catholicam veritatem redire monentur. In hac eadem Synodo Vrſicinum Schiſmaticum, crebrius in Damaſum ſtudia renouantem, rurſus damnatum fuiſſe conſtat ex Epiſtola Valentiniani Imp. apud Baran. An. 369.

Tertium Concilium Romę ſub Damaſo celebratum.

In quo cum ipſa hęreſi, hæreſis auctor Apolinaris, Vitalis & Timotheus (omnes presbyteri Eccleſiæ Antiochenæ) eiuſdem diſcipuli ac ſectarij condemnati ſunt. Quod Damaſus Epiſcopis Orientalibus, per litteras ad eos ſcriptas ſignificauit. Nam & Millenariorum antiqua hæreſis per Apollinarem reſtaurata, in ipſo ita condemnata fuit, vt poſt hac omnino conticuerit, nec amplius audita fuerit. Qui etiam ſacroſanctam Nicænam fidem violarunt, ſiue viuentes eſſent, ſiue defuncti, omnes hac eadem Synodo excommunicati fuerunt. Siquidem prædictus Apollinaris, qui antea ab Ariana hæreſi abhorruit, & Athanaſio Alexandriæ atque ipſi Damaſo commendatiſſimus fuit, poſtea in præceps lapſus, eidem ſe quadam affinitate coniunxit, & licet diuinitatis nomen Spiritui Sancto dederit, vim tamen diuinitatis minime retinuiſſe blaſphema aſſertione dixit. Sed, & alias impias planè atque horrendas ſententias docuit. Carnem Chriſti de cælo allatam eſſe, atque adeo Mariam Dei Genitricem non fuiſſe; ſed Chriſtum per Virginem, tanquam per canalem, decurriſſe. Ad quas condemnandas Synodus hæc, decem anathematiſmos conſtituit, quos vide apud Greg. Nazian. Epiſt. 1. ad Cledonium.

Quartum Concilium ſub Damaſo Valentinum in Gallia

Triginta Epiſcoporum Anno Domini 374. ſub Gratiano & Valentiniano Imp. congregatum, vt Eccleſiæ Gallicanæ mores quidam dapranati emendentur, vt ipſi Concilij Canones ſtatuti indicant.

Quintum Concilium Antiochenum,

In quo Orientales Epiſcopi, per edictum Valentis ab exilio relaxati, ſuiſque Eccleſijs ſanctione Gratiani Imp. reſtituti, conſilium inierunt, quomodo proſtratæ Orientali Eccleſiæ auxilium ferrent, quæ à tempore obitus Iuliani Apoſtatæ diro ac periculoſo admodum ſchiſmate exagitata fuit. Principio enim tres Epiſcopi erant in vna ciuitate Antiochena: nempe Meletius ab Arianis: Euzoius, in locum Meletii depoſiti; & Paulinus à Lucifero Calaritano Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ legato inſtitutus: quibus aliarum Eccleſiarum pro libitu fauebant, & cum eis communicabant, per annos fere quindecim. Euzio itaque Ariano per mortem ſublato, quia Meletius ab Arianis receſſerat multo iam tempore, & Catholicas partes acerrime tueretur, ad tollendum ſchiſma, hac Synodo indicta, hoc remedium eſt excogitatum: vt cum alteruter, Paulinus vel Meletius prior ex hac vita decederet, qui ſupeſtes eſſet, in locum demortui, nullo alio creato Epiſcopo ſucceſſore, ſolus illius Eccleſiæ antiſtes remaneret. Interim fidei regula recognita

Gloria Patri in fine cuiuſque Pſalmi. Item ſtatuit, ſacerdotes qui ab vna Eccleſia ad aliam temere tranſeunt, à communione eſſe alienandos

Hic Pontifex ſcripſit vitas Anteceſſorum ſuorum Pontificum, & miſit eas perlegendas Diuo Hieronymo in Palæſtinam. In ſua verò electione habuit æmulum Vrſicinum Diaconum qui per vim Pontificatum aſſequi cupiens multos homines in templo occidit. Sed tandem eiectus fuit.

Nonaginta Epiſcopi ex Iatlia, & Gallia ad Synodum hanc conuocati fuere Anno Chriſti 369 Damaſi 3.

Anno Chriſti 373. Damaſi 7. Valent. & Valentis 10. Apollinariſtarum error erat, quod Chriſti corpus anima rationali careret & pro anima deitatem haberet.

Hunc errorem alioſque plurimos ab Apollinari impiè aſſertos primus Athanaſius confutauit editis commentarijs de Chriſti incarnatione & ſalutari eiuſdem aduentu.

Multiplex eſt Valentia ſed hæc eſt ciuitas Allobrogum in Gallia Tranſalpina quam nunc Sabaudiam, & Pedemontium dicunt.

Hæc Synodus celebrata eſt nono menſe ab obitu S. Baſilij Epiſcopi Ceſareæ Cappadociæ.

 & ſta-

& ftabilita, ad visitandas & confirmandas in fide Catholica Orientis Ecclefias, deputati sunt præclarioris nominis qui Synodo intererant legati, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Eusebius Samosatenus, atque Meletius Antiochenus, qui ad ruinas restaurandas profecti, amotis Arianis, Orthodoxos vbique locorum substituerunt.

Sextum sub Damaso Concilium Constantinopolitanum Primum, Generale verò Secundum.

Anno Christi 381. Damasi 15. Theodosij Imp. 3.

Greg. Nazian. orationem in templo Vrbis primario coram Patribus Synodi recitauit, Patres vero post legitimas de Orthodoxis dogmatibus disputationes, Eudoxianis, Eunomianis, Macedonianis, Pneumatomachis, Sebellianis, Marcellianis, Photinianis, atque Apollinaristis anathema dixerunt.

A Centum quinquaginta Episcopis celebratum, & approbatum à Damaso Papa in ijs, quæ ad Macedonianæ & Eunomianæ hæreseos condemnationem, fideique Nicenæ confirmationem spectant. Nam quæ ad mores Ecclesiæ reformandos pertinent, paucis Canonibus statuta sunt, neque indigebant authoritate Pontificia. Synodali enim auctoritate Maximus Constantinopolis Episcopus Apollinaris hæreseos sectator vrbe expulsus est, & in eius locum Gregorius Nazianzenus suffectus Concilio presidebat, qui nil sanctionibus Synodi fieri voluit, quæ non essent à Sede Apostolica approbata. Ideo Canonem tertium, de dignitate, & loco post Romanum Pontificem primario, Episcopo Nouæ Romæ attributo, omnes commentitium & suppositum esse putant: quoniam Episcopi in ea epistola Synodica quam ad Damasum scripserunt, nullam plane mentionem huius Canonis habuerint: nec Thimotheus Alexandrinus Episcopus, in cuius præiudicium hic Canon scriptus est contradixisse legatur, qui vtique præsens aderat Synodo illi. Qui tamen Canon tacito Romanæ sedis consensu postea confirmatus, & ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi renouatus fuit, Quamuis eum impugnauerit acerrime Leo I. Nicolaus I. Leo IX. & alij. Patres verò Concilii huius, fidei formula, (quam Gregorius Nyssenus Synodi auctoritate scripsit) edita, & fide per eam sanctissime explicata, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti gloriam vnam, maiestatem parem, indiuisamque sanxere substantiam.

Symbolum Constantinopolitanæ consona est sanctæ, & magnæ Nicænæ Synodo.

Septimum Concilium Aquiliense,

Concilium hoc Prouinciale anno eodem celebratum est, quo & Constantinopolitanum Oecumenicum 381. Damasi 15. Valentiniani 6. Theodosij 3. Gratiani 15.

A Triginta Episcopis Italiæ, Galliæ & Pannoniæ, præsentibus Afrorum legatis, celebratum: in quo Palladius & Secundianus Episcopi Ariani, cum Attalo quodam presbytero, condemnati. Qui apud Gratianum Imp. Sirmium venientem conquerentes se iniuste de Ariana hæresi infamari, constanter interpellarunt, vt ad sui purgationem vniuersale Concilium à Pontifice iudici curaret. Sed S. Ambrosius continuò inrercessit, probrosum & indignum esse asserens, vt propter duos curiosos hæreticos, fretos patrocinio Iustinæ Augustæ Valentiniani Senioris Imperatoris coniugis, volentesque intrudere in sedem Sermiensem Arianum quendam, totius Catholici orbis Episcopi, cum Ecclesiarum suarum detrimento ac periculo conuocentur. Acquiescens itaque Imperator monitis & consiliis Ambrosii, vt finitimi tantum Episcopi conuenirent, indixit; præcipiens prouinciarum Præsidibus, vt venientes publicis expensis deducerentur. Qui Anemium Iustina Imperatrice & Arianis aduersantibus Sirmiensis Ecclesiæ Episcopum fecerunt, & supra nominatos Episcopos Arianos anathemate percusserunt, datis ea de re ad Episcopos Galliæ litteris, adque Impetatores Gratianum, Valentinianum, & Theodosium, Sanctus veìò Ambrosius qui Pontificis nomine præsidebat, Acta Concilii detulit Damaso.

Orientalibus Episcopis significatum erat, vt si vellent, conueniendi cum Occidentalibus Aquileiæ liberam potestatem haberent. Sed cum illi Constantinopoli conuenissent, ad prædictos hæreticos confutandos satis visum est euocasse vicinos tantummodo Episcopos, cum non nisi in Oecumenicis Concilijs vna simul Orientales cum Occidentalibus cõuenire Ecclesiasticæ consuetudinis esset.

Octauum Concilium Cæsaraugustanum,

Cæsaraugusta, Tarraconensis prouinciæ Vrbs in Hispania nobilissima Metropolis Regni Aragoniæ.

A duodecim Episcopis contra Priscillianistas celebratum, in quo Canones octo Conscripti, & à Damaso Pontifice approbati sunt. Tempore enim eodem, quo habebatur Concilium Aquiliense, Hispania ob Priscillianum (familia inquit Sulpitius lib. 2, nobilem, opidus prædiuitem, ingenio aerem, multa lectionæ eruditumquẽ, Guostici Aegipto expulsi, per Marcum quendam Gnosticum, & fœminam Agapen suo veneno, infecerant: eoque infecto, ferè totam Hispaniam peruertissent nisi indicta Synodo, ipsi cum suis peruersis dogmatibus condemnati, fideliumque communione interdicti fuissent) hæresiarcham, maxima tempestate iactata, ne quidem per legatos Aquiliensi Concilio, instar Gallicarum & Africanarum Prouinciarum interesse potuerit. Priscillianistæ siquidem heresim suam non modo ipsi,

Priscilliani laici in Ecclesia docebant, & vxores eorum, ipsumque Priscillianum laicum maritatum sui sectatores

verùm

verùm etiam fœminæ ipsorum & in templis publicè & per domos priuatim docebant, contrà expressam Diui Pauli doctrinam dicentis. *Mulieres in Ecclesijs taceant &c. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent* I. Cor. c. 14. Præterea, die Dominico in odium Dei creatoris, à Manichæis & Gnosticis edocti ieiunabant, & abominanda peragentes, clandestinos conuentus agebant, in Ecclesia Catholicorum sic accipiendam Eucharistiam, vt eam non comederent; nec credebant Christum Dominum verè carnem humanam assumpsisse, atque ideo tempore Natalis Domini consueuerant ieiunare, vt refert S. Leo Epist: 93. Igitur Synodali decreto condemnati, ad Pontificem Damasum ipsi hęresiarchæ Saluanus & Priscillianus, Romam profecti se purgare cupientes: sed non sunt in conspectum eius admissi. Regressique Mediolanum æque sibi Ambrosium aduersantem repererunt.

in Abilensi oppido Episcopum, ad confirmandas vires suas fecere.

Nonum sub Damaso Concilium, Romanum IV.

Fauore & patrocinio Gratiani & Theodosii Imperatorum congregatum. Posteaquam etenim Damasus de rebus in Synodo Constantinopolitana gestis nuncium accepisset, & inter alia in contumeliam Paulini, Flauianum Meletio successorem designatum esse intellexisset, Concilium Romę celebrandum indixit. In quo, præter Paulinum, Epiphanium, & Acholium Thessalonicensem nemo ex Oriente adfuit, licet omnes vocati fuerint; Sed indicta astuto consilio Synodo Constantinopoli, per legatos excusari petiuerunt, dicentes se eo venire non posse, ne suas Ecclesias pastoribus destitutas, hęretici prę foribus eorum excubantes incursarent; literasque Synodicas earum rerum, quę pręcedente Constantinopolitano Concilio gesta fuissent, ad Concilium Romanum transmiserunt. Literis verò receptis legatisque eorum auditis, quid in isto Concilio factum pręterea fuerit, non constat; Acta enim perierunt. Ex Euagrio tamen colligitur. Paulino sedem Antiochenam adiudicatam esse, ne tamen totus Oriens ab vnitate Ecclesię se pręscinderet, ab excommunicatione Flauiani, qui sedem illam Antiochenam decreto pręteritę Synodus Constantinopolitanę occupauerat, cessatum est.

Venerat ad Concilium istud D. Hieronymus ex Oriente, vocatus à Damaso vt illo in rrsponsionibus Synodalibus vteretur. Aderat & D. Ambrosius, aliique viri magni, & sanctitate conspicui.

Decimum Concilium Constantinopolitanum II.

Ab Orientalibus pręter voluntatem Papę Damasi congregatum, qui eos Romam ad Concilium Generale euocabat. Cęterum illi metuentes ne rationem redderent, de Flauiani electione anno superiore facta, deque Canonibus a se sancitis, quibus sedem Constantinopolitanam fecerunt Patriarchalem statim post sedem Romanam, cum præiudicio Episcopi Alexandrini, Antiocheni atque Hierosolymitani, consulto Romam venire recusarunt, sed legatos tantum cum excusatione, & Epistolam Synodicam miserunt: qua significant Nectarium Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfectum esse, cum eam Gregorius Nazianzenus odia euitando aduersariorum sponte sua resignasset. Antiochenę Flauianum, Hierosolymitanę Cyrillum, Arianorum malleum, & insectatorem: Prętterea, fide Orthodoxa comprobata, contra insanum dogma Arii, Aetii, Eunomii, Sabellii, Photini, Marcelli, Pauli Samosateni, Macedonii, & Apollinaris anathema indixerunt.

S. Gregorius Nazianzenus bis ad Concilium istud literis Theodosii Imperatoris vocatus venire recusauit. Aderant autem Concilio Episcopi 180.

Sub id tempus ferè Synodus Sydæ habita est aduersus Massalianos ab Amphilochio Iconij Episcopo cum 25. vicinis Episcopis celebrata. Baron. an 383. n. 39.

SIRICIVS Natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annis tredecim, mense vno, diebus quatuordecim. Hic Manichæos solem, & lunam pro Numine colentes, & simulantes se Catholicos, edicto Theodosii Imp. non ab vrbe tantum, verum etiam ab vniuerso orbe relegari mandauit quos & participatione fidelium priuauit. Et si pœnitentiam agerent, ad participandam sacram Eucharistiam, non nisi in fine vitę admitterentur: quia pœnitentiam simulate agentes, secreta conuenticula habere solebant, & in erroribus suis temere persistebant. Hic constituit, hęreticos sub manus impositione recipi, & reconciliari presente cuncta Ecclesia. Hic fecit ordinationes quinque: presbyteros 31. Diaconos 16. Episcopos per diuersa loca 32. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillę via Salaria 8. Kal. Martii Anno 398.

Pontifex 38. Anno Christi 384.
Theodosij 7.
Hic statuit Monachos posse sacris initiari, & ab infimo Ordine. ad summum prouehi.
Statuit vt Sacri Ordines eodem tempore sed per interualla darentur.
Item ne ignotis dentur Sacerdotia.

Scri-

Scripsit Epistolas decretales quatuor. Primam ad Himerium Tarraconensem Episcopum. Secundam aduersus Iouinianum hæreticum ad Ecclesiam Mediolanensem. Tertiam ad vniuersos Orthodoxos. Quartam ad Episcopos Africanos.

Concilium primum sub Siricio Burdegalense,

S. Martinus rogabat Maximum Imp. vt sanguine infelicium hæreticorum abstineret, satis superque sufficere, vt Episcopali sententia hæretici iudicati Ecclesijs pellerentur. Nouum esse & inauditum nefas, vt causas Ecclesiæ index secularis iudicaret. Nihilominus Maximo sic iubente primus ex hæreticis Priscillanus capite plexus est.

In quo Priscillianus Cęsaraugustano Concilio damnatus, Gratianique rescripto restitutus, iterum hæreseos cum suis sectatoribus conuincitur, ab Ithacio apud Maximum Imperatorem accusatus. Iussu itaque Maximi, Priscillianus cum Instantio ad concilium congregatum citatus, cum vidisset Instantium Episcopatu indignum a patribus pronunciatum esse, ipse damnandum se intelligens, ad Principem prouocauit. Cumque iudices appellationi male detulissent, eamque contra ius, & constitutiones Ecclesię admisissent, Treuiris hæresiarcha auditus, & bis conuictus, tandem cum quibusdam aliis, iussu Maximi gladio est occisus. Baron, ann. 385. num. 22.

Secundum Concilium Romanum

Anno Christi 386. ad Concilium hoc octoginta Episcopi conuenerant

In Basilica S. Petri celebratum, ad collapsam disciplinam in Africana Ecclesia restaurandam. In Synodo nihil decretum, quod non Apostolicis aut Nicęnis Canonibus ante constitutum fuerat.

Tertium Concilium Treuirense

Ithacius homo fuit audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri, & gulæ multum impartiens Hic sanctos etiam viros quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum certare ieiunijs, tanquam Priscilliani socios aut discipulos in crimen accersebat. Etiam Diuo Martino Episcopo viro plane Apostolis cōferendo ausus est palam obiectare hæresis infamiam.

In quo Ithacius Hispaniæ Episcopus ab irregularitate, quam incurrerat Priscillianum cum suis sectatoribus apud Maximum Imp. capitis accusando, iniustè absoluitur. Cum enim ad eius instantiam Imp. Maximus capitis supplicium in hęresiarcham eiusque sectatores statuisset, & eorum reliquias in Hispania ferro, & flamma exturbandas mandatum edidisset, res à mansuetudine Christiana, qua exemplo Christi imprimis Episcopi ac Sacerdotes imbuti esse debebant, plurimum abhorrere omnibus visa est. Quare Theognostus aliique Catholicę communionis Episcopi, Ithacium cum sociis, velut sanguinarium ac crudelem, sacerdotio indignum, excommnnicarunt. Ithacius verò Maximi Imperatoris patrocinio fretus, Treuiris Synodum congregari impetrauit, quę eum velut innocentem absoluit, nullaque culpa teneri pronunciauit. Anno 386.

Quartum Concilium sub Siricio Capuanum

Anno Christi 389 Siricij Papæ 8. Theodosij II.

In causa Antiochenę dissensionis, & Bonosi hęretici, celebratum. Postquam enim Paulinus, quem Lucifer Calaritanus Damasi Pontificis in Oriente legatus, Antiochię contra Meletium Antiochenę sedis Episcopum designauerat, anno 389. obiisset, auditores illius contra Flauianum Meletii successorem, Euagrium in locum Paulini surrogarunt, ortamque ante aliquot annos discordiam continuarunt. Pontifex, & cum eo ferè Occidentales vniuersi, contra Flauianum, sicut ante Paulino, ita nunc Euagrii partibus steterunt, atque Imperatorem Theodosium contra Flauianum per literas animarunt. Flauianus Pontificis, & Imperatoris literis ad Synodum vocatus non venit: sed ab Imperatore petiuit, hoc eius auctoritate procurari, vt Occidentales Episcopi patiantur in Oriente Concilium celebrari, in quo causam suam ipse coram agere possit. Qui autem Capuę conuenerant, ad schisma totius Ecclesię auertendum, constituerunt, vt tam Flauiani, quam Euagrii fautores, ad communionem Catholicam admittantur, modo Catholicę fidei assertores esse inueniantur. Pręterea, vt dissensiones periculosissimæ omnino sedarentur, Theophilo Alexandrino, vnà cum aliis Aegypti Episcopis cognitionem causę inter Flauianum, & Euagrium demandarunt, tum quod ille principalioris sedis in Oriente Antistes esset, tum etiam quod à neutrius partibus staret; addita conditione tali, vt suam a se prolatam sententiam Romanæ Ecclesię authoritate confirmandam ac comprobandam afferret. In eadem quoque Synodo, causa Bonosi cniusdam in Macedonia Episcopi hæretici, negantis illibatam Dei Genitricis Mariæ virginitatem post partum, in iudicium deducta fnit: cuius cognitionem Anysio Thessalonicensi cum Episcopis sibi subiectis Patres delegarunt. Is causa benè trutinata, Bonosum cum suis sequacibus condemnauit, quosque ille ordinauerat communione Catholicà

S. Ambrosius intererat huic concilio, vt scribit Epist 78. quod Flauianus iudicium Theophili refugerit. Mertuoque hoc ui Euagrio discordia illa finem suum nequaquam acceperit. Nam etsi vllus datus fuisset Euagrio successor qui tamen eius communionis erant priuatos conuentus agentes cōmunicare cum Flauiano penitus recusarunt.

priua-

priuauit. Adhuc in eadem Capuensi Synodo constitutum fuit, ne fierent rebaptizationes, reordinationes, & Episcoporum translationes. Baron. ex D. Ambr. ann. 389. nnm 67.

Quintum Concilium Arelatense II.

In quo Photini heresis iterato iudicio condemnata est, prout & Bonosianorum; scriptique pro reformatione disciplinę Ecclesiasticę Canones nnmero viginti quinque.

Sextum Concilium Mediolanense,

Quo Iouianus heresiarcha condemnatus est, qui habitu monastico, & Catholico nomine aliquandiu delituit in Monasterio Mediolanensi, sed egressus cum collegis impietatis, Romę plures sermone, scriptisque a se commentariis seduxit peccata omnia paria esse dicens, & virginitatem cum viduitate, & coniugio eiusdem esse meriti. Quem Hieronymus sub Damaso Papa, vna cum Heluidio socio impietatis illius, penitus deuicit; refutauitque blasphemiam vtriusque Ceterum post octo annorum latebras iterum Romam Iouianus veniens impietatis suæ semina serere non destitit occultè & fraudulenter, sed Pammachij cuiusdam nobilissimi Senatoris, ardentissimique ac doctissimi Catholicę fidei propugnatoris opera, Siricio Pontifici præsentatus, & ab eo examinatus iudicatusque in pręsentia totius Cleri, vna cum Heluidio alijsque sectatoribus collegis, anathemate percussus est. De qua re, vt Mediolanensis quoque Ecclesia, vnde exierat, certior fieret, literis de rebus omnibus, in causa Iouiniani Romæ gestis, ad eandem Ecclesiam scribit, easque per tres legatos presbiteros istuc deferri procurat. Qui cum Mediolanum venissent, statim indicta est Synodus, ex Gallia alijsue vicinis prouincijs Episcopi (quorum nomina Synodalis epistola subscripta refert) conuocati conuenerunt. Postque lectam Sirícij epistolsm, & causę cognitionem ea, quam Siricius contra hæresiarcham eiusque collegas protulerat Romę sententiam Synodico hoc Patrum decreto confirmata fuit.

Anno Christi 390. Siricij Pontificis 6. Theodosij 12.

Helmdins h-r eticus Mariam Christum peperisse Virginem. ac post cum marito congressam protulisse fratres Domini asserebat, Cui tam impiæ blasphemiæ Iouinianus multo plures addidit veterũ & hæresiarcharum errores immiseuit. Quare Honorius Imp. legis paternæ vindex seruili primo affectum supplicio relegauit in insulam, cæteris illius sectarijs in diuersa loca despersis.

Septimum Concilium Nouatianorum Angaris celebratum,

Qui inter se diuisi, schismatis sui Canonem indifferentem in eo conuentu promulgarunt, licere cuilibet absque dispendo Catholicæ veritatis Pascha celebrare, die qua vellet. Baron. 391. nu. 37.

Angaris est emporium Bithyniæ prope Helinopolim situm.

Octauum Conc l um sub Siricio Hipponense.

In quo Patres Africani, multa ad corrigendam disciplinam Ecclesiasticam legitime & salubriter constituernnt, ita. vt cæteta postea Concilia in Africa celebrata, ex isto Hipponensi, tanquam archetypo quodam, complura matuata habuerint. In hoc conuentu Diuus Augustinus cum omnium laude & admiratione, de fide & Symbolo dissertationem habuit presbyter adhuc. Cumq; eum omnes Episcopum cuperent, Valerius Episcopus Hipponensis, timens ne suæ Ecclesiæ eriperetur, postulauit eum sibi adhuc viuenti in Episcopatu surrogari, quod & impetrauit.

Anno Christi 393. Siricij 9. Theodosij Imp. 15.

Nonum Concilium Constantinopolitanum,

In quo causa duorum Episcoporum, eundem Bostrensem Episcopatum sibi vendicantium definita fuit. Aderant conuentui duo Patriarchę Alexandrinus & Antiochenus, iuuitati à Ruffino Præfecto Pretorio, ad dedicandam nouam Basilicam Apostolorum Petri & Pauli nomine, ab illo erectam. Qui post sacra solennia ex more expleta, prædictam controuersiam iudicio suo definiuerunt, pręsidente Nectario Constantinopolitano.

Anno 394. Agapius & Gebadius de Episcopatu contendebant, Patres autem ad Encenia conuocati litem suo indicio dirimerunt.

Decimum Concilium Adrumeticum in Africa

Anno eodem celebratum, restaurandę disciplinę causa. Sed Canones Synodi cum aliorum Conciliornm canonibus, simul sub vno titulo Concilii Africani, admixti habentur.

Anno 394. Arcadio & Honorio Augustis Consulibus.

Vndecimum Concilium Cauernense

Donatistarum, in quo Maximianistæ Primianistas cum suo auctore Primiano condemnarunt, iam ante Aerbassussi, à centum & amplius Episcopis Maximianistis condemnatum: duo siquidem isti Primianus, & Maximianus diaconus de vno

Qui se non a Christo Christianos. sed ab auctoribus vel dogmatibus suæ hæreseos denomi.

nant, manifeste ostendunt non Ecclesiam Christi apud se verum Antichristi Synagogam esse.

vno Episcopatu Carthaginensi contendebant, & more hereticorum inter se diuisi ab auctoribus scissionum, & dogmatum suæ hæreseos denominabantur sui sectatores, vt a Claudio Claudianistæ, a Rogato Rogatistę, a Priscilliano Priscillianistæ, qui principio schismatis a Donato Episcopo Cartaginensi, omnes vocabantur Donatistæ.

Duodecimum Conciliabulum Primianistarum Bagaiense

Bagai ciuitat est Numidiæ in qua anno 394 Donatistæ Synodum suã celebrarunt.

In quo a Primiano Carthaginensi Episcopo Donatista, trecenti, & decem Episcopi aduersæ factionis vocati, conuenerunt, qui examinata causa ipsius Primiani, qui aderat, & Maximiani æmuli sui absentis, itidem Episcopatum Carthaginensem appetentis, ipsum cum omnibus sequacibus suis condemnarunt; eo quod ipsi quoque diebus pauló superioribus Cauernæsusis congregati, in Primianum damnationis sententiam iniustè protulissent. S. August. contra Crescon lib. 1. cap. 53.

Tredecimum Concilium Taurinense.

Hoc Concilium pauló post abitum S. Ambrosij habitum 10. Kal. Octob. 397, qui erat Siricij penultimus, Arcadij, & Honorij Imp. 3.

In quo septem capitula instaurandæ disciplinæ Ecclesiasticæ conscripta sunt. Deinde, altercaciones inter Arelatensem & Viennensem Episcopos de primatu certantes sedatæ sunt. Illi enim ciuitati primam dignitatem adiudicarunt, quæ se eius prouinciæ Metropolim esse ostenderet. Tertio declaratum fuit Narbonensis Ecclesiæ primam sedém esse apud Massilienses; atque Proculum eiusdem sedis Episcopum, Metropolitanum Episcopum habendum esse. De nique Felici Ithacianæ factionis Episcopo, datæ sunt à Siricio litteræ Pacificatoriæ (quarum vigore hæretici & schismatici in communionem Ecclesiæ recipiebantur) eo quod Galliarum Episcopi non communicabant cum illo. quod à sanguinarijs Episcopis ordinatus fuisset.

Quatuordecimum Concilium sub Siricio Papa Carthaginense,

Anno Christi 397. Siricij Pontificis 13. Arcadij & Honorij Imp. 3. Cæsario, & Attico Consulibus. Kalendis Septembribus in Basilica restituta, præsidente Aurelio Episcopo Carthaginensi præsente verò Diuo Augustino Episcopo Hipponensi.

Inter ea quæ post Nicænum extant, *Secundum*, in quo Canones scripti sunt quinquaginta. Inter quos, Canone 26. Primę sedis in Africa Episcopus, id est, Carthaginensis, Numidię & Mauritanię Metropolitanus, prohibetur appellari Summus Sacerdos; Et quia pessima illa cousuetudo inoluerat, qua fideles quam plurimi vsque ad prouectiorem ętatem baptismum differre solebant; hac Synodo sublata est: de baptizatis verò in infantia, quæ ambigua videbantur, ad Siricium Pontificem Romanum, & Simplicianum Mediolanensem Episcopum, Ambrosii successorem, hanc constultationem miserunt. Ad illum quidem, quod scirent eum Ecclesię Catholicę præsidere Episcopum atque doctorem: adhunc autem, ob egregiam totoque orbe spectatam scientiam.

Anno Christi 398, Arcadij & Honorij 4. Hic Papa Origenis hæreses iam anto Concilio Alexandrino damnatas authoritate Apostolica condemnauit, & per Encyclicas totum orbem terrarum hac de re certiorem reddidit. Cumque paupertatis amantissimus esset. Eudoxiam Imperatricem insatiabili laborantem auaritia reprehendit suscepto patrocinio miserabilium viduarum, quare offensionem eius grauiter incurrit.

ANASTASIVS Natione Romanus ex patre Maximo sedit annos 4. mensem vnum & dies 13. Hic coustituit, vt quotiescumque sancta Euangelia recitarentur, Sacerdotes non sederent sed curui starent. (*Ocasio huius decreti influxit, quod Diaconi maiore honore, propter honorum Ecclesiæ administrationem sibi commißam à populo obseruati presbiteros spernerent; qui ex consuetudine antiqua sedentibus presbyteris diaconos stare debere contendebant. Ex quo, eo vsque contentio pertinax progressa est, vt etiam, cum stantes Diaconi coram populo legerent Euangelium, presbyteri tamen minimè à sessione exurgerent. Anastasius itaque hoc factum meritò detestatus, huiusmodi decreto emendandum esse putauit*) Hic fecit Balisicam, quæ dicitur Crescentiana, in regione secunda, in via Mamertina, in Vrbe Roma. Et hoc constituit, nulla ratione transmarinum hominem in Clericatus honorem suscipi, nisi quinque Episcoporum designaret chirographos, quia eodem tempore Manichei inuenti sunt in Vrbe Roma. Fecit ordinationes duas, per mensem Decembrem, presbyteros 8. Diacones 5. Episcopos per diuersa loca 10. Qui etiam sepultus est in cœmeterio suo, ad vrsum pileatum, quinto Kal. Maii, & cessauit Episcopatus dies 21.

Scripsit Epistolas plures in causa Origenistarum & Donatistarum, sed non nisi tres istæ extant, Prima, ad omnes Germaniæ ac Burgundiæ Episcopos. Secunda

da ad Nerianum, Tertia ad Ioannem Hierosolymorum Episcopum qui Origenis errores sectatus est.

Primum Concilium sub Anastasio Carthaginense III.

Habitum ab Episcopis 214. Aera 436. in quo 104. Canones pro disciplina Ecclesiastica conscripti sunt, sexto Idus Nouembris Anno Domini 398. Et imprimis Episcopi ordinandi præuio examine fidem profiteri iubentur, propter resuscitatas hæreses Origenistarum, Cælestii, aliorumque hæreticorum.

Secundum Concilium Carthaginense IV.

Anno eodem celebratum ab Episcopis 73. quod Gildone Tyranno Africam turbante, nimium disciplina Ecclesiastica labefactata esset; illo itaque sublato cunctisque pacatis, iterato summa diligentia Patres laborarunt in integrum res restituere Ecclesiasticas, & ad sacra comitia conuenientes, quindecim Canones pro reformatione scripserunt.

Causa tam frequentium Conciliorum in Africa fuit motus bellicus a Gildone tyranno suscitatus, qui pro libitu omnia vastabat, & populabatur. Et Gentiles idolorum cultores, ex aruspicum suorum responsis Christianam religione sub illius dominatu extirpari iactitabant. Sed contra Arcadius, & Honorius anno sequenti reliquias idololatrie radicitus extirpari iusserunt.

Tertium sub Anastasio Concilium Alexandrinum

In quo Origenistæ damnati sunt, Anno Christi 399. Anastasii 2. Arcadii, & Honorii 5. Melania etenim Romanarum nobilissima, tempore persecutionis Valentis Imp. quinque millia Monachorum occultarat, triduoque panibus suis sustentauerat, relegatosque in diuersa, magno fidei ardore prosecuta est, vt de suis facultatibus iisdem vitæ subsidia ministraret. Quibus ab exilio reuocatis, ipsa Monasterium Hierosolymis sibi construxit, in quo præter 50. Virgines secum habitantes 27. annis, sanctos, & peregrinos Episcopos, Monachos, & Virgines ex voto suscepit, & fouit. Qua occasione accidit, vt ipsa cum Ruffino à cœco, sed erudito, & magni nominis viro, Didymo Alexandrino, operum Origenis nimio admiratore, erroribus eiusdem Origenis imbuti fuerint. eiusque Periarchon (multarum hæresum promptuarium) tanquam magnum thesaurum non modò ipsi reciperent; verum etiam toto terrarum orbe vulgari desiderarent. Post 25. igitur annos absentiæ, in Aegypto, & Palæstina exactos, magna sanctitatis fama Romam reuertentes, particulamque Crucis secum adferentes, Origenis errores, magna fraude vulgatis Periarchon libris circumtectos Romanæ Ecclesiæ obtrudere moliuntur. Sed fraudem Melaniæ fæminæ, Deus per fœminam Mercellam detexit. Detecta fraude, ipsum Periarchon sua opera in Latinum conuersum esse, seque cum Origene sentire negarunt: & vt se Catholicos esse simularent communicatorias litteras, a Siricio Pontifice impetrarunt, & ab Vrbe vicissim recesserunt. Interim Pammachius, & Oceanus viri clarissimi, librum illum Periarchon dictum, quem Melania, & Ruffinus Latinè versum Romæ vulgauerant, in multis improbantes, rogarunt per epistolam Hieronymum Hierosolymis agentem, vt eum ipse integre Latinè edat, inque eo errores, & ipsius authoris, & interpretis illius notet. Quod cum vir sanctissimus doctissimusque præstitisset, cumque Romam sedente iam Anastasio misisset, apposita præfatione, qua omnes, qui in eo libro sunt errores Origenis, omnibus manifestos redderet, ac dolum pariter prioris interpretis aperiret, nimium Origenistas in se commouit. Quo audito Theophilus Alexandrinus, Episcopos suos conuocauit, & Origenem cum suis sectatoribus condemnauit, tum Synodicam Epistolam, quo melius Origenis errores cognoscerentur, ad Anastasium Romanum Pontificem, & ad Chrysostomum Constantinopolitanum Episcopum, per Epiphanium Cypri, aliosue Episcopos ac Monachos transmisit. Baron. an. 399. num. 36. & seqq.

Theophilus Alexandrinæ sedis Episcopus conuocatis circumuicinis Patribus Origenis errores recognouit, & condemnauit, omnesque Origenis sectatores per se suosque legatos ex Aegypto & Palestina expulit Qui Constantinopolim ad S. Chrysostomum profecti de iniurijs sibi velut hominibus Catholicis illatis conquesti fuerunt. Sed cogniti postea, itidem ab illo damnati sunt.

Quartum Concilium sub Anastasio Carthaginense Vltimum.

In quo ad disciplinam Africanę Ecclesię restaurandam, & mores eiusdem bellicis tumultibus corruptos reformandos 13. Capitula conscripta sunt in Basilica Perpetua restituta, Gennadio præsidente, in quem Aurelius senio fatiscens Episcopatum refuderat, primam dicendi suffragii prærogatiuam, honoris causa sibi reseruans. Et quia in preterito Concilio de continentia Sacerdotum plura statuta fuerant, in præsenti Synodo breuibus castitas Clero præscripta est, quæ per consecrationes annexa est. Condecet enim sacrosanctos Antistites, & Dei Sacer-

Basilica perpetua dicta quod in ea corpora Sanctarum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis sepulta erant. Restituta verò quod à Donatistis hæreticis occupata diu tandem Catholicis restituta fuit.

dotes, nec non, & Leuitas seu Diaconos, qui Sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quò possint simpliciter; quod à Deo postulant impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.

Quintum sub Anastasio Concilium, Africanum I.

Post consulatum Honorij Augusti, & Euthychiani 5. Coss. 5. Kal. Maias, Carthagine in secretario Basilicæ Restitutæ Synodus hæc celebrata fuit, legatique ad Imperatorem deputati fuerunt Epigonius, & Vincentius Episcopi qui omnia ex voto impetrarunt.

Cum Gildonem Tyrannum potentissimum septuaginta millibus militum Africam deuastantem, Mascezil, parua militari manu, quinque millium scilicet, in somno admonente eum Ambrosio, Deoque auxiliante, fœlicissimè fudisset, & profugasset, fratremque germanus frater pro suo merito strangulari mandasset. Igitur rei prosperæ insolentia victor Mascezil elatus, posthabito sanctorum consortio, quorum ope ac monitu Deo militans vicerat, Ecclesiæ immunitatem violare ausus, fugientes ad Ecclesiam ab ea extraxit; atque paulò post ipse pœnas sacrilego dignas, Deo vindici persoluit. Hac igitur occasione Africanæ Ecclesię Episcopi Carthagine Synodo conuocata, legatos deputarunt, qui ad Imperatorem profecti edictum exorarent, ne quis, quocunque reatu inuolutos, ab Ecclesia abstrahere auderet, si ad eam confugissent.

Sextum Concilium Constantinopolitanum

Anno Domini 400. Anastas. & Arcadij, & Honorij 6.

Ecclesiasticarum necessitatum gratia viginti duo Asiæ Episcopi celebrarunt, in qno ab Eusebio Valentiniano Episcopo, accusatus est Antoninus Ephesi Episcopus, de septem criminibus, & maximè de simoniacis ordinationibus. Sed mortuo, reo, iudicium agi tunc non potuit, breui autem post 70. Asiæ Episcopi cum Ioanne Chrysostomo Ephesum conuenerunt, ibique in locum de mortui Heraclidem Diaconum elegerunt: & iudicium defuncti Constantinopoli inchoatum hic absoluerunt, sexque Episcopos per Simoniam ab ipsò ordinatos depósuerunt Pallad. in vita Chrysost:

Septimum tempore Anastasij Concilium, Toletanum, I.

Huic Synodo intererat Olympius Hispanus Episcopus, inqnit S. Augustinus, vir magna in Ecclesia, & in Christo gloria.

Nouemdecim Episcoporum, Anno Domini 400. sub die septimo Idus Septembris, Petreno Episcopo pręsidente, in quo 21. capitula canonum statuerunt, Regulasque fidei Catholicę contra Priscillianistas conscripserunt. Maximè autem in hac Synodo, de perperam factis ordinationibus actum est.

Octauum Concilium, Africanum II,

Anastasij anno 4: Arcadij, & Honorij.

Anno Christi 401. decimoquarto Kal. Iulias celebratum, vt decernerentur legati, qui ab Anastasio, Romanæ; a Venerio Mediolanensis Ecclesię Episc. peterent, vt Africanæ Ecclesiæ clericorum inopia laboranti succurrerent. Vbi statim Canones de Ecclesiastica disciplina, aliis pręcedentibus Conciliis Africanis constituti confirmati, & promulgati fuerunt.

Nonum Concilium sub Anastasio, Africanum III.

Annt 401.

Idibus Septembris habitum, de Donatistis Ecclesiæ reconciliandis, deque disciplina Ecclesiastica obseruanda: in cuius rei Canones 14. ex aliis præcedentibus Conciliis, in hac Synodo promulgati reperiuntur.

Anno Christi 402. Arcadij, & Honorij 8,

INNOCENTIVS

Natione Albanus ex patre Innocentio, sedit annis 15. Mense vno, & diebus 10. Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, & de regulis Monasteriorum, & de Iudæis, & de paganis. Pelagiumque, & Cœlestium hæreticos damnauit, negantes in paruulos transisse peccatum originale, & propterea constituit, licet nati fuerint de Christiana, denuò nasci debere per baptismum, quod Pelagius negabat. Dedicauit Basilicam Sanctorum Geruasii, & Protasii ex deuotione testamenti cuiusdam illustris fœminæ Vestinæ, laborantibus presbyteris Vrsicino & Lopardo, ac diacono Libyano, & multa donaria obtulit, vasaque sacra. Hic restituit ieiunium sabbati a multis neglectum constituitque Basilicam sanctę Agnetis Martyris, a presbyteris Leopardo, & Paulino, solicitè, ac dignè gubernari, & tegi, & ornari ex dispositione Vestinæ. Hic fecit ordinationes quatuor de more per mensem Decembrem, presbyteros 30. Diacones 15. Epi-

Pelagius Brito adiutoribus Cælestio, & Iuliano, contra Christi gratiam suum dogma effundunt, liberum arbitrium, & vnumquemq; suis operibus salutem posse assequi docent, infantes sine originis peccato nasci, & Adamum sibi soli obfuisse lapsu affirmant:

Episcopos 54. Et sepultus est in cœmeterio Priscillę, ad vrsum pileatum 5. Kal. Augusti. Et cessauit Episcopatus dies 22.

Scripsit Epistolas Decretales 34. quibus multa in Ecclesia ordinauit, multosque ad venerationem primę sedis adduxit, ostendens eam nullius iudicio subiectam esse, omnes autem alias Ecclesias ab illa dependere.

Primum Concilium sub Innocentio I. Mileuitanum Primum.

Sub primatu Xantippi, in quo post paucula decreta Synodalia confirmata diuersorum Episcoporum causę agitatę fuerunt; præcipuè Maximiani Vagiensis Episcopi, ex schismate Donatistarum conuersi. Is cum non pacificè a populo reciperetur, bono pacis consulens, rogauit alium in locum suum subrogari, & patres causa diligenter examinata, abdicationem eius admiserunt, atque fratrem ipsius Castiorum, in eius locum subrogarunt.

Milenum ciuitas Numidiæ in Africa, in qua Kal. Septembr. Synodus hæc habita An. 402. Innocentij primo.

Secundum Concilium sub Innocentio ad Quercum,

Anno sequenti 403. in causa Chrysosthomi, & Photij celebratum. Theophilus etenim Alexandrinus ad dicendam causam de criminibus illi ab Origenistis impositis Constantinopolim euocatus, collegit in itinere Episcopos, quibus ad Chrisostomi depositionem abuteretur, propterea quod ille fautor Origenistarum videretur. Quare in suburbio per tres hebdomadas subsistens, fit ex reo subito auctor, & iudex, omnesque variis de causis Chrysostomo infensos Episcopos, clericos, monachos, viros ac fœminas, ipsamque Imperatricem Eudoxiam in eum concitat; quorum omnium accusationes ipse in Synodo diiudicans suscepit. Itaque Chrisostomus citatur a Theophilo ad iudicium, qui comparere iudici impertinenti recusauit, quod contra Nicæni canones, citra suos terminos cognoscere causas vellet, sed ad SynodumOecumenicam prouocauit. At illi qui cum Theophilo erant, nulla habita ratione appellationis, sententiam depositionis in eum tulerunt, rogatisque militibus ab Imperatrice, Vrbe eum expulerunt. Cæterum magna populi seditione coorta Imperator pluribus nunciis vno post alium missis eum reuocat, & magno populi applausu excipit. Nam & terræmotus ingens ea nocte factus, terrorem Imperatrici incusserat, quæ Chrysostomo incensa erat, quod contra ludos sæculares, permissu Honorii Imperat. editos, ritusque gentilitios in dedicatione statuæ argenteæ Eudoxiæ Imperatricis declamasset.

Locus Synodi ad Quercum dictus in suburbio Constantinopolitano versus Chalcedonem quod Ruffini suburbium appellabatur, quia ibi palatium ille sibi, & Basilicam Principibus Apostolorum extruxerat totius Orientis Præfectus existens. Et hunc locum Episcopi aduersarij consulto elegerant, ne scilicet vim populi suo pastori addictissimi experirentur.

Habuit Chrysostomus 40. Episcopos tunc temporis secum, septemque Metropolitas inter illos qui causam illius defendebant, sed non audiebantur ab aduersarijs.

Tertium Concilium, Africanum I.

Carthagine de reconciliandis Donatistis celebratum. Præcedente enim Concilio Africano, inter alia, decreta fuit legatio ad Romanum Pontificem Anastasium pro assequenda indulgentia, qua Donatistis ad Ecclesiam Catholicam reuersis liceret retinere eandem dignitatem, quam apud suos accepissent. Legati itaq; Roma reuersi, in hoc Concilio, coram omnibus Carthagine significarunt, quæ a Romano Pontifice obtinuissent. Decretum enim erat a Pontifice, debere vnumquemq; in sua ciuitate Donatistarum Præpositos conuenire, vnumque collegam sibi vicinum adiungere, (propterea, inquit D. August: contra Cresçon. lib. 3. c. 45. quod Donatistæ laici ab Episcopis Catholicis conuenti responderent, de fide cum Episcopis suis agi debere, seq; nostram collationem vehementer optare) iuxta formam præscriptam & publicatam. Sed nihil effectum est, propter superbiam hæreticorum, quorum Episcopi non solum verbis amaritudine plenis Catholicos Episcopos exceperunt, sed etiam insidias tetenderunt, & palam contumeliis affecerunt. Baron. an. 403. nu. 25. & seqq.

Anno 403. 8. Kal. Septemb.

Interim Tyrones militia desertores, more prædonum per vniuersam Africam longe lateque grassati sunt, vt Præfectus Prætorio, iusto cum exercitu eos compescere debuerit.

Quartum Concilium sub Innocentio Africanum II.

In quo contra Donatistas ad Honorium Imperatorem legatio decreta fuit; quia Donatistæ ad pacem, & concordiam amice inuitati, fraternam communionem non tantum contempserunt, verumetiam conuenientes se Episcopos Catholicos armata manu exagitarunt. Legatis Patres Synodi commendatitias ad Romanos, aliosque Episcopos illius loci, vbi Imperator moraretur scriptas, addiderunt; ipsi verò vt suæ, catholicorumque omnium securitati, interea temporis consulerent, Iudices per literas solicitarunt.

Anno 404. 6. Kal. Iunias Carthagine Patres conuenerunt,

Quintum Concilium Africanum III.

Anno 405. Innocentij 4.

In quo nihil aliud actum, præter quod legatio noua ad Imperatorem, quæ illi gratias ageret, decreta est. Priusquam enim anno superiore legati ad Imperatorem cum quærellis missi ad eum peruenissent, priuatę Episcoporum, & inter alias Maximiani Baiaiensis Episcopi querelę precucurrerant. Quibus Imperator permotus, vt furorem Donatistarum, & insolentiam coerceret, diuersas sanctiones edicto adiecit, quibus mulctam aurariam decem librarum iisdem persoluendam imposuit: testamento aut donatione aliquid accipere prohibuit: emptionis, & venditionis contractu interdixit: ac demum recusantes redire ad vnitatem Ecclesię relegari mandauit. Harum legum seueritate, & timore plurimi ad Ecclesiam reuersi fuerunt, idque magno totius Africanę Ecclesię gaudio, vt inquit D. Aug. epist. 48. & reliq.

Sextum Concilium Toletanum.

Extat Innocentij Epistola numero 22. ad hanc Synodum scripta.

In quo de Ordinationibus perperam factis actum fuit: diu enim multumque corrupta ordinationum disciplina, Hispaniarum Ecclesias exagitauit, adeo, vt huius Concilij tempore vlcus in schisma eruperit.

Septimum Concilium Africanum IV.

Hæc Synodus habita Carthagine Anno Domini 407. Innocentij 6 Arcadij, & Honorij 13.

In quo inter alia statuta decreta est legatio ad Honorium Imp. pro defensione rerum Ecclesiasticarum aduersus Donatistas, atque paganos. Sancitumque vt ad comitatum euntes, formatas acciperent ad Romanum Pontificem; à quo aliam quærerent Formatam ad Imperatorem, propterea, ne hæretici Catholico nomine velarentur. Præceptumque vt Formatis dies Paschæ illius anni apponatur, aut anni Præteriti. Nam illi tantum, teste Optato, manifesti Catholici habebantur, quos cum Romano Pontifice communicare, Formatæ ab eo acceptæ testabantur.

Octauum Concilium, Africanum V.

Hæc Synodus habita Anno 408. Iterumque alia anno eodem, & sequenti tertia. Sed quid in eis gestum sit non constat.

In quo denuo legatio ad Imperatorem decreta, vt ea quæ per Stiliconem Consulem in hæreticos & gentiles statuta erant, nouo rescripto confirmare, atque ampliare dignetur. Stilicone enim Occidentalis Imperij perduelli, ab Heracliano interfecto, Donatistæ & Gentiles in Africa falso rumore iactabant, nequaquam ex voluntate Honorij Imp. sed opera duntaxat Stiliconis leges contra se latas extitisse, ideoque earundem auctoritatem vnà cum ipso Stilicone extinctam esse. Quapropter iterato in Catholicos insurrexerunt, plurimosque etiam Episcopos necauerunt.

Nonum Concilium sub Innocentio Africanum VI. (quod deberet dici Africanum Octauum sed quia nescitur, quid gestum fuerit in Concilio sexto & septimo, ideo illis ommissis, istud in ordine Africanorum Conciliorum sub Innocentio celebratorum, sextum censuimus esse numerandum,

Anno Christi 410. Innocentij 9.

Finito hoc Concilio habuerunt triplicem collationem seu disputationem publicam Catholici cum Donatistis, electis è medio sui septem hinc inde Episcopis. Et inter Catholicos erat quoque Diuus Augustinus. Omnes autem propositiones & responsiones a publicis notarijs in præsentia magistratuum fidelissime vtrinque descriptæ, & sigillatæ fuerunt.

In quo oblatum est rescriptum Honorij, vt leges aduersus Donatistas datæ silerent, ne illis exasperati, pro partibus Attali Tyranni Imperium inuadentis dimicarent. Heracliani siquidem in Africa Comitis, vel Macrobij in ea Proconsulis consilio, elicitum fuit ab Imperatore rescriptum illud vt sinerentur, & eam quam vellent religionem amplectarentur. Cum autem Attalo exaucto rato, periculum illud cessasset, Episcopi Africani, quod viderent rescriptum illud in magnum Christianæ religionis dispendium vergeret, collecto Carthagine conuentu, mittendam denuò ad Imperatorem legationem, quatuor Episcopis demandatam decreuerunt qui rogarent eum, vt edictum pro Donatistis latum reuocaret. Interea temporis Vrbem Romam, Alaricus Rex Gothorum occupauit nono Kal. Septembris Anno 410. & Catholicorum cum Donatistis publica disputatio fuit.

Decimum Concilium Ptolomense in Lybia

Anno salutis 411. Innocentij decimo.

Auctore Synesio Ptolemaidis Episcopo congregatum. Causa autem habiti Concilij hæc fuit. Andronicus Prouinciæ Præfectus multa crudelia in subditos, atque irreligiosa & impia aduersus Ecclesiam perpetrarat, quibus in Synodo propositis atque probatis, communi omnium sententia diræ excommunicationis poena mulctatur Baron an. 411. num. 53.

Vndecimum sub Innocentio Concilium Cirtense in Numidia.

In causa Donatistarum, qui disputatione Anno superiore Carthagine victi, & confutati, atrocius grassabantur, & verbis simul ac scriptis plura mendacia spargebant quasi nostri Iudicem corrupissent: suæ factionis hominibus autem ne quidem loqui permissum fuisset. Vt his ergò mendacijs occurrerent, hoc loco Siluanus Numidię Primas S. Augustinus, alijue plures eius prouincię Episcopi conuenerunt, acturi & consulturi de communi modo, quo Donatistis calumniantibus, suisque mendacijs collationem habitam irritare conantibus resistendum foret. Quid verò inter eos transactum sit, & communi sententia decreuerint, licet acta ipsa perierint, Synodalis epistola inde ad Donatistas laicos scripta refert, quæ extat inter Epistolas D. Augustini numero 152. *Anno 412. mense Iunio.*

Duodecimum Conciliabulum Donatistarum in Africa.

Cum enim Honorius Imp. lege quadam eos intestabiles, infames hæreditatis adeundę incapaces; exilio ac relegatione dignos fore declarasset, legisque executionem Dulcitio demandasset, triginta Donatistarum Episcopi, statim in Concilium conuenerunt, atque in eo decreuerunt, Ecclesias nequaquam deserendas esse: deportatos in exilium non obtemperare, sed voluntaria sui ipsius nece, vnumquemque vim Præfectorum anteuertere debere: ideo, quod ita futurum arbitrarentur, vt à suis tanquam martyres colerentur, vel saltem commiseratione Iudicum, talia exhorrentium, in suis ipsorum Ecclesijs tolerarentur. Plures id fecerunt: adeo vt plurimum nece voluntaria perterritus Dulcitius, quid sibi agendum foret, Augustinum consuleret. Et apparet ex Epistola illius ad Dulcitium scripta, eum respondisse, præstare, vt per mortem etiam voluntariam paucorum, plures seruarentur. August. lib. 1. contra Gaudent. cap. 19. 37. 38. & c. l. 2. Retract. Baron. an. 414. nu. 4. *Anno Domini 414. Donatistarum, impia decreta.* *Pertinacia hæreticorum*

Tredecimum Concilium Macedonicum.

De retinenda disciplina Ecclesiastica: & pro confirmatione rerum gestarum, missa est legatio ad Innocentium Papam per Vitalem Archidiaconum. *Anno Christi 414.*

Quatuordecimum Concilium Diospolitanum.

Quatuordecim Episcoporum, in quo Pelagius, post hęreses 4. suo iudicio damnatas, fideique Catholicę professionem emissam, absolutus fuit. Is natione Britanus, ex impio Monacho vagus, eo tempore quo Vrbs à Gothis capta fuit, absente Innocentio (qui Rauennę apud Imperatorem morabatur) clanculo hęreses suas velamento quęstionum occultatas disseminare cœpit, viduis nobilibus per scripta blanditus, vt eas seduceret. Hic pręter hęreses de libero arbitrio & gratia, docuit homines ante aduentum Christi fuisse sine peccato: orationem non esse necessariam; posse hominem vt liberi arbitrij non tantum non peccare, sed etiam non tentari: fœminas diuina scientia instrui, & in Ecclesia psallere debere: itemque crassioribus vestibus, quibus vtuntur Monachi, omnes homines indui debere. Baron. an. 415. nu. 25. & seqq. *Anno 415. Diospolis Palestinæ ciuitas antiquo nomine Lidda appellata.* *Errores Pelagij.*

Decimumquintum sub Innocentio Concilium Carthaginense.

In quo à 37. Episcopis Pelagius & Cœlestius hæretici damnati fuerunt. Extat epistola Synodalis ad Innocentium inter epistolas D. Augustini num. 90. Et rescriptum Innocentij ad Concilium. *Anno 416. Innocentij 16. tempore autumnali*

Decimumsextum Concilium, Meleuitanum II.

Contra Pelagium & Cœlestium, eò quod hęresim suam fraudulenter duntaxat condemnassent, à sexaginta Episcopis celebratum in quo 27. Canones conscripti sunt, & ad Innocentium cum Epistola Concilij transmissi: cui addita fuit alia epistola familiaris quinque Episcoporum ad eundem Pontificem directa, qua eum monent tacitę, etiam cum Pelagio conniuentię vitare, quam calumniosè sparserant in vulgus hęretici. Rescripsit Innocentius vtrique Concilio, & Carthaginensi & Meleuitano, per eundem Iulium legatum, tum illis quinque Episcopis, eo modo quo fas erat, omnemque suspitionem penitus sustulit, & hęreticos suo decreto damnauit. *Anno 416.* *Vtrumque Concilium tã Carthaginense quam & Meleuitanum delegauerunt S. Augustino vt suis scriptis nefandam hæresim confutaret. quod & fecit.*

Anno Domini 417. Honorij 23. Theodosij 10. Pontifex num. 41.

Prohibuit quoque ne seruus aut mancipium initietur. Et ne quis nisi per gradus Ecclesiasticos ad Episcopatum perueniat.

ZOSIMVS Natione Grecus, ex patre Abrahamio, sedit annum vnum, menses quatuor, dies septem. Hic constituit, vt diacones leuas tectas, de pallis linostimis haberent. Et per parochias concessit licentiam benedicendi cereum Paschalem, qui in maioribus tantummodo basilicis incendi solebat. Et pręcepit, vt nullis Clericis poculum in publico propinaretur, nisi tantum in cellis fidelium, maximè clericorum. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembrem, presbyteros 10. diaconos 3. Episcopos per diuersa loca 8. Sepultus est via Tiburtina, iuxta corpus B. Laurentij martyris 7. Kal. Ian. Et cessauit Episcopatus dies vndecim.

Honorius Imp Pelagiu & Cœlestium heresiarchas edicto promulgato proscripsit. Zosimus verò fautores eorum ex clero Romano excommunicauit.

Scripsit epistolas Decretales tredecim ad diuersos; quia Pelagius & Cœlestius hęresiarchę, qui ab Africanis condemnati ad sedem Romanam appellauerant, de fide & doctrina in iudicio examinati, eo quod peccatum originale negassent, ab eo damnati, Clerum Romanum, ipsumque Zosimum, Augustinum, aliosque Catholicos calumnijs vbique proscindebant, & Ecclesiam Romanam Orientalibus odiosam reddere laborabant.

Anno 418. veris initio.

Primum Concilium sub Zosimo Africanum

Carthagine, in Basilica Fausti, à ducentis & septemdecim Patribus celebratum, in quo prolatam in Pelagium & Cælestium ab Innocentio sententiam, quam ille circa finem vitæ suæ promulgauerat, confirmarunt, vt vno quasi ictu valido vtrumque hæreticum (qui dolose oblato Zosimo fidei libello planè Catholico se in omnibus paratos esse dixerunt, eadem de fide sentire, quæ Romanus Pontifex sentienda proponeret. Quare Zosimus de illis bene sentiendum Patribus Africanis scripserat: sed cum postea in iudicio examinatos, hæreticos fraudulentos reperisset, in vtrumque sententiam damnationis protulit.) confodere, eorumque errores prorsus extinguere possent. Hancque sententiam suam per litteras Zosimo indicarunt, addito libello Paulini Diaconi aduersus Cælestium scripto, quo continebantur omnia capita, de quibus Cœlestius interrogandus esset, eo fine, vt appareret hæreticus ne esset, an omnino, quod profitebatur, Catholicus. Zosimus igitur iuxta Synodalia decreta prolata probatos & examinatos per totum mundum damnatos esse promulgauit.

Secundum Concilium Teleptense,

Telepte ciuitas metropolis prouincia Byzacenæ in Africa Anno Domini 418.

A Donatiano prouinciæ Byzacenæ congregatum, qui lecta Siricij Papæ Epistola quarta, omnia ea quæ in Mileuitano Concilio II. subscripserat, à suis Corepiscopis obseruanda promulgauit.





LIBER VI.



MORTVO Zosimo, non amplius vna die, inquit Baronius, sedes vacauit, non autem vndecim, vt aliqui dixerunt, librum Pontificalem secuti, statimque oborta est in clero dissensio: cuius pars minor, facto schismate, elegit Eulalium Archidiaconum, contra Bonifacium presbyterum, qui mendaci relatione Symmachi vrbis Præfecti, hominis gentilis & Christianis nimium infensi, apud Honorium accusatus, quasi post electionem Eulalij in sedem se tyrannice intrusisset, arripuissetque violenter Pontificiam dignitatem, vehementer depressus fuerat, coactusque deserere S. Petri Basilicam, atque cum suis extra vrbem in Basilicam S. Pauli secedere vigebat namque adhuc memoria capitum tempore schismatis Vrsicini aduersus Damasum patratarum, & quot annis fuerit laboratum, vt audacia schismaticorum penitus coerceretur: quantumque in his insudandum fuerit prædecessoribus Imperatoribus. Ceterum Honorius Imp. acceptis supplicibus litteris à Romanis presbyteris, vtramque partem ad se aduocat Rauennam, iubetque conuenire Episcopos vt Synodali disceptatione causam terminarent: Interim Eulalius temeritate ductus contra expressum Imperatoris mandatum, vrbem cum suis ingrediens, cum iura Pontificia vsurpare aggreditur publicę seditionis occasionem prębet, & tanquam indignus Pontificatu, vrbe statim pellitur, Bonifacius verò tanquam legitime electus aduocatur, & omnium lætis congratulationibus introducitur.

Bonifacius electus fuit, astantibus nouem diuersarum prouinciarum Episcopis; & subscribentibus plus minus septuaginta presbyteris. Eulalius verò obstructis omnibus ingressibus ad Ecclesiam Lateranensem, à paucissimis diaconibus, & presbyteris electus multitudine plebis acclamante contemptis impiè summi Sacerdotis exequijs:

BONIFACIVS Natione Romanus, ex patre Iocundo presbytero, sedit annos 4. menses 10. Hic sub contentione ordinatur cum Eulalio. Et fuit dissensio in clero menses 7. dies 13. Eulalius ordinatur in Basilica Constantiniana, Bonifacius verò in lege doctissimus, & moribus probatissimis, in Basilica Iulij. Igitur Impp. authoritate preceptum, vt ambo exirent ciuitate. Et Bonifacius quidem acclamatione cleri, & plurimorum optimatum inuitus consecratus, habitauit in cœmeterio S. Felicitatis martyris via Salaria, Eulalius verò multitudine turbatæ plebis electus, in ciuitate Antio ad sanctum Hermem. Veniente autem die proximo Paschæ, præsumpsit Eulalius, eò quod ordinatus fuisset in Basilica Constantiniana, & introiuit in Vrbem, & baptizauit, & celebrauit Pascha in Basilica Constantiniana. Bonifacius verò, sicut consuetudo erat, celebrauit baptismum Paschæ in Basilica sanctæ martyris Agnetis. Hoc audito, Augusti vtrique, Honorius, & Valentinianus miserunt, & eiecerunt Eulalium, reuocaueruntque Bonifacium, & constituerunt Episcopum. Hic constituit, vt nulla mulier, aut monacha, pallam sacratam contingeret, aut lauaret, aut incensum poneret in Ecclesia, nisi minister. Nec seruum clericum fieri iussit, nec obnoxium curię, vel cuiuslibet rei. Idem in vigilijs Sanctorum solemnia ieiunia, cum prius vigilando pij ea nocte (vnde vigilię sanctorum dictę) Deo inseruirent, instituit. Fecitque oratorium in cœmeterio Sanctę Felicitatis, & Sancti Siluani, vbi etiam plurima donaria posuit. Fecit ordinationem vnam in Vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros 13. diacones 3. Episcopos per diuersa loca 36. Sepultusque via

Anno 418. die 28. Decemb. Honorij Imp. anno 9. Eulalius tunc per tumultum electus tertium schisma in Ecclesia fecerat Quo tempore S. Hieronymus mortuus est in Bethleem vltima Septe. habens ætatis suæ an. 91.

Facta Synodo Spoleti iussu Imperatoris, deponitur Eulalius a 252. Episcopis, constituiturq; Præsul in ciuitate Nepesina Mortuo autem Bonifacio petierunt presbyteri Eulalium reuocari Romam, sed ipse recusauit, & noluit fieri amplius Pontifex.

via Salaria iuxta corpus Sanctę Felicitatis 8. Kal. Nouembr. Et cessauit Episcopatus dies 9.

Scripsit epistolas tres, ad Honorium Augustum primam, supplicans vt constituatur ab eo, ne vnquam in Vrbe Roma per ambitum ordinetur Antistes, secundam ad Episcopos Galliæ, de Maximo Episcopo, diuersis criminibus accusato. Tertiam ad Hilarium Episcopum Narbonensem, vt nullus, contempto Metropolitano, ordinetur Episcopus.

Concilium Carthaginense

In hac Synodo Prouinciali aderant 217. Episcopi.

Nomine sextum, ordine temporis quintum, tempore Zosimi, Bonifacij, & Cœlestini, de modo prosequendæ appellationis, ad sedem Apostolicam interpositæ, cælebratum præsentibus Romanæ sedis, aliarumue Ecclesiarum legatis viginti duobus, qui omnes Diui Augustini suasu, professionem fidei Nicæni Concilij subscripserunt, deque omnibus quæ in Concilio egerunt, ad Bonifacium Papam perscripserunt. Reliqua verò quę deinceps in Synodo acta leguntur, sub Cælestini pontificatu contigerunt: quem itidem per litteras Synodicas, Patres congregati certiorem reddiderunt.

Anno 423. Theodosij Imp. 16. eligitur Cælestinus, siue vlla plebis discessione, Pontifex numero 43.

Hoc tempore Africa Arianę perfidię tenacissima, & acerbissima Catholicorũ persecutrix, occulto Dei iudicio a Vandalis direpta & vastata, centũ deinceps annorum spacio sub barbarico iugo permansit.

CAELESTINVS Natione Romanus ex patre Prisco, sedit annis 8. mensibus 5. Hic multa constituta fecit, & constituit, vt Psalmi Dauidici 150. ante sacrificium psallerentur, antiphonatim ex omnibus, quod antea non fiebat, sed tantum Epistolæ B. Pauli recitabantur, & Sanctum Euangelium. Hic dedicauit Basilicam Iulij, & multa donaria obtulit. Eius auctoritate Britannia, Scotia, & Italia a Pelagiana Orientales Ecclesiæ a Nestoriana hæresi sunt expurgatæ: Burgundiones, & Hyberni ad fidem Christi conuersi. Hic fecit ordinationes tres in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros 32. Diacones 12. Episcopos per diuersa loca 46. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillę via Salaria 8. Idus Aprilis. Et cessauit episcopatus dies 20.

Emerserant quidam Nouatores, qui incedebant palliati, renibus præcincti, eò quod Dominus in Euangelio suos admonuisset, dicens. Sint lumbi vestri præcincti

Scripsit epistolas decretales XIV. duas ad Episcopos Galliæ: quarum *Prima* scripta D. Augustini contra Pelagium & Cælestium approbat, redarguit verò Episcopos quod obstrepentes presbyteros suos non coercerunt, quibus de doctrina nihil concessum est pręsumere loqui in Ecclesia. *Secunda* verò turbantes statum Ecclesiarum Narbonensis & Viennensis reprehendit, vetatque ne nouus atque diuersus ab eo, quo hactenus vsui fuissent, habitus clericorum induceretur, sed illum, quem à maioribus accepissent, retinerent: quod moribus quàm vestimentis, sacerdotalem decorem præ se ferre, magis præstaret. *Tertiam* ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ. *Quartam* ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum. *Quintam*, ad clerum & plebem Constantinopolitanam. *Sextam* ad Nestorium Episcopum Constantinopolitanum. *Septimam* ad Ioannem Antiochenum Episcopum. *Octauam* ad Synodum Ephesinam. *Nonam* ad Theodosium Augustum. *Decimam* iterum ad Cyrillum commendans illi studium Theodosij erga religionem. *Vndecimam, Encyclicam*, ad Patres Ephesinæ Synodi. *Duodecimam* ad Theodosium Iuniorem. *Tredecimam* ad Maximianum Constantinopolitanum Episcopum. *Vltimam* ad Clerum & plebem Constantinopolitanam, qua congratulatur eis de prostrato heresiarcha Nestorio, asserente Christum hominem tantum ex Maria natum fuisse, postea verò ei ex merito diuinitatem esse collatam.. Gennad. Soc. lib. 7. cap. 32.

Theodosius habito conuentu, lege prohibuit Crucem vel signum Seruatoris in solo, silise, aut marmore humi posito insculpi, ne hominum pedibus tereretur.

Concilium Carthaginense

Hoc Concilium dictum est Africanum: quia quæcunque Concilia sub Aurelio Carthaginensi illic celebrata fuerunt, per epitomen sunt collecta.

Sub Zosimo ceptum, & sub Bonifacio actum, sub Cælestino finitum, in quo tituli Canonum diuersorum Conciliorum Africanæ prouinciæ, numero CV. conscripti sunt, de quibus ad Cælestinum Papam Epistola Synodica perscripserunt.

Concilium Secundum in Oriente

Anno Christi 427. Cœlestini 4. Theodosii 20.

Quo verò loco, nescimus sub Cœlestino Pontifice celebratum, contra Messalianos hereticos, alias sępe iam damnatos; statutumque, ne licet summam prę se

se ferrent pœnitentiæ speciem, amplius in Ecclesiam reciperentur, quam sæpius grauissime eluserant. Baron. an. 427. num. 23.

Tertium Concilium sub Cælestino contra Nestorium Romæ celebratum

Qui suę impietatis Commentarios, cum litteris (S. Mariam non theotocon, sed Christotocon appellandam esse docens) ad Pontificem transmiserat. Quibus ille acceptis mox Synodum congregauit, lectoque libello Cyrilli, & litteris, quibus Nestorij impietatem egregiè confutabat, nemine refragante eius hęresim condemnauit: ipsique Nestorio decem dierum spacium ad resipiscendum, per litteras ad eum missas præscripsit. Scripsit & ad Cyrillum de rebus in hac Synodo gestis (cui in Concilio Ephesino vices suas commiserat) mandans ei, vt nisi Nestorius intra decem dierum interuallnm, tam verbi prædicatione ad populum, quam scriptis palinodiam recantet, anathemate illum feriat, aliumque Episcopum Constantinopolitanæ sedi præficiat.

Nestorius cum sua hæresi condemnatus.

Quartum Concilium Alexandrinum,

A Cyrillo in causa Nestorij celebratum; qui delegatam habens à Cælestino potestatem, quatuor legatos cum litteris Romani Pontificis ad Nestorium ablegauit, præscripturos ei decem dierum spacium ad hæresim suam abiurandam. Addidit quasdam epistolas Synodales, quarum vna cum duodecim anathematismis, ad Nestorium delata est: reliquæ ad clerum Constantinopolitanum, & Patres Monasteriorum scriptę fuerunt. Sed hæreticus sententiæ contra se latę executionem cauillis effugiens, ad Theodosium Imp. confugit: qui eam ob causam de Concilio vniuersali in annum sequentem Ephesi celebrando apud Celestinum Pontificem egit.

Ex hac Synodo legati ad Nectorium decernuntur, duo Episcopi & duo Ecclesię Alexandrinę ministri, qui Constantinopolim venientes die Dominica, dum Synaxis in basilica haberecur litteras, & anathematismos Nestorio obtulelerunt, quibus ille cum se in crastinum responsurum pollicitus esset, toto biduo delusit, tandem nec respondere quicquam dignatus est.

Quintum sub Cælestino Concilium Ephesinum, Vniuersale tertium

A ducentis Patribus celebratum, contra Nestorium, eiusque hęresin Anno Christi 431. præsidente Apostolicę sedis nomine Cyrillo Episcopo Alexandrino, temporibus Theodosij Iunioris, & Valentiniani Impp. Vbi examinatis Nestorij aduersus Christum Dominum ac Deiparam Virginem blasphemijs ab Episcopatu, sacerdotumque consortio Nestorius deijcitur, constantissima totius Synodi sententia Episcoporum omnium subscriptionibus munita, quam statim solemni pompa præcones tota vrbe circumtulere; nec voce tantum, sed affixis etiam publicè syngraphis promulgarunt. Perscriptumque est continuò quidquid actum gestumque fuerat Augustis, & Cælestino Pontifici; a quo alij etiam Legati, post latam iam sententiam aduenientes, acta Synodi recognouerunt diligenter, suoque suffragio, & chirographo munierunt. Nestorium verò Imperator in exilium relegauit, & in eius locum notissimæ pietatis vir Maximinus suffectus est per Episcopos qui Constantinopolim conuenerant. In eadem Synodo Oecumenica hæresis Pelagiana, quam Nestorius cum suis fautoribus restituere, & confirmare nitebatur, condemnata est: ciuesque Ephesini, ardore Catholicæ fidei æstuantes, omnes Pelagianos populari vi atque tumultu, protinus vrbe expulerunt.

Theodorus Peltanus Soc. Iesu. Concilium hoc è Græco interpretatus, notis illustrauit.

SIXTVS III.

Natione Romanus, ex patre Sixto, sedit annis 8. & diebus 19. Hic post annum vnum & menses octo, incriminatur à quodam Basso, (*de stupro Virgini Deo consecratæ illato*) Quod audiens Valentinianus Augustus, iussit Concilium, & sanctam Synodum congregari. Et facto conuentu, cum magna examinatione, per iudicium Synodicum purgatur a 56. Episcopis. Et condemnatur Bassus a Synodo ita tamen, vt vltimo die viaticum ei non negaretur, propter humanitatem pietatis Ecclesiæ. Igitur Valentinianus Augustus, cum matre sua Placidia Augusta, furore sancto commoti, proscriptione Bassum condemnauerunt, & omnia prædia facultatum eius, Ecclesiæ Catholicę sociarunt. Qui Bassus nutu diuino intra tres menses defunctus moritur: cuius corpus Sixtus Episcopus cum linteaminibus, & aromatibus, manibus suis tractans, recondidit, & sepeliuit, ad B. Petrum Apostolum, in cubiculo parentum eius. Hic basilicam S. Mariæ ma-

Anno 432. Theodosii 25 Valentiniani 8.

Hic initio Pontificatus Ephesinam Synodum eiusque decreta Apostolica auctoritate confirmauit. Ioannem Antiochenum aliosue Orientis Episcopos ab Ecclesia schismate diuisos, eiusdem vnitati, & communioni restituit. Reuelatione diuina Petrum diaconum cognomento Chrysologum Rauennatibus Episcopum dedit.

tris Domini, quæ ab antiquis Liberij cognominabatur, in ampliorem formam restituit, & amplioribus ornamentis exornauit: tum & alijs Ecclesijs multa ex auro, & argento donaria obtulit. Eiusque exemplo, & rogatu religiosissimus Princeps Valentinianus Augustus in basilica Constantiniana fastigium argenteum fecit, multasque imagines aureas gemmis preciosissimis ornatas, diuersis Ecclesijs donauit; quæ omnia a barbaris sublata sunt. Hic fecit platoniam in cœmeterio Calixti via Appia, vbi nomina Episcoporum, & martyrum scripsit cum memorijs. Hic fecit ordinationem in Vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros 28. diacones 12. Episcopos per diuersa loca 52. Qui etiam sepultus est via Tiburtina in crypta, iuxta corpus B. Laurentij 5. Kal. April. Et cessauit Episcopatus dies 22.

Scripsit epistolas tres, vnam ad Cyrillum Alexandrinum, & alteram ad Ioannem Antiochenum, congaudens de pace inter illos inita, deque amoto Nestorio, hæresibusque eius condemnatis. Et tertiam ad Orientales Episcopos, de sua innocentia Sacramento purgata, deque accusationibus Episcoporum.

Concilium sub Sixto primum Antiochenum,

Quo Ioannes Antiochenus Nestorium, quem in Concilio Ephesino tuebatur, condemnauit, & cum Cyrillo Alexandrino pacem iniuit, redintegrando communicationem cum Romano Pontifice, de quo ad Sixtum Synodalem epistolam transmisit.

Secundum Concilium Romanum,

A Sixto Pontifice ad sui expurgationem indictum, & congregatum, cum à Mariniano, & Basso viris Consularibus impetitus esset, quod illi sanè prædia, à Crescentio quodam Ecclesiæ donata, vendere in Sicilia recusasset: huic verò molestus esset pro emancipatione ingenui adolescentis Epiphanij, cuius facultates Bassus tutelario iure administrans, sibi adscribere præsumeret.

Tertium Concilium Armeniæ,

Quo libri Nestorianorum, in Syrorum, Armenorum, & Persarum linguam translati, condemnati sunt. Quos ne soli Armeniæ Episcopi condemnasse viderentur, per legationem missam ad Proclum Constantinopolitanum Episcopum sententiæ suæ confirmationem petiuerunt. Proclus re examinata, non tantum ipse consensit, verum etiam per Ioannem Antiochenum, aliosque Episcopos qui cum ipso congregati erant, eandem fidem, & sententiam subscribi curauit. Baron. an. 435. num. 1.

In Ecclesia Catholica post Romanum Episcopum Alexandrinus primatum, obtinet, eoque nomine omnibus Orientis Ecclesijs præsidet.

Quartum Concilium Constantinopolitanum

In quo Patres congregati vnanimi consensu definierunt distinctionem seu diuisionem diœcesium Sedis Antiochenæ atque Alexandrinæ, olim auctoritate Apostolica ordinatam, Nicænique Concilij, & aliorum canonibus confirmatam, eo quod Dioscorus Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus Constantinopoli degens, veterem controuersiam de iure diœcesios, & primatus excitasset, opponente se illi acerrimè pro iuribus Ecclesiæ Antiochenæ defensore, Theodoreto Cypri Episcopo. Baron. an. 439. num. 42. & 43.

Quintum Concilium Regiense,

In quo tredecim Galliæ Episcopi congregati, sex pro Ecclesiæ suæ reformatione canones conscripserunt, sub Imperatoribus Theodosio Iuniore, & Valentiniano. Anno Domini 439. sexto Kal. Decembr. Præcipuè autem cauerunt, ne qui ex schismaticis aut hæreticis ad Ecclesiam redirent, sedibusque suis ac dignitatibus quibus priuati erant restituerentur. Multi etenim Episcoporum qui Pelagium sectati fuerant, pœnitentiam simulabant, vt sedem sibi merito ademptam reciperent,

Anno 440. Pontifex in ordine 45. absens, in locum Sixti defuncti surrogatus. Pelagianam heresim opera S. Prosperi planè extinxit;

LEO I.

Natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annos 21. mensem vnum. Huius temporibus fecit Demetria ancilla Dei, Basilicam sancto Stephano via Latina, milliario 3. in prædio suo. Hic inuenit duas hereses, Eutychianam, & Nestorianam; quare, facta collatione

cum

cum Martiano Augusto, indixit Concilium Episcoporum in Chalcedonia, in martyrio sanctæ Euphemiæ, qui exposuerunt fidem Catholicam, duas asserentes naturas in vno Christo Deo & homine. In quo loco pijssimus Augustus Martianus vna cum vxore sua Pulcheria, deposita Regia maiestate, fidem exposuerunt ante conspectum sanctorum Episcoporum; vbi & damnauerunt Eutychen, & Nestorium, & Dioscorum. Et iterum Imperator Martianus, cum coniuge sua Pulcheria, chirographo proprio fidem suam exponentes, postulauerunt sanctum Concilium, vt dirigeret ad sanctissimum Papam Leonem, rogantes, vt fidem Catholicam exponeret. Beatus verò Leo direxit fidei Catholicæ tomum, & exposuit damnans omnes hæreses. Idem multas epistolas fidei misit, (quæ hodie archiuo Ecclesiæ Romanæ reconditæ tenentur) firmauitque illis frequenter Synodum Chalcedonensem. Ad Martianum Augustum misit epistolas 12. Ad Leonem Augustum epistolas 9. Ad Episcopos per Orientem epistolas 18. per quas fidem Synodi confirmauit. Hic renouauit post cladem Vandalicam omnia ministeria sacrata argentea per omnes titulos, de conflatis hydrijs sex, duas Basilicæ Constantinianæ, duas Basilicę B. Petri Apostoli, duas B. Pauli Apostoli, quas Constantinus Augustus obtulit, quę pensauerunt singulę libras C. Hic renouauit Basilicam B. Petri Apostoli, & fecit ibi cameram, quam & ornauit, Et B. Pauli basilicam post ignem diuinum reuocauit: fecit & cameram in eadem: similiter & in basilica Constantiniana. Fecit quoque basilicam sancto Cornelio Episcopo & martyri, iuxta cœmeterium Calixti via Appia. Hic propter nomen Romanum suscipiens legationem, ambulauit ad Regem Hunnorum Attilam, liberauitque totam Italiam à periculo hostium. Hic constituit monasterium apud Petrum Apostolum. Hic constituit, vt intra actionem sacrificij diceretur, *Sanctum sacrificium immaculatam hostiam &c.* Hic quoque constituit, vt monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate 60. annis. Hic etiam constituit, & addidit super sepulchra Apostolorum ex Clero Romano custodes, qui dicuntur cubicularij. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem in Vrbe Roma, presbyteros 81. diacones 31. Episcopos per diuersa loca 185. Qui etiam sepultus est apud B. Petrum Apostolum 3. Idus April. Et cessauit Episcopatus dies 7.

Eius temporibus Cyrillus Alexādrinus ex hac vita migrauit, postquā sedem Alexandrinam 32. annis administrasset.

Primum Concilium sub Leone Arausicanum I.

Ad reformationem disciplinæ Ecclesiasticæ celebratum, Canones 29. conscripsit, & formam excommunicandi, & reconciliandi excommunicatum addidit. Quindecim Episcopi Narbonensis, & Lugdunensis prouinciæ in hac Synodo conuenerant, pontificatus Leonis Papæ anno secundo, Christi verò Domini anno 441. Theodosii Iunioris 34. & Valentiniani 17. Quos inter, primum locum obtinebat Hilarius Arelatensis, scriptorum S. Augustini defensor.

Secundum Concilium Vasionense.

In quo 18. Episcopi conuenerunt, sub die Iduum Nouembris Anno Domini 442. & decem Canones pro firmanda Ecclesiastica disciplina statuerunt, anno Pontificatus Leonis Papæ tertio.

Tertium Concilium sub Leone, Romanum I.

In causa Manichæorum quos cum Pontifex in vrbe occultè latitantes comperisset, iisque publicam quandam notam infamiæ, qua à Catholicis discernerentur, iussisset (vt constat ex eius epist. 2. hoc anno mense Ianuario ad Episcopos Italiæ scripta) anno Pontificatus sui quinto, aduersus eosdem Romæ Concilium indixit. Cui, vt Manichæorum scelera notiora redderentur, non tantùm Episcopos & Presbyteros, sed & Senatores complures, illustresque viros, imò & plebis partem præsentem esse voluit: demonstrauitque in hac secta nullam pudicitiam, nullam honestatem, nullam penitus reperiri castitatem, in qua nimirum lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo, vtque eam omnes præcauere, & longius propulsare discerent, serio mandauit.

Anno Christi 444. & Theodosij Imper. 37.

Quartum Concilium Romanum II.

Anno Domini 445. In causa Hilarii Arelatensis Episcopi celebratum, qui sponte ad sui defensionem Romam veniens, à Synodo conuictus, quod Patrocli, aliorumque antecessorum suorum vestigiis insistens, contra Taurinensis Concilii definitionem, Bonifacii & Cælestini Pontificum constitutionem, in Viennensi & Narbonensi prouincia, Episcopos deponere, aliosque in locum adhuc viuentium substituere præsumpsisset, nulla licentia expectata, nullaque abeundi facultate impetrata Arelaten rediit. Igitur sententiam in eum pronunciatam, Leonis Pontificis rogatu, Valentinianus Imperator, dato rescripto ad Aetium Magistrum militiæ in Gallia executus est.

Quintum Concilium Hispanum,

Anno Domini 447. In causa Priscillianistarum indictum, quos Episcopi hortatu S. Leonis è diuersis Prouinciis congregati, condemnarunt, atque contra hæresim eorum, regulam quandam fidei, (quæ in fine Concilii Toletani primi excussa est) cum aliquot capitulis ediderunt. Barbaris enim (Vandalis Gothis, atque Sueuis) Hispanias vastantibus, diuersi eam hæretici inuaserant, qui commixtis inter se variarum hæresium erroribus Priscillianistas sese nuncuparant. Sed S. Turibius Asturicensis Episcopus, vehementi Catholicæ veritatis ardore succensus, hanc Synodum, misso ad Leonem Diacono suo Romam, fieri procurauit, & florentissimam quondam illam Ecclesiam Hispanicam, velut agrum incultum, vepribus vndique repletum ac spinis, iterum repurgauit.

Sextum Concilium Constantinopolitanum I.

Anno Domini 448. Quo sub præsidio Flauiani Eutyches Archimandrita condemnatus est, qui in Christo Domino ante incarnationem duas naturas fuisse, post incarnationem verò vnam tantummodo in eo naturam esse docebat, deque sua hac hæresi libros conscriptos ad diuersa monasteria transmittebat eo fine, vt subscriptione Abbatum, & monachorum aliorum approbarentur. Igitur officio Sacerdotali, communione fidelium, & primatu monasterii priuatus, ad diuersos, & ad Leonem Pontificem subdolas, & mendaciorum plenas literas scribit, tum quoque coram Theodosio Imperatore vim se passum esse prædicat, vt omnium hæreticorum mos est. Sententiæ subscripserunt Episcopi 32. Archimandritæ 23. Flauianusque de rebus in Synodo gestis, Leonem Pontificem per Epistolam Synodicam certiorem reddidit.

Septimum Concilium Tyrium,

In causa Ibæ Episcopi Edessæ vrbis in Syria congregatum, qui à quatuor Presbyteris Ecclesiæ suæ, (quos ob certos excessus sua sententia excommunicauerat) principio apud Domnum Antiochenum de hæresi Nestoriana accusatus fuit: quasi post initam inter Cyrillum Alexandrinum, & Ioannem Antiochenum concordiam in antiqua sententia, pro Nestorio contra Cyrillum perstaret. Igitur Domnus Antiochenus indicto Concilio Antiochiæ, duobus accusatoribus præsentibus Ibam innocenter accusatum absoluit, duos vero alios præstiti iuramenti immemores ad Imperatorem confugientes, velut calumniatores condemnauit. Imperator autem detulit iudicium Ibæ, tribus alijs Episcopis, Photio nimirum Tyri, Eustathio Beryti, & Vranio Himeriæ: coram quibus Ibas hæresim Nestorij detestatus, fidem Catholicam syncere professus est, & absolutus. Sed iterum cum duobus alijs Episcopis, à tribus diuersis Edissenæ Ecclesiæ Presbyteris de blasphemia accusatus, ab iisdem iudicibus Berythi congregatis, absolutus est.

Octauum Concilium Constantinopolitanum II.

5. Id. Aprilis Anno Christi 449. Leonis anno 10. In causa Eutychetis celebratum, qui condemnatus in Concilio Constantinopolitano superiori, per Chrysaphium Eunuchum Imperatorii cubiculi præfectum Concilium indici postulauit. Itaque iussu Leonis Papæ triginta Episcopi Constantinopolim conuenerunt, quibus non Flauianus Patriarcha præsidebat, sed Theodosius Cesareæ Cappadociæ Episcopus. Cumque Eutyches Acta Synodi præteritæ à Flauiano legitime confecta, irrita reddere non potuisset, & in ipsum Flauianum damnationis pœnam conuertere haud quaquam valuisset, Dio-

sco-

ſcorus Alexandrinus ad inſtantiam Eutychetis, aliam vniuerſalem Synodum Epheſi celebrandam ab Imperatore impetrauit.

Nonum Conciliabulum Epheſinum II.

Hoc Concilium Synodus prædatoeia, ſeu latrocinium Epheſinum eſt nominatum, quia in eo nil niſi per vim & metum tentatum, atque loco ſacrorum librorum, gladij, & fuſtes adhibiti fuerint. Anno 449: Theodoſij Iunioris 42.

Romani Pontifices non niſi per legatos extra Vrbem Synodis intereſſe conſueuerunt.

A centum viginti octo Epiſcopis celebratum, qui Eutycheten abſoluerunt, hæreſim eiuſdem confirmarunt, & Flauianum, cum quibuſdam aliis Epiſcopis Catholicis condemnarunt. Qui verò veritatis defenſores fuerunt, iuſſu Imperatoris alii profugantur, alii in exilium deportati, miſerrimè tandem occiduntur. Legati Romani Pontificis, cum Dioſcorum Alexandrinum auctoritate Imperiali præſidere vidiſſent, noluerunt in Concilio ſedere, niſi præſidentiam, quam contra æquitatem ab Imperatore extorſerat Dioſcorus Pontifici cederet. *Bellarm: lib. 1. Concil. cap. 6. & 19. Poſſeuin. in app. ſacro Epheſina ſecundæ Synodus.* Et quia Epiſtolam Pontificis Encyclicam de Verbi incarnatione ad Flauianum tranſmiſſam, & totam Synodum, Concilium malignantium legere noluit, ideo legati, qui eam legendam offerebant, Acta Concilii non ſubſcripſerunt, & Dioſcoro audaciſſime in faciem reſtiterunt, proteſtantes nullius roboris eſſe, quæ per vim & metum extorquerentur. Flauianus Conſtantinopolitanus Patriarcha, cum poſt interpoſitam viua voce appellationem, animo proſequendæ eiuſdem appellationis, ſcriptum libellum appellatorium legatis Pontificis obtuliſſet, cæſus eſt, & multis iniuriis affectus, dolore plagarum migrauit ad Dominum.

Decimum Concilium Romanum III.

Romani Pontifices ſingulis annis Synodum cum vicinis Epiſcopis celebrabant.

Quo Leo Pontifex Acta Epheſini Conciliabuli reprobauit. Cum enim moris eſſet, vt ad tertium Kal. Octobris, ſingulis annis plurimarum prouinciarum Epiſcopi, ad Synodum celebrandam Romam conuenire ſolerent, oportune accidit, vt abſque alia Epiſcoporum vocatione, poſt Hilari Diaconi reditum (qui cum duobus aliis, Iuliano videlicet Epiſcopo Puteolano, & Renato Presbytero ad Concilium Epheſinum legati munere ablegatus fuerat, Dumque iuſſu Dioſcori Alexandrini, qui Imperatoria poteſtate Concilio præſidebat legati à militibus Auguſti detinerentur, ne quæ tyrannice geſta erant in Synodo prædicta, Romano Pontifici nunciarent, ipſe ocyus fuga elapſus, per inuia loca, perque multa pericula Romam peruenit, atque Pontifici ſingula, prout geſta fuerant, enarrauit.) Romæ ex priſtino vſu, ſancta Synodus cogeretur; in qua cuncta, quæ more prædonum Epheſi ab Eutychianis hereticis geſta erant, penitus condemnata fuerunt. Scripſitque ea de re Pontifex ad Clerum Conſtantiuopolitanum, ad Theodoſium Imperatorem & Pulcheriam Auguſtam. Quæ cum Dioſcoro innotuiſſent, vix Alexandriam reuerſus, habito Epiſcoporum conuentu, in S. Leonem Romanum Pontificem excommunicationis ſententiam protulit, quam vix decem Epiſcopi lachrimantes & inuiti chirographo ſuo approbarunt, cum nonaginta & amplius ad illam Synodum conuenerint, & Eutychianam hæreſim confirmarint. Licet enim hæretici facti eſſent, & Catholicæ fidei aduerſarii, ſublimitatem tamen throni Apoſtolici veriti, inauditum hactenus facinus comprobare noluerunt.

Vndecimum Concilium ſub Leone. Conſtantinopolitanum III.

Anno Domini 450. Leonis vndecimo.

In quo Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, in locum Flauiani ſurrogatus, accepta Epiſtola Papæ de confirmatione Catholicæ fidei contra veſaniam hereticorum, confeſſionem cum omnibus Epiſcopis Archimandritis, Presbyteris, & Diaconibus, quos congregauerat edidit, & ſubſcripſit, anathema dicens Eutycheti, & Neſtorio, & ipſorum dogmati cum ſectatoribus eorum. Quatuor legati à Pontifice ad hoc Concilium miſſi fuerunt, quos inter B. Abundius Comenſis Epiſcopus erat, qui huius Synodi Acta conſcripſit, honorifice à Martiniano Imp. exceptus. In hac Synodo conſtitutum fuit, vt Epiſcopis in conuentu Epheſino lapſis, ad communionem Eccleſiæ redire volentibus, ſuæ tantum, non totius Catholicę Eccleſię communio concedatur: tum ne Dioſtori Alexandrini, Iuuenalis Hieroſolymitani, & Euſtathii Berythi Epiſcoporum nomina in ſacris nominarentur; ideo quod impœnitentes anteſignani Schiſmaticorum eſſent.

Duodecimum Concilium Mediolanense,

Ab Eusebio Metropolitano iussu Summi Pontificis conuocatum, in quo publicis subscriptionibus doctrinam de verbi incarnatione ad Flauianum à S.Leone Papa scriptam confirmarunt, doctrina & sanctitate celebres Episcopi, præter Eusebium Mediolanensem, Abundius Comensis, Maximus Taurinensis, Crispinus Ticinensis, aliique plures. De quibus vide Baron.an. 451.num. 13.& seqq. Absentibus mandatum est, vt per suos legatos idem exequantur. Interea temporis Martianus Theodosio in Imperio succedens, biduo siue triduo à sua electione, eiusmodi in hereticos recens obortos Constantinopoli promulgauit edictum. *Eos qui Catholicarum Ecclesiarum Clerici, vel Orthodoxę fidei monachi, relicto vera Orthodoxa religionis cultu, Appolinaris vel Eutychetis hæresim & dogmata abominanda secuti fuerint, omnibus poenis, quæ superioribus legibus aduersus hæreticos constitutæ sunt, iubemus teneri, & extra ipsum solum* Romani *imperij repelli, sicut de Manichæis præcedentium legum statuta sanxerunt.*

Anno Domini 451.

Decimumtertium Concilium sub Leone, Chalcedonense Oecumenicum seu vniuersale Quartum.

In quo sexcenti triginta Episcopi omnes heręses, maximè Eutychetis & Dioscori condemnarunt. Christumque Dominum, perfectum Deum, perfectum hominem, ex duabus naturis inconfusè atque incommutabiliter consistentem, & diuinitate quidem Deo Patri, humanitate verò nobis esse consubstantialem ac per omnia similem, (si peccatum excipias) decreuere, sententiis omnibus, quę vllo modo videri possunt, ab hoc dogmate dissidere, proscriptis. Martianus verò Imperator animo ad fidem Ecclesiamque tuendam atque amplificandam intentissimo, seueris legibus cauit, ne quis Chalcedonensium Patrum decreta vocaret in dubium. In Eutychianos exilia, aliaque supplicia constituit, & ipsum Euthychem in longiora quam maxime loca ablegare iussit. Dioscorum verò Episcopali honore, à Synodo priuatum, & omnibus functionibus Sacerdotum eiecit in vrbem Paphlagonię Gangrenam nomine, vbi, & animam miserabiliter exhalauit. In cuius locum Synodus Proterium suffecit, approbantibus omnia Apostolicis Legatis, Paschasino Lilybetano, Lucentio Asculano, Iuliano Coensi, Episcopis, & Bonifacio Presbytero, qui nomine Leonis, Concilio pręsidebant. Et quanquam principio Imperator voto singulari desideraret, vt Patres Nicęam conueuirent, (prouti, & conuenerant) eodemque loco, quo primum Ariana perfidia oppugnata est, Eutychianam heresim condemnarent: propter bellicas tamen expeditiones, & barbarorum incursiones fieri debuit, vt Patres pręscripto die Nicęę congregati, transferrentur Chalcedonem, quę Constantinopoli propinquior, & à metu hostium multo securior erat. In amplissima itaque basilica S. Euphemię Martyris, in suburbiis collocata Synodus celebrabatur. Et occasione Concilii ad instantiam Imperatoris hęc vrbs facta est Metropolis, citra pręiudicium Nicomedię. Quę igitur hoc Concilio de fide Incarnationis Domini nostri Iesu Christi, contra hęresim Eutychianam, communi Patrum Orthodoxorum sententia definita sunt & omnia auctoritate Leonis Pontificis, prout iidem Patres Concilii Synodali epistola ad Leonem scripta expedierant, confirmata & approbata fuerunt, vt patet ex circulari epistola. Id verò, quod instigante Anatolio Constantinopolitano Antistite, ambitiosè, absentibus & postea contradicentibus legatis Pontificiis, de primatu sedis Constantinopolitanæ, contra decreta Nicęni Concilii constitutum fuit, vt post Romanam sedem, secundum locum Patriarchalis honoris hac dignitate Constantinopolitana Ecclesia haberet, id inquam S. Leo Pontifex planè improbauit, & reiecit, vt patet ex Epistola eius 55. ad Pulcheriam Augustam & 62.ad Max.Antioch.

Tempore huius Concilij floruit S. Petrus Episcopus Rauennæ propter diuinam eloquentiam Chrysologus dictus.

Martianus Imp. huic Concilio interfuit, vt illud sua auctoritate, aduersus hæreticorum tumultus ac seditiones tutaret ac defenderet.

Decimumquartum Concilium sub Leone Alexandrinum,

A Proterio Alexandrino Episcopo, in causa Eutychianorum celebratum. Qui in locum Dioscori à Sancta Synodo Chalcedonensi surrogatus, hoc inprimis egit, vt ad Catholicam communionem illi, qui hactenus ob hęresim Eutychianam separati fuerant, Orthodoxę fidei professione facta, ad Ecclesiam redirent. Sed cum

Eodem Anno 457. Pseudomonachi Eutychiani in Palæstina grauissimis tumultibus excitatis, Iuuenalem Episcopum Hierosolymitanum, à Concilio Chalcedonensi

cum illi penitus restitissent, Imperator eos exilio mulctauit. Hinc maxima seditio populi Alexandrini ortat est, cum cęde multorum & incendio, Pseudomonachis Synodum Chalcedonensem respuentibus, eamque de erroribus arguentibus. Quorum erroribus imbuti, Timotheus presbyter cognomento Aelurus, & Petrus Diaconus, sectatores Dioscori, ab Alexandrina Ecclesia se separarunt. Quos cum Proterius Episcopus ad ministerium proprium reuocare non posset, vtrumque damnauit. Mortuo autem interea temporis Martiano Augusto, Timotheus & Petrus veniunt Alexandriam, collectis turbis hæreticorum, qui Timothęum ordinarunt Episcopum. Duo igitur apud Alexandriam Episcopi cęperunt esse. Ante triduum autem Paschale, quo cæna Domini cęlebratur, perditi homines in Ecclesiā irruentes, A.D.457. Sanctum Episcopum Proterium occiderunt, laniarunt, & funus incenderunt, cineresque ipsius inuentos sparserunt, eique Timotheum parricidam sacrilegum surrogarunt. Qui deinceps à Leone Imp. missus fuit in exilium Gangram, & alter Timotheus Catholicus fit Episcopus Alexandrię, qui vixit quietè vsque ad tempora Basilisci Imperatoris. Mentio huius Concilii habetur in Epist. Catholicorum Episcoporum & Celricorum Aegypti ad Leonem Imp, quæ extat post Chalced. Concil. pag. apud Binium 146.

reuersum, eiecerunt, & quendam Theodosium Monachum à quo Theodosiani vocati sunt, hominem nefarium in Episcopum asciuerunt, multasque cœdes, & incendia perpetrarunt, Chalcedonensis Concilij professores persequendo. Alexandrini vero improbissimum hominem Dioscorum religiose coluerunt vsque ad hoc tēpus quo ad Clemētem VIII. Anno 1594. legatos miserunt communionem Sedis Apostolicæ rogantes.

Decimumquintum Concilium Andegauense.

In quo disciplina Ecclesiastica licentia quadam viuendi corrupta, in meliorem statum reformata fuit, vt patet ex Canonibus, numero 13. in Concilio illo conscriptis Anno Christi 453. Leonis Papæ 14. Marciani Imp. 4. Valentiniani 29.

Concilium hoc doctiss. vir Fronto Ducæus Soc. Iesu Presbyter è temporum obscuritate vindicatum in lucem primus emisit.

Decimumsextum Concilium Venetense.

Ab Episcopis Galliæ celebratum, vbi ea quæ in priorum Patrum statutis videbant omissa, & procedente tempore ex nimia licentia prolabente seculari libertate presumpta, saluberrimis constitutionibus sancita sunt. Barbarorum etenim incursionibus in Gallia plurimum laxata fuit Ecclesiastica disciplina, quam congregati Patres causa ordinandi episcopatus Venetici emendarunt. & correxerunt.

Decimumseptimum Concilium circa tempora Leonis Papæ celebratum, Arelatense III.

Octauo Idus Iulij 553. conuenientibus eo 14. Episcopis ad dedicationem basilicę sanctę Marię. vbi licet quatuor tantum Capitula seu Canones ad reformandum Clerum Gallię constituerunt, multa tamen inde Gratianus decrea desumpsit, vt videre est in corpore Iuris Can.

Vltimum Concilium sub Leone Constantinopolitanum.

Septuaginta trium Episcoporum, presentibus Domitiano atque Geminiano Episcopis, Apostolicæ sedis legatis, à Gennadio vigilantissimo vrbis Constantinopolitanæ Antistite celebratum, vbi primo omnium actum est de firmando fidei decreto in Chalcedonensi Concilio edito, quod hæretici frequentibus ictibus concutere, atque penitus deijcere conabantur. Deinde recitatæ fuerunt ibidem omnes illæ epistolæ, quas, & Episcopi Orientis, & sanctissimi Anachoretæ, duas naturas in Christo confitentes, consubstantialemque Patri Deum Verbum, etiam nobis secundum carnem ex Maria consubstantialem factum, veraciter asserentes conscripserant. Denique ad tollendam Simoniacam labem, quæ Constantinopolitanam Ecclesiam deturparat, Canonem illum ediderunt, qui in Epistola Encyclica huius Concilij continetur.

HILARIVS

Natione Sardus, ex patre Crispino, sedit annos sex, menses decem. Hic fecit decretalem, & per vniuersum Orientem sparsit, & epistolas de fide Catholica, confirmans tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem, & Tomum sancti Archiepiscopi Leonis. Et damnauit Eutychem, & Nestorium, & omnes eorum sequaces, & omnes hæreses, confirmans damnationem, & principatum Sanctæ sedis Catholicæ, & Apostolicæ. Hic fecit constitutum (id est decretum Synodale) de Ecclesia, in Basilica ad sanctam Mariam, multaque vasa aurea, & argentea lapidibus preciosis exornata, tum, & oratoria musiuo opere splendentia fecit,

Pontifex 46. eligitur, Anno Christi 461. die 19. April.

cit, & diuersas Ecclesias vrbis adornauit, vt refert Anastasius Bibliotecarius in vita sua. Fecit, & bibliothecas duas ad basilicam Lateranensem. Ad Lunam verò Monasterium in vrbe construxit. Hic fecit ordinationem vnam in Vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros 25. Diacones 5. Episcopos per diuersa loca 22. Qui etiam sepultus est ad S. Laurentium in crypta, iuxta corpus B. Sixti. Et cessauit Episcopatus dies decem.

Hilarius Papa succedens in Pontificatu S. Leoni memor voti nuncupati cum è pseudo synodo Ephesina insidias Dioscori fugiens sanus euasisset, ædiculam erexit Romæ in baptisterio Constantini in honorem B. Ioan. Euangelistæ cum hac inscriptione. Liberatori suo B. I. Euangel. Hilarius Episcopus famulus Christi.

Scripsit Epistolas Decretales ad diuersos Episcopos, & Metropolitanos numero vndecim. Duodecima verò epistola illius habetur in corpore Concilij Chalcedonensis, quam scripsit ad Pulcheriam Augustam, cùm adhuc Diaconus S. Romanæ Ecclesiæ esset, & Magni Leonis Pontificis legatus ad Concilium Ephesinum; vnde fuga elapsus de rebus tyrannicè ibi gestis, vt Leonem Pontificem oretenus, sic illam per epistolam de omnibus certiorem reddidit.

Vnicum tantum Concilium sub Hilario Papa Romę

A 48. Episcopis Anno Domini 467. celebratum est, die 15. Kal. Decembris in Basilica Sanctæ Mariæ, in quo decreta ad rectam ordinandorum Clericorum dispositionem spectantia, constituta sunt, cautumque ne vllus Episcopus sib eligeret successorem: & vt in omnibus Canones Nicæni, & Apostolicæ sedis decreta custodirentur.

Anno Domini 467. Leonis Imperatoris Orientalis vndecimo.


SIMPLICIVS Natione Tiburtinus, ex patre Castino, sedit annos 15. Menses 5. dies 18. Hic dedicauit basilicam S. Stephani in Cœlio monte in Vrbe Roma. Et basilicam B. Apostoli Andreę iuxta basilicam S. Marię. Et aliam basilicam S. Stephani iuxta basilicam S. Laurentii. Et aliam basilicam intra Vrbem Romam iuxta palatium Licinianum beatę martyris Bibianę, vbi corpus eius requiescit. Hic constituit ad S. Petrum Apostolum, & ad S. Paulum Apostolum, & ad S. Laurentium martyrem hebdomadas, vt presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, & baptismum; regionem tertiam ad S. Laurentium, regionem primam ad S. Paulum, regionem sextam, & septimam ad S. Petrum. Sub huius Episcopatu venit relatio de Gręcia ab Acacio Constantinopolitano Episcopo, & affirmauit Petrum Alexandrinæ Vrbis Eutychianistam hęreticum esse, consciumque fuisse mortis Proterii Catholici. Quod Simplicius audiens, damnauit Petrum, expectans tempus pœnitentię. Hic fecit ordinationes in Vrbe Roma tres, per mensem Decembrem, & Februarium, presbyteros 58. Diacones vndecim, Episcopos per diuersa loca numero 36. Hic sepultus est in basilica B. Petri Apostoli 6. Nonas Martii, & cessauit Episcopatus dies 6.

Scripsit epistolas octodecim ad diuersos Episcopos presbyteros & Archimandritas Constantinopolitanos & Zenonem Imparatorem, vt se Catholicæ fidei defensorem præberet Fullonemque impiissimum Antiochenę sedis detentorem vrbe & Episcopatu eiiceret. Et Timotheum Aelurum scelestissimum Alexandrinæ Ecclesię inuasorem in exilium ablegaret, & ipse attenderet diligenter, ne in transuersum ab hęreticis penitus ageretur.

Concilium vnicum tantum

Anno Domini 486.

Tempore Simplicii Papę celebratum *Turonense I.* in quo disciplina Ecclesiastica, barbarorum incursionibus in Galliis laxata, tredecim Canonibus est reformata, cum Antistites ad celebrandam festiuitatem translationis corporis S. Martini eò conuenissent.



LIBER VII.

QVAM procul absit, vt Romanorum Pontificum auctoritas ex humanis fuerit deducta auctaque præsidijs, quisque planè intelligere poterit, qui modo Simplicij Papæ, eiusque successoris Felicis Tertij tempora, ad trutinam æquitatis examinauerit; dum cessantibus penitus Occidentalis Orbis Romanis Imperatoribus, & regnantibus in Italia ad plura annorum spatia barbaris Arianis, Eutychianis, Nestorianisque, Catholicis omnibus infensissimis, nihilominus Romanæ Ecclesiæ semper effulsit auctoritas atque maiestas, perinde acsi tempora essent Constantini atque Theodosii Imperatorum, non Romæ tantum, sed vbique terrarum, vbi vigeret Christiana religio. Et licet non contemnenda in Historiis videas per Simplicium Papam, de quo supra egimus, auctoritate Apostolica præstita esse, vt sub Odoacre Rege Romam occupante, barbaris Arianis eam replentibus, inter barbaricum furorem, & Arianorum cum potentia coniunctam procaciam, perinde ac in summa pace otio, & tranquillitate esset, eadem auctoritate ac libertate, qua semper antea prædecessores, insidere Cathedræ Petri, vniuersi Orbis Ecclesiis Occidentalibus, & Orientalibus sancire leges, cognoscere causas, definire sententias; illos exauctorare, hos promouere, illosque in sedes Episcopales restituere, releuare oppressos, fastu elatos deiicere, coercere Imperatores, obsistere omnibus barbaris victoribus Regibus; insuper ab Oriente & Occidente suscipere legationes, in omnibus denique arbitrum ipsis atque Iudicem considere; & vbi corpore non posset præsens assistere, legationum auctoritate, ac per vicarias præfecturas tum Occiduo, tum etiam Orientali semper Orbi præsto fuisse, præfuisseque cunctis Ecclesijs Multo tamen maiora intelligere poteris ex regimine Felicis, eiusque successoribus, videbisque facile haud super humanam inniti potentiam Petri Cathedram, sed supra firmam petram, super quam fundauit eam Altissimus, adeò, vt aduersus eam nec homines eidem aduersantes, neque tota vis inferorum præualeant. Quas enim turbas inuasores duarum sedium Patriarchalium non concitauerant? Petrus Tullo Onaphæus, Timotheus Aelurus, & Petrus Mogus? quos motus in Ecclesia Dei non fecerant? Quorum ille prior, qui ante Calendionem, & Stephanum, vt inquit Euagrius, Episcopus fuit Antiochiæ, per vim & dolum vicissim occupata sede, Theopaschitarum hæresim sæpè damnatam palam non tantum promulgauit, sed ipsi etiam Sanctissimæ Trinitati in trysagio hymno crucem adscripsit, verbo & opere docens, non vnam tantum personam, sed totam Sacrosanctam Trinitatem passam esse. Vnde quam vehementer Orientalis Ecclesia turbata fuerit, infra dicetur prolixius, modò quid aliud inde colligas, nisi quod Felix Papa eam cathedram occuparit, quæ auctore Deo Altissimo, supra firmam petram ita est ædificata, vt aduersus eam nulla hominum inferorumque, vti iam diximus, potentia præualere possit.

Romana Ecclesia à Deo gubernatur.

His temporibus Vandalica persecutio, auctore Hunerico Tyranno excitata fuit in Africa, qua præter alias crudelitates 4966. Episcopi Presbyteri, Diaconi, & alij Ecclesiæ Clerici in exilium eremi ablegati fuerunt. Alijs verò linguas, & manus dextras præscindi iussit, qui nihilominus Spiritu sancto præstante, ita locuti sunt, quomodo antea loquebantur quos Iustinianus Imperator in Constit. a se edita de officio Præfecti Prætorij Africæ testatur se vidisse, & audiuisse ita loquentes, & pœnas suas miserabiles enarrantes vt antea loquebantur.

Euagr. lib. 3. cap. 16.

FELIX III.

Natione Romanus, ex Patre Felice presbytero, de titulo Fasciolæ, sedit annos 8. menses, 11 dies

Anno 483. 19. Martij.

Hic Pontifex S. Gregorij Papæ atauus fuit, eiusq; sorori Tarsillæ vitæ san ctissimæ fœminæ, per visionem apparuit, mansionem perpetuæ claritatis ei ostendens cum his verbis, veni quia in hac te lucis mansione suscipio. Quæ subsequente mox febri correpta, ad diem peruenit extremum.

dies 18. Hic fuit temporibus Odoacris Regis, vsque ad tempora Theodorici Regis. Hic fecit basilicam S. Agapeti, iuxta basilicam S. Laurentii martyris. Sub huius episcopatu venit relatio de Græcia, Petrum Alexandrinum reuocatum ab Acacio Constantinopolitano. Tunc Felix Papa facto Concilio damnauit Acacium cum Petro. Post tres autem annos, iterum venit relatio, ab Imperatore Zenone, vt pœnitens rediret Acacius. Tunc Papa Felix misit duos Episcopos, Misenum & Vitalem, vt si inuenirent complicem Petri Acacium, iterum damnarent eos, si non, offerrent libellum pœnitentiæ. Qui dum introissent in ciuitatem Heracleam, corrupti sunt pecunia, & non fecerunt secundum præceptum Apostolicæ Sedis. Venientes verò Romam ad sedem Apostolicam, venerabilis Felix Papa fecit Synodum: & facta discussione inuenit ambos Episcopos (id est, Missenum & Vitalem) reos, & eiecit eos à communione. Tunc Missenus Episcopus non se tacuit corruptum pecunia, cui Concilium concessit tempus pœnitentiæ. Hoc factum est tempore Odoacris Regis. Hic fecit ordinationes duas in Vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros 28. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca 31. Hic sepultus est in basilica B. Pauli Apostoli. Et cessauit Episcopatus dies 5. Et post transitum eius factum est à præsbyteris, & diaconibus constitutum de omni Ecclesia.

Scripsit Epistolas Decretales complures vt videre licet in Gratiano. *Primaque epistola* redarguit Acacium Constantinopolitanum de superbia & tacita conspiratione cum hæreticis, suadetque vt ea quæ commissa sunt corrigat, & sequentibus studiis de se faciat meliora sentiri; tum vt Zenonem Imper. inducat ad emendandum sedulò, quæ aduersus Catholicam fidem hactenus perperam egisset. *Secunda epistola* ad Zenonem Imper. pro Ecclesia Alexandrina supplicat, vt posteriorem Ioannis Episcopi eiectionem, & Petri Mogi restitutionem reprehendat. *Tertia* Acacium Constantinopolitanum Episcopum ex sententia Concilii Romani, condemnat, propter Eutychianorum communionem, eumque munere sacerdotali, & fidelium communione priuat. Quam cum recipere recusaret, monachi cuiusdam opera suspensa est ad pallium illius, dum ad sacra peragenda pergeret. Quo facto eo insaniæ prorupit, vt Dioscorum Alaxendrinum imitatus, nomen Felicis Papæ è sacris Dyptichis tolleret, atque Catholicos Episcopos surrogatis hæreticis & infamibus, sedibus suis exterminaret. Reliquas verò Epistolas ad diuersos Episcopos scripsit; quo tempore Odoacer Rex Herulorum à Nepotianis in odium Orestis, qui Augustulum filium suum Imperatorem appellauerat, in Italiam vocatus, occisis Oreste, & fratre eius Paulo: relegato in campaniam Augustulo, sublatoque occidentali Imperio, factus est Rex Italiæ Anno Domini 476. sicut illi Sanctus Seuerinus Noricorum Apostolus futurum prædixerat. Regnauitque in Italia iuxta eiusdem Sancti (quem villissimis pellibus indutus solus visitauerat) vaticinium, annis tredecim integris & absolutis, atque à purpura, regalibus indumentis, & à nomine Imperatoris abstinuit: ita vt Romanum Imperium in Augusto inchoatum, in Augusto, qui per contemptum Augustulus dicebatur, in Occidente defecerit.

Primum Concilium sub Felice III. Romanum I.

Anno Domini 483. à quadraginta duobus Episcopis hoc Concilium est celebratum.

Celebratum contra Acacium Constantinopolitanum, & Petrum Fullonem, cum in locum defuncti Timothei, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi Orthodoxi, communi consensu Episcoporum, Ioannem virum optimum, hominemque Catholicum, Timotheo in sede Alexandrina suffectum, Zeno Imperator, impulsu Acacii Episcopatu amouisset, eique Petrum Mogum hæreticum, antea semel inde fugatum substituisset, Ioannes de vi & iniuria sibi illata protestatus, ad Sedem Apostolicam appellauit, & suam quam interposuerat appellationem introducturus, Felici Papæ (Simplicium enim defunctum inuenerat) libellum iniuriarum obtulit. Quo suscepto, Felix ob causam, qua non vnius tantum, sed trium præcipuarum sedium Orientis Ecclesiarum vertebatur periculum, Concilium ex Episcopis Italiæ more maiorum celebrandum esse putauit. Constituitque vt ad Zenonem Imperatorem Constantinopoli degentem, legatio decernere-

neretur, & litteræ adderentur ad Acacium, vt querelis aduersum se obiectis responderet. Hac eadem Synodo damnatus est Petrus Fullo, alias Gnaphæus nominatus, iutrusus post Calendionem eiectum, Episcopus Antiochenus. Cui Synodica Epistola latam sententiam intimauit. Ad quem diuersi etiam Occidentis Episcopi, litteras dederunt, quibus post refutatas illius horrendas blasphemias, eundem ad pœnitentiam & meliorem mentem exhortati fuerunt.

Secundum Concilium sub Felice III. Constantinopolitanum,

In causa eiusdem Petri Fullonis Antiocheni Episcopi celebratum, cum ille Epistolam quandam blasphemijs plenissimam scripsit ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum, quando eius opera expulso Calendonio, in sedem Antiochenam inuectus fuit. Hanc cum Acacius accepisset, exhorrescens tot blasphemiarum inuolucrum instar serpentum, mutuis spiris inter se inuicem glomerantium, quantumuis eisdem nonnihil studuisset, ad dementem hominem curandum, Constantinopoli Concilium Episcoporum congregauit, quo omnium Orthodoxorum vnanimi consensu, insanus ille insani Fullonis error condemnatus fuit. Absoluta Synodo, Acacius Constantinopolitanus, Antheon Arsemotis in Aegypto, Faustus Apollonidis, Pamphylus Abydorum, & Asclepias Tralliarum, Episcopi, literas ad Petrum Fullonem dederunt.

Tertium sub Flice Concilium Romanum II,

Inquo Episcopi 77. damnatis, Vitale, & Meseno, Sedis Apostolicæ Legatis, in Acacium Constantinopolitanum, & Petrum Mogum, Alexandrinæ Sedis inuasorem, Synodali iudicio anathematis, & depositionis sententiam pronunciarunt. Petrique Fullonis damnationem repetiuerunt. Destinauerat etenim Prima Synodus Romana, duos Episcopos Vitalem & Missenum, vt ad instantiam Ioannis Antiocheni, Acacio, & Zenoni Synodicas illas, supra memoratas epistolas porrigerent: quibus si nihil impetraretur, Acacium citarent, oblatoque Imperatori scripto alio, peterent eundem ad parendum compelli. Cum itaque his litteris instructi Constantinopolim venissent, contra ius gentium omnemque pietatem à Zenone tractati fuerunt; ereptis literis in carcerem coniecti sunt, & ab Acacio blanditijs mellitisque sermonibus inducti, ipsi Acacio non tantum communicarunt, verumetiam nefandissimi Petri Mogi Alexandrinæ Sedis inuasoris hæretici, nomen in Dypthichis publicè recitari audiuerunt, & sine vlla contradictione sustinuerunt. Præuaricatio legatorum per monachos Orthodoxos Romam nunciata fuit. Quibus auditis Felix Papa, in tanto rerum discrimine, licet Ecclesia sub Herulis Arianis, quasi captiua videretur, maioresque tumultus ab Eutychianis in Oriente concitatos esse sciret, fideique Catholicæ Imperatorem aduersari conspiceret, indicit Synodum Episcoporum. vt tantum nefas ex proditione legatorum admissum, omnium sententia damnaretur, & tam ipsos proditores, quam ad scelus impulsores, per damnationis sententiam percelleret. Qua publicata in Vrbe, mox ad omnes Orientales Episcopos litteræ scriptæ fuefuerunt, quibus admoniti sunt, vt Acacii communionem vitarent, quem Ecclesia sua communione indignum iudicasset. Scripsit etiam sancta Synodus, post latam sententiam ad Clericos, & Monachos, tum Constantinopoli, tum in omni prouincia Bythiniæ existentes, quibus eos de rebus in Synodo gestis admonuit.

Hæc Synodus in templo S. Petri congregata Misenum atque Vitalem Constantinopoli reuersos conuictosque præuaricationis condemnauit; & Episcopatus honore deiecit, Similiterque, & Acacium indignum honore Episcopali iudicauit, sententiamque excommunicationis scripto cœptam Constantinopolim miserunt.

Quartum Concilium, Romanum III,

Triginta octo Episcoporum, de lapsis Africanæ Ecclesiæ recipiendis, celebratum Anno Domini 487. cuius rei causa sex Capitula conscripta fuerunt, pro qualitate vulnerum pharmaca continentia, Mortuo enim Hunerico Tyranno, Gundabundus Rex Vandalorum, pacem Ecclesiis donauit, primusque Catholicos ab exilio reuocauit. Qui cùm Ecclesiam Romanam adirent, statutum est a Synodo, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, quantumuis pœnis coacti misere lapsi fuerunt, exclusi ab omni cœtu fidelium atque Cathechumenorum, vsque ad finem vitæ laica tantùm communicatione impertirentur. Reliqui inferioris ordinis Clerici, monachi, vel laici, triennio inter audientes perseuerarent, in-

Felicis Papæ Anno 5. Zenonis Imp. 14.

ter pœnitentes ſeptem annis ſub manibus ſacerdotum collocarentur, peregrinæ tantùm communicationis participes effecti, dum cum ſæcularibus ſine perceptione Euchariſtiæ orare permitterentur. Additum, neque pueros aut puellas, quas ætas excuſat ſine pœnitentia ad Eccleſiam admittendos, ſed inter pœnitentes ſub manus impoſitione retineri debere, vt tandem communicationis participes eſſe poſſint. Denique conſtitutum fuit, vt eiuſmodi lapſis ad clericatum nullus vnquam aditus pateret: ſed inter laicos Catholicos tantummodo vſque ad exitum vitæ connumerari deberent.

Anno Domini 492. Hic Clericorum ordines quater in Anno fieri percepit. Collectas, & Gradualia instituit preeum clauſulas Miſſæ adiecit Redditus & oblationes in quatuor portiones diſtribui iuſſit. Epiſcopo, Clero, pauperibus, & ſtructuræ templorum Baptiſmum ad Paſcha, & Pentecoſtem fieri, idque abſque omni precio præcepit.

Huius Pontificis temporibus Magnus ille Monachorum Patriarcha, decus Occidentalis Eccleſiæ, Benedictus patria Nurſinus ab Vrbe Roma, vbi literis operam dederat, in ſolitudinem recedens ſublimioris vitæ Monaſtioæ prima fundamenta iecit.

GELASIVS Natione Apher, ex patre Valerio, ſedit annos 4. menſes 8. dies 18. Fuit autem temporibus Theodorici Regis Oſtrogothorum, & Anaſtaſii Auguſti. Huius temporibus inuenti ſunt Manichæi in Vrbe Roma, quos in exilium deportari præcepit: quorum quoque codices ante fores baſilicæ Sanctæ Mariæ incendio concremauit. Hic ſub geſta Synodica, cum fletu, & ſubſatisfactione libelli, purgatum Meſenum Epiſcopum reuocauit, quem & Eccleſiæ ſuæ reſtituit, qui peccauerat in cauſa Acacii, & Petri. Hic fuit amator cleri, & pauperum; & clerum ampliauit. Hic liberauit à periculo famis ciuitatem Romanam. Hic fecit conſtitutum de omni Eccleſia Huius temporibus iterum venit relatio de Græcia, eo quod multa mala, & homicidia fierent a Petro, & Acacio Conſtantinopolitano. Eodem tempore fugiens Ioannes Alexandrinus Epiſcopus Catholicus, venit Romam ad ſedem Apoſtolicam, quem B. Gelaſius ſuſcepit cum gloria; cui etiam & ſecundam ſedem præbuit. Ipſiusque temporibus fecit Synodum & miſit per tractum Orientis, & iterum damnauit in perpetuum Acacium & Petrum, ſi non pœnitentes, ſub ſatisfactione libelli poſtularent pœnitentiam, ſecundum humanitatem primæ ſedis Eccleſię. Hic dedicauit Eccleſiam ſanctæ Euphemiæ Martyris in ciuitate Tiburtina, milliario 20. ab Vrbe. Dedicauit autem & baſilicas alias ſanctorum Nicandri, & Eleutherii & Andreæ via Lauitana in fundum in villa pertuſa. Fecit autem, & baſilicam S. Marię via Laurentina in fundo Criſpini, milliario ab vrbe 20. Hic fecit quinque libros aduerſus Neſtorium, & Eutychem, qui hodie in bibliotheca & archiuo Eccleſiæ continentur. Fecit & hymnos in modum B. Ambroſii Epiſcopi. Item duos libros aduerſus Arium. Fecit etiam & Sacramentorum pręfationes, & orationes cauto ſermone, & Epiſtolas fidei elimato ſermone. Multum ſub huius Epiſcopatu clerus creuit. Hic fecit ordinationes duas in Vrbe Roma per menſes Februarium & Decembrem, presbyteros 32. diaconos 2. Epiſcopos per diuerſa loca numero 67. Qui etiam ſepultus eſt in baſilica B. Petri Apoſtoli 11. Kal. Decemb. Et poſt obitum eius ceſſauit Epiſcopatus dies 7.

Extant Epiſtolæ eius Decretales numero 13. *Prima* ad Euphemianum, quo hortatur ipſum, vt quemadmodum Eutychetem, reliquoſque hæreticos, ſic quoque & Acacium anathematizet; ſciatque neminem ſe poſſe admittere ad Sedis Apoſtolicæ communionem, qui Acacij nomen non damnauerit. Euphemius enim in ſedem Conſtantinopolitanam ſurrogatus, non expunxerat è Dyptichis prout eum Felix Papa monuerat. Quamuis igitur more maiorum ſcripſerat epiſtolam fidei ad Gelaſium Papam, vt communicatorias litteras ab eo impetraret, Gelaſius tamen priuſquam communicatorias miſiſſet, hac præſenti admonet eum, vt prius nomen Acacij è ſacris tabulis eradat.

Secunda epiſtola.

Ad Laurentium de Lignido Epiſcopum, ad Pontificatum aſſumptus, de more Romanæ Eccleſiæ, fidei formulam, quam omnes teneantur profiteri præſcribit. Eſt igitur hæc epiſtola circularis & Encyclica ad omnes Epiſcopos Macedoniæ directa, vt eos in officio Catholicæ & Apoſtolicæ communionis contineret, quos Theſſalonicenſis Epiſcopus Macedoniæ Metropolitanus Acacianis ſchiſmaticis adiungere ſatagebat.

Ter-

Tertia, Quarta & Quinta

Ad Episcopos Dardanię, & Illyrici. Quarum prima, nunciat se Pontificem electum, Catholicæ fidei libellum transmittit, hortaturque vt cum Eutychianistis non communicent, & muneri pastorali inuigilent. Altera, Commendat eorum religionem: Thessalonicensem Episcopum, qui hæreticorum nomina damnare recusauit, Apostolicæ sedis communione priuatum esse nunciat, & Acacium in excommunicatione mortuum, non posse absolui significat.

Sexta

Ad Faustum Magistrum officiorum; fungentem legationis officio Constantinopoli, qua docet Acacium iure a Sede Apostolica damnatum, & in excommunicatione mortuum non posse absolui. Cuius nomen cum Euphemius Episcopus Constantinopolitanus non expunxerit è Dyptichis, sed insuper etiam defendendi eius patrocinium, more schismaticorum susceperit, cum illo communicare caueret' & quo nam modo calumniantium petulantiam valide retundere queat, sciret.

Septima & Octaua

Ad Honorium Dalmatiæ Episcopum. Quarum prima eum monet, ne Pelagianam hęresim à tot Pontificibus detestatam reuiuiscere finat. Altera docet, quod melius est hęreses impatientius inuestigare, quam dissimulando augere perniciem.

Nona.

Ad omnes Episcopos per Picenum, qua tria pręcipua Pęlagianæ hęresis capita refellit. Primum scilicet, paruulos sine originali peccato nasci. Secundum, hos pro solo peccato originali non damnari, Tertium, Gratiam ad salutem non esse necessariam, illamque secundum hominum merita conferri.

Capita Pellagiana hæresis.

Decima,

Ad Anastasium Imperatorem, qua (præmissa excusatione, cur ad eum ante non scripserit, cum in Pontificem Romanum electus fuisset) hortatur illum, vt Apostolicæ sedi obtemperet, & Acacij nomine damnato, Ecclesiarum pacem restituendam curet.

Vndecima,

Ad Episcopos Lucaniæ, qua nonnulla Ecclesiastica instituta exponuntur, doceturque Canonum rigorem, pro temporum necessitate, posse relaxari, seruari autem cum nulla necessitas vrgeat.

Duodecima,

Ad Episcopos Siciliæ, qua docetur, Ecclesiæ facultates ab Episcopis, & Clericis pauperibus distribui debere: Diœceses & bona Ecclesiæ ab Episcopis triginta annos possessa eis non auferenda.

Vltima,

Ad Eonium Arelatensem Episcopum, qua mutuam charitatem cum fide Catholica retinendam esse monet.

Posthęc sequuntur quędam opuscula Gelasii, vt Tomus de anathematis vinculo; de Lupercalium superstitiosa celebratione eduersus Andromachum Senatorem; deque Pelagiana hęresi: ex quibus omnibus multa decreta Gratianus desumpsit.

Primum Concilium sub Gelasio Romanum I,

A septuaginta Episcopis celebratum, quo sacri, & authentici libri ab Apocryphis sunt discreti, Anno Domini 494. Vbi adiectum est quoque decretum de primatu Romanę Ecclesię, & aliarum Patriarchalium Ecclesiarum iuribus, ad reprimendam Constantinopolitanorum Antistttum pręsumptionem & audaciam infringendam, qua se Acacius primum inde eius successores aduersus Romanam Ecclesiam prorerue nimis erexerant.

Veteris ac Noui testamenti libros sacros à calumnia hereticorum omnium liberauit doctissime, & copiosissime post omnes alios Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei scripto. Item Baronius To. 1. diuersis in locis. & Antonius Posseuinus in apparatu sacro.

Secundum Concilium Romnnum II.

Quo à Gelasio, & Episcopis 55. Misenus absoluitur Anno 495. tertia Idus Maii in basilica S. Petri.

Anno Gelasij. 4. Anastasij Imp. anno 5.

ANA-

Anno D. 496. Pontifex in ordine 50.

ANASTASIVS II.

Naitone Romanus, ex patre Petro, de regione quinta Caput tauri, cognominata. sedit anno vno, mensibus vndecim, diebus 24. Hic fuit temporibus Theodorici Regis. Hic fecit confessionem B. Laurentii martyris ex argento, pensantem libras centum. Hic fecit ordinationem vnam in Vrbe Roma, per mensem Decembrem, presbyteros 12. Episcopos psr diuersa loca 16. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri Apostoli 13. Kal. Decembr. Et cessauit Episcopatus dies quatuor.

Scripsit vnicam Epistolam ad Anastasium Augustum, qua eum monet, vt constitutis Apostolicę sedis obtemperet, pacem Ecclesię restituat; temere non iudicet de his, qui ad Dominum migrauerunt: procuret nomen Acacy deleri in Dyptichis; Alexandrinos admoneat ad fidem synceram, & non communicet cum hęreticis.

Hanc epistolam Anastasius Pontifex, per Germanum Capuanum, & Cresconium Tridentinum Episcopos miserat ad Imperatorem, vt eum ad meliorem frugem reuocaret. Sed Imper. detentis dolosè Constantinopoli legatis per fraudem ac dolum, magno conatu elaborauit, vt ipsum Romanum Pontificem ad subscribendum Zenonis Enotico induceret, atque ita Photino Alexandrię, communionem Ecclesię Romanę suffuraretur. Vsusque est hac in re opera Fest Senatoris, sed accidit mira erga Ecclesiam prouidentia, quod cum ille Romami cum legatis Pontificis venisset Anastasium Papam mortuum iam reperisset.

Anno Christi 498. 22. Nouemb. Cura, & studio Festi Senatoris, qui se Romanum Pontificem ad subscribendum Zenonis concordiæ inducturum Anastasio Imperatori promiserat, procuratum fuit, vt cum schismate vniuersæ Ecclesiæ eligeretur Laurentius, quem impijs postulatis aequieturum sciebat.

SYMMACHVS

Natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annos 15. menses 8. minus quatuor diebus. temporibus Theodorici Regis, & Anastasii Augusti. Hic sub contentione ordinatus est, vno die cum Laurentio: Symmachus in basilica Constantiniana, Laurentius in basilica Beatę Marię: ex qua causa separatus est clerus, & diuisus est Senatus. Et facta contentione, hoc constituerunt patres. vt ambo pergerent Rauennam ad iudicium Regis Theodorici. Qui dum ambo introissent Rauennam, hoc iudicium ęquitatis inuenerunt, vt qui primo ordinatus fuisset, & vbi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in sede Apostolica. Quod tandem ęquitas in Symmacho inuenit, & cognitio veritatis. & factus est presul Symmachus. Eodem tempore Papa Symmachus congregauit Synodum, & constituit Laurentium in Nucerina ciuitate Episcopum intuitu misericordię. Post annos verò quatuor, aliqui ex clero zelo ducti, & aliqui ex Senatu, maxime Festus & Probinus incriminauerunt Symmachum, & subornauerunt falsos testes, quos miserunt Rauennam ad Regem Theodoricum accusantes B. Symmachum, & occultè reuocauerunt Laurentium post libellum Romæ factum. Et fecerunt Schisma, & diuisus est iterum clerus; nam alij communicauerunt Symmacho, & alij Laurentio. Tunc Festus & Probinus Senatores miserunt relationem Regi, & cœperunt agere, vt visitatorem daret Rex Sedi Apostolicæ Tunc Rex dedit Petrum Altinæ ciuitatis Episcopum, quod Canones prohibent. Eodem autem tempore B Symmachus, congregauit Episcopos 115. & facta Synodo, purgatur a crimine. Et damnatur Petrus Altinas inuasor sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus, quia viuo Episcopo Symmacho peruaserunt sedem eius. Tunc ab omnibus Episcopis, & presbyteris, & diaconibus, & omni clero vel plebe, redintegratus Sedi Apostolicæ B. Symmachus cum gloria apud B. Petrum sedere Præsul. Eodem tempore Festus caput Senatus exconsul, & Probinus exconsul, cœperunt intra Vrbem Romam pugnare cum alijs Senatoribus, & maximè cum Fausto exconsule, & cædes & homicidia in Clero ex inuidia fiebant. Qui verò communicabant B. Symmacho iuste, publicè qui inuenti fuissent intra Vrbem, gladio occidebantur. Etiam, & sanctimoniales mulieres, & Virgines deponentes de monasterijs, vel de habitaculis suis, denudantes sexum fœmineum, cędibus plagarum afflictas, vulnerabant, & omni die pugnas contra Ecclesiam in media ciuitate gerebant. Et multos sacerdotes occiderunt; inter quos Dignissimum & Gorda-

Necatos in hoc schismate martyrij corona dignos esse Ennodius declarat prout putauit magnus ille Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, & S Chrysostomus in Ecclesia, Constantinopolitana a schismaticis necatos, vt martyres coluit. Ipseque Symmachus multos labores, & ærumnas passus est tum a schismaticis sæpe sæpius eidem nego-

danum presbyteros ad vincula S. Petri, & ad sanctos Ioannem, & Paulum fustibus, & gladio interfecerunt, & multos Christianos, ita vt nulli esset securitas die vel nocte de clero in ciuitate ambulare. Solus autem Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat. Post hæc omnia B. Symmachus inuenit Manichæos in Vrbe Roma, quorum omnia simulachra & codices, ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremauit, & eos ipsos exilio relegauit. Fuit autem a Consulatu Paulini vsque ad Consulatum Sertoris. Hic fecit basilicam S. Andreæ Apostoli apud B. Petrum, vbi multa vasa argentea fecit atque aurea cum gemmis. Similiter & in alijs basilicis, quas & marmoribus adornauit pulcherrimis, Episcopia construxit, templa erexit, picturis & musiuo condecorauit. Præcipue autem basilicam S. martyris Agathæ via Aurelia, in fundo Lardarum: basilicam S. Syluestri & Martiani iuxta thermas Traianas: basilicam S. Michaëlis Archangeli, & ad Sanctam Mariam Oratorium sanctorum Cosmæ & Damiani à fundamentis construxit, & pauperibus habitacula exædificauit: reparauitque plurima, quæ ruinam minabantur. Hic constituit, vt omni die Dominico, vel natalitijs martyrum, hymnus, Gloria in excelsis, diceretur. Hic fecit cœmeterium Iordanorum in melius, propter corpus Alexandri. Hic omni anno per Africam & Sardiniam Episcopis, qui in exilium erant retrusi, pecunias & vestes ministrabat. Hic captiuos per Liguriam & Mediolanum; & per diuersas prouincias pecuniis redemit, & dona multiplicauit, & dimisit. Hic fecit ordinationes quatuor in Vrbe Roma per mensem Decembrem & Februarium, presbyteros 92. diacones 16. Episcopos per diuersa loca numero 117. Qui etiam sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli 14. Kal. Aug. Et cessauit Episcopatus dies 7. Qui etiam in pace confessor quieuit.

tium facessentibus, tum ab hæreticis pro ipsis Anastasio Augusto pugnante. Sicque perfunctus vnà cum afflictionibus vita, mercedem illam a Deo accepit atque coronam, qua donati sicut sanctissimo Præsules Ecclesiam Catholicam illæsam ad exagitantibus eum fluctibus conseruantes. In cuius memoriam dicta dies adscripta, annis singulis publico præconio iteratur.

Scripsit epistolas ad diuersos, quibus plurima in Ecclesia Dei ordinauit, (& sacrificium Missæ in certam formam redegit) statuitque ne Pontifice superstite, eo inconsulto, vlla de futuri electione fiat mentione Prouincialia concilia vbiuis gentuim absque Romani Præsulis licentia congregata suum pondus, habeant. Neue possessiones Ecclesiæ à defuncto Clero, aut aliis derelictæ ab vllo alienentur: & alia plurima vt videre est apud Gratianum. *Primam itaque Epistolam, & Secundam*, scripsit ad Eonium Arelatensem Episcopum, de Viennensi & Arelatensi Ecclesia. *Tertiam* ad Liberium Patricium, de electo Episcopo Aquiliensi præbens eidem electioni assensum. *Quartam* ad Laurentium Mediolanensem, qua eius virtutes desctibuntur. *Quintam* ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, *Sextamque*, de possessionibus Ecclesiasticis. *Septimam Apologeticam*, aduersus Anastasii Imperatoris libellum famosum, quo eum ob latam in se excommunicationis sententiam proscindebat. *Octauam* ad Episcopos confessores, qua eos animat ad feruorem cælestem. *Nonam* ad Orientales, vt caueant communionem hæreticorum. *Decimam* ad vniuersos Episcopos Galliæ. *Et vltimam* ad Cesarium Arelatensem *Anno* 514.

Sciendum, beneficiorum Ecclesiasticorum hinc originem ortam esse. Olim solebant Clerici ab Ecclesia Episcopo singulis mensibus meritam stipem accipere. Postea contigit vt aliquibus ex his Ecclesiæ possessiones, quoad viuerent, ab ipsis Episcopis concederentur, quæ beneficia dici cœperunt, eo quod (vt scribit Symmachus Papa) benemeritis tantummodo eas concedere liceret.

Primum Concilium sub Symmacho Papa, *Romanum*,

Episcoporum 72. de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis, quod conclusum est Capitulis quinque Anno 499.

Secundum Concilium, *Romanum II.*

Anno Domini 500.

In quo centum & quindecem Episcopi, Symmachum ab obiecto crimine absoluerunt, atque Petrum Altinensem Episcopum, deputatum Visitatorem; condemnarunt.

Tertium Concilium Romanum III.

Anno 501.

In causa eiusdem Symmachi congregatum; quod schismatici sperarent fauore præsentis Regis Ariani, Symmachum Papam falsis calumniis circumuentum deponendum esse; Sed Rex æqui amantissimus, respondit, nil ad se præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere, omnia in Synodali arbitrio debent esse posita, meum autem est procurare, vt in ciuitate Romana omnibus Christianis pax redderetur.

Quartum Concilium sub Symmacho, *Romanum IV.*

Anno Domini 502.

Palmare appellatum, eo quod in hoc Concilio post tot turbas, electio Symmachi

In hac Synodo, Symmachus Papa Laurentium iterum intrusum deponi & iterum in exilium mitti curauit, quo facto uicuit se ditio.

machi fuerit confirmata, & lex Regis Odoacris, libertati Ecclesiasticæ, & Pontificis electioni, repugnans fuerit abrogata. Odoacer siquidem Rex Herulorum potitus dominio Italię, quando vacabat Sedes Apostolica, post obitum Simplicii Papę, duas pet Basilium Prefectum Pretorio leges tulerat; vnam ne absque consultatione, & consensu Regis Italiæ electio Summi Pontificis fieret. Alteram, qua bona Ecclesię non necessaria distrahi, & in vsus pios conuerti mandabat: quaque prędia Ecclesiastica alienari prohibebat.

Huic Synodo subiungitur Ennodii Diaconi Romani Libellus Apologeticus, pro defensione Symmachi Papę, & quartę Synodi Romanæ conscriptus, aduersus calumniatores editus. Qui dum Patribus oblatus fuisset, in consensu eorundem iussus est legi; & postea omnium suffragio, non tantum inter acta synodalia, verum etiam inter Pontificia decreta, adnumerari meruit. Hoc libello refutat decem plus minus aduersariorum obiectiones, & calumnias. vt legenti videre est.

Quintum Concilium

Anno Domini 503. *Romanum V.* ducentorum octodecim Episcoporum, tempore Theodorici Regis celebratum; hac occasione, quod Schismatici superiore Concilio condemnati, delictumque suum detestati, cum ad vnitatem Ecclesię Catholicæ redire debuissent, linguis & calamis superioris anni Concilium perstrinxerunt, editoque libello eam atrocissimis iniuriis & contumeliis proscidetunt. Vt ergo decreta legitimè sancita confirmarent, Episcopi iterum coeuntes, prouinciam maximi ponderis tradiderunt Ennodio Diacono, vt aduersus obiectiones Schismaticorum Apollogeticum libellum scriberet. Reformatum est etiam illud antiquum Decretum, ne extra causam fidei populus Episcopum suum accuset; quodue restituendi sint spoliati Episcopi, antequam coram aliis Episcopis causam dicere cogantur.

Anno 504. sub die Kalend. Octob.

Sextum sub Symmacho Concilium, Romanum VI.

De inuasoribus rerum Ecclesiasticarum, vt anathetimazentur velut manifesti hęretici, nisi ea restituerint. Additumque est, eadem sententia teneri omnes, quicunque facultates Ecclesiæ; sub specie largitatis Regiæ obtinuissent, eo quod Regum non sit de bonis Ecclesiæ decernere; nec licere Imperatori vel Regi, contra diuina mandata, & Patrum constituta sibi aliquid quouis modo vsurpare.

Septimum Concilium Byzacenum,

Anno Domini 504.

Eo tempore celebratum, quo persecutio per Trasamundum Regem in Africa excitabatur, quare de surrogandis nouis Episcopis consultum est; Præceperat enim barbarus, ne quis in locum defuncti Antistes subrogaretur. eo sane consilio, vt absque exerto ad persequendum gladio, Orthodoxorum Ecclesiæ pastoribus orbatæ, aliquo temporis spacio sua sponte conciderent Magno igitur numero congregati Patres, Victore Byzacenæ prouincię Primate conuocante (Nam post S. Eugenium Rege prohibente, nullus fuerat Carthaginensi Ecclesiæ Antistes alius subrogatus) vna omnium sententia decreuerunt, non obstante Principis mandato, omnibus viduatis Ecclesijs Episcopos constituere, idque confestim opere expleuerunt.

Octauum Concilium Agathense,

Cui interfuerunt Episcopi 23. in Basilica S. Andreæ congregati, de disciplina & ordinationibus clericorum atque Pontificum tractarunt & 71. capitula conscripserunt, ex quibus multa decreta Gratianus selegit. Et quia admixtione Gothorum Arianorum sępesępius contingebat, vt plures ex Gallis à fide Catholica in hæresim abducerentur, & postea delictum detestantes ad Ecclesiam Catholicam remearent, hi tales quomodo suscipiendi essent, pręcipuæ Capitulo 60. Patres ordinarunt, qui omnes confessionis gloria illustres fuerunt, & inter Arianos dominantes illibatam, sartamque ac tectam fidem Catholicam conseruarunt.

Nonum Concilium Aurelianense I.

Triginta trium Episcoporum, quorum plurimi sanctitate celebres in Eccle-

ſiaſticis tabulis perpetua memoria conſecrati enituerunt. Hi itaque conſilio B. Remigij à Clodoueo Rege Franciæ conuocati, Capitulis 33. corruptam Eccleſiæ diſciplinam inſtaurarunt.

Anno 507. post occisum a Clodoueo Rege Christianissimo Alarico Rege Ariano, & Gothos tota Gallia exactos.

Decimum Concilium temporibus Symmachi Papæ Epaunenſe

Viginti quatuor Epiſcoporum celebratum Anno Domini 509. multa conſimilia Synodo Agathenſi, ad inſtaurandum collapſam antiquam Eccleſiaſticam diſciplinam ſanciuerunt, præſidente Alcimo Viennenſis prouinciæ Primate. Quod enim Clodoueus Rex Chriſtianiſſimus poſt Alaricum Arianorum Principem è Gallia Narbonenſi fugatum, monitu S. Remigij præſtitit in Gallia; id Sigiſmundus filius Gunebaldi Regis Burgundiæ, poſt ſublatum è vita parentem Arianum, ſuaſu & hortatu Alcimi Auiti Viennenſis Epiſcopi fecit in Burgundia, & Catholicus Catholicæ fauens Eccleſię, multas immunitates Sanctiſſimis Epiſcopis conceſſit, quorum plurimi Sanctorum catalogo adſcripti ſunt.

Vltimum Pſeudo Concilium Sydoniæ Paleſtinæ.

Quod ad damnandam Synodum Chalcedonenſem Eutychiani, & Acephali congregarunt, atque in eo iuſſu Anaſtaſii Imperatoris, Flauianum Antiochenum, & Eliam Hieroſolymitanum Orthodoxos Epiſcopos, Chalcedonenſis Concilii defenſores, ſedibus ſuis eiiciendos eſſe decreuerunt. Octoginta fermè perfidi Epiſcopi adunati erant aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius, Flauianuſque Antiochiæ Catholicus Patriarcha & Ioannes Paltenſium Pontifex, in caſtellum quod Petra dicitur exules miſſi ſunt, quos variis modis afflixerunt & vexarunt, cogentes interim & obtorto collo huc trahentes, vt Acta Chalcedonenſis Synodi anathemate proſequerentur. Ibi Flauianus Confeſſor Chriſti in Domino requieuit. Ioannem verò Iuſtinus Auguſtus mox Imperator factus reuocauit.

A.D. 514. Iulij 20. Pontifex numero 52.

HORMISDA Natione Campanus, ex patre Iuſto, ſedit annis nouem, diebus decem, temporibus Theodorici Regis & Anaſtaſii Auguſti. Hic compoſuit Clerum, & pſalmis erudiuit, Fecitque baſilicam in territorio Albanenſi, in poſſeſſione Meſontis. Eodem tempore ex conſtituto Synodi miſit in Græciam, humanitatem oſtendens Sedis Apoſtolicæ, quia Græci obligati erant ſub vinculo Anathematis, propter Petrum Alexandrinum, & Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Sub Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano, cum conſilio Theodorici Regis, direxit Ennodium Epiſcopum Ticinenſem, & Fortunatum Epiſcopum Catanenſem, & Venantium presbyterum Vrbis Romæ, & Vitalem Diaconum ſedis Apoſtolicæ, & Hilarium notarium, ad Anaſtaſium Auguſtum: ſed nihil egerunt. Item ſecundo miſit Ennodium Epiſcopum, & Peregrinum Meſenatem Epiſcopum, portantes epiſtolas conſortatorias fidei, & conteſtationes ſecretas numero 19. & textum libelli. In quo libello noluit aſſentire Anaſtaſius Auguſtus, qnia & ipſe in hæreſi Eutychiana communicauerat. Voluit itaque eos legatos per remunerationem corrumpere: legati verò ſedis Apoſtolicæ contempto Anaſtaſio Auguſto, nullatenus conſenſerunt accipere pecunias, niſi ſatisfactionem ſedis Apoſtolicæ operaretur. Tunc Imperator repletus furore, eiecit eos per poſteratam, & impoſuit eos in naui periculoſa cum militibus, & magiſtrianis, & præfectis nomine Heliodoro & Demetrio. Quibus hoc dedit in mandatis Imperator Anaſtaſius, vt nullam ciuitatem ingrederentur. Legati verò ſedis Apoſtolicæ ſecretius ſupraſcriptas epiſtolas fidei 19. per manus Monachorum & Orthodoxorum expoſuerunt pet omnes ciuitates. Quas tamen Epiſcopi ciuitatum, qui erant complices Anaſtaſij Imperatoris, timore Conſtantinopolim direxerunt. Tunc furore repletus Auguſtus contra Papam Hormiſdam, inter alia ſacra ſua hoc ſcripſit, dicens. Nos iubere volumus, non nobis iuberi. Eodem tempore nutu diuinitatis, percuſſus eſt fulmine Imperator Anaſtaſius, & obiit. Sumpſit itaque imperium Iuſtinus orthodoxus, & direxit authoritatem ad Papam Hormiſdam ſedis Apoſtolicæ per Gratum, Illuſtrem nomine, potens à ſede Apoſtolica, vt redintegraretur pax Eccleſiarum. Tunc Hormiſda Epiſcopus cum conſilio Regis Theo-

dorici,direxit à ſede Apoſtolica, Germanum Capuanum Epiſcopum, & Ioannem & Blandum presbyteros, & Felicem & Dioſcorum diaconos ſedis Apoſtolicæ, & Petrum notarium, munitos ex omni parte fide & textu libelli pœnitentiæ. Qui uenientes iuxta Conſtantinopolim, tanta gratia fidei illis refulſit, vt multitudo monachorum orthodoxorum, & illuſtrium virorum, in quibus Iuſtinus Imperator, & Vitalianus Conſul, ſimul occurrerunt ad caſtellum rotundum, quod ducit vſque in ciuitatem Conſtantinopolim, qui cum gloria & laude ingreſſi, vna cum Grato Illuſtri, ſuſcepti ſunt à Iuſtino Auguſto Orthodoxo cum gloria. Omnis itaque Clerus, vnà cum Epiſcopo Ioanne Conſtantinopolitano, ſenſit quod gratanter ſuſcepti ſunt. Sentientes quoque hoc, qui erant complices Acacii, incluſerunt ſe in Eccleſiam maiorem, quæ vocatur ſancta Sophia, & conſilio facto, mandauerunt Imperatori dicentes. Niſi nobis reddita fuerit ratio, quare damnatus eſt Epiſcopus noſter Acacius, nullatenus conſentimus ſedi Apoſtolicæ. Hic Papa Hormiſda perrexit ad Regem Theodoricum Rauennam, & cum eius conſilio miſit authoritatem ad Iuſtinum, & cum vinculo chirographi, & textum libelli redintegrauit ad vnitatem ſedis Apoſtolicæ, damnans Petrum & Acacium & omnes hæreſes. Hic inuenit Manicheos, quos etiam diſcuſſos cum examinatione plagarum exilio deportauit. Quorum codices ante fores baſilicæ Conſtantinianæ incendio concremauit. Huius temporibus Epiſcopatus in Aphrica poſt annos 74. reuocatus eſt, qui ab hæreticis fuerat exterminatus. Eodem tempore venit Regium donum cum gemmis precioſis à Rege Francorum Clodoueo Chriſtiano, Beato Petro Apoſtolo. Sub huius Epiſcopatu multa vaſa aurea, & argentea venerunt de Grecia, & Euangelia cum tabulis aureis, cum gemmis precioſis penſantibus libras 15. Patena aurea cum hyacinthis, quæ penſat libras 20. Patenæ argenteæ duæ, penſantes ſingulæ lib. 25. Scyphus aureus cum gemmis, penſans lib. 8. Scyphus aureus circumdatus regno, penſans lib. 8. Scyphi argentei deaurati duo, penſantes ſinguli lib. 5. Gabata electrina, penſans lib. 2. Thecæ cereæ aureæ duæ, penſantes lib. 6. Palliolum Oloforum blatæum cum tabulis auro textis, de chlamide, vel de ſtola Imperiali, ſubcinctorium ſuper confeſſionem B. Petri Apoſtoli. Hæc omnia à Iuſtino Auguſto Orthodoxo, votorum gratia oblata ſunt. Eodem tempore Theodoricus Rex, obtulit B. Petro Apoſtolo ceroſtrata argentea, penſantia lib. 70. Eodem tempore fecit Papa Hormiſda apud B. Petrum Apoſtolum trabem, quam ex argento cooperuit, penſantem lib. 1040. Hic fecit in baſilica Conſtantiniana arcum argenteum ante altare, qui penſat lib. 20. Canthara argentea 16. quæ penſant ſingula lib. 12. Item ad B. Paulum fecit arcus duos argenteos penſantes ſingula lib. 20. Canthara argentea 16. penſantia ſingula lib. 15. Amas argenteas 3. penſantes lib. 3. Scyphos argenteos ſtationales 6. cum ducibus, penſantes ſingula lib. 6. Hic fecit ordinationes in Vrbe Roma per menſē Decembrem, presbyteros 21. Epiſcopos per diuerſa loca numero 55. Qui etiā ſepultus eſt in baſilica S. Petri Apoſtoli 8. Idus Auguſti. Et ceſſauit Epiſcopatus dies 7.

Præcipuum Epiſtolæ Hormiſdæ Papæ ponuntur in corpore Conciliorum numero 80.

Scripſit Epiſtolas diuerſas ad diuerſos (ex quibus permulta decreta per Gratianum ſunt deſumpta) prout eum epiſtolis ſuis aut legationibus compellarunt. *Prima autem epiſtola* Hormiſdę Papæ hebetur, ad S. Remigium Rhemenſem Epiſcopum directa, qua poſt acceptas ab eo gratulatorias litteras, eidem ob pręclaram meritorum excellentiam; & nobiliſſimę ſedis pręrogatiuam, Vicariam ſedis Apoſtolicæ pręfecturam in Gallia delegauit II. Reſponſoria ad Anaſtaſium Imperatorem, qua laudat eum, quod Eccleſię paci ſtudeat: & cum cauſam, cur Concilium cupiat congregari, cognouerit, dicit ſe illi reſponſum daturum. III. Ad Dorotheum Teſſalonicenſem Epiſcopum, qui laudato Pontifice, quod Eccleſię curet vnitatem, ſe quoque cupere ſcribit, vt hęreticis damnatis, Romanę Eccleſię debitus honor pręſtetur. Quare Pontifex reſponſoria ſua, laudat viceuerſa eius pietatem, & ſtudium in Romanam Sedem IV. Ad Anaſtaſium Imperatorem qui Pontificem precabatur, vt Concilium Heracleę ad componendas in Scythia, de fide ortas quęſtiones, congreget, atque ipſe ad illud accedat. Pontifex igitur zelum eius commendat, & quo ad Concilium per legatos ſe reſponſurum pollicetur. Miſ-

ſiſque

fisque ad eum quatuor legatis voluit explorare primò, qua intentione Synodum fieri postulasset: an fidem Catholicam prout promiserat profiteri, Epistolam S. Leonis recipere, & hereticos anathematizare paratus esset? an verò loco fidei Catholicæ, ad confirmanduu regnum, auertendumque Vitalianum rebellisantem, Pontificia authoritate abuti vellet? Quare V. epistola ad eum directa scribit, Nouum esse Romanum Pontificem ab Imperatore ad Concilium vocari, se tamen iturum, si Chalcedonensis Concilij decreta non reuocentur in dubium Anastasius vt metum Vitaliani excuteret, & hac arte populi fauorem captare posset mittit per legatos Sedis Apostolicæ Epistolam, qua se Catholicum esse simulat, Chalcedonensis Concilij decreta seruare promittit, Acacium verò ad tollenda scandala non damnandum ait, sed de pace cogitandum, Addiditque reuertentibus Sedis Apostolicæ legatis, Theopompum & Seuerianum, homines laicos, alia Epistola ad salutationis officium & pacem conciliandam eis data VI. Epistola Hormisda Pontifex fraude Imperatoris nondum detecta, laudat eius studium de pace concilianda, monetque vt tandem damnatis hæresibus Ecclesię vnitas sortiatur effectum. VII. Epistola ad Ioannem Nicopolitanum Episcopum, cuius religionem commendat, (Catholicam enim fidem is profitebatur, & quę vitanda, quęue seruanda forent, missa per Rufinum Diaconum epistola sua ad Pontificem moneri cupiebat) Nestorium & Eutychen damnandum esse dicit, quomodo autem, qui ad fidem reuertuntur, recipiendi sint, per Indiculum se significaturum scribit. VIII. Epistola Hormisdę, ad Synodum Veteris Epiri, (quæ ab eo postulabat confirmationem Ioannis in Nicopolitanum Episcopum, & in fide Catholica instrui desiderabat) qua Eutychetis errorum sectatores damnat, Episcoposq; Epiri veteris, vt nominatim hæreticos anathematizent, hortatur. IX. Ad Ioannem Nicopolitanum, cum per literas Epiri veteris Episcopi nominatim hæreticos non damnassent, mittit eis libellum, regulam fidei in se continentem, cui debeant subscribere: & Indiculum, quid in Nicopolitana Ecclesia sit agendum. X. Hormisdæ Epistola, ad Auitum Viennensem Episcopum, cuius studium de Orientalis Ecclesiæ statu cognoscendo, commendat: de concordia autem, à legatis nihil actum fuisse significat, & hortatur, vt cum cæteris Galliæ Episcopis in fide Catholica persistat.

XI. Epistola B. Hormisdæ Papæ, ad Anastasium Augustum per Ennodium Ticinensem, & Peregrinum Misenatis Ecclesiæ in Campania, Episcopos, secundæ legationes ad Anastasium destinatæ munere fungentes, transmissa, qua scribit pacem Ecclesiæ, non nisi damnato Acacio posse restitui. XII. Ad Timotheum Constantinopolitanum Episcopum hæreticum commonitoria, per supradictos legatos missa. XIII. Commonitoria ad vniuersos hæreticos Episcopos Orientis. XIV. Ad Episcopos Orientales Orthodoxos, eadem secunda legatione transmissa: quorum laudat in fide constantiam, & ad pacem conciliandam à se legatos denuo Constantinopolim missos esse scribit. XV. Ad Possessorem Episcopum Africanum, pro fide Catholica Constantinopoli exulantem, qui edita fidei Catholicæ professione coram prima legatione, magno cum fructu omnium Catholicorum Constantinopoli eo tempore morabatur. XVI. Ad populum, & Monachos Constantinopolitanos, per eosdem legatos directa, monens abstinendum esse a consortio hæreticorum, & in Catholica fide perseuerandum. XVII. Ad Ennodium, & Peregrinum Episcopos legatos suos apud Imperatorem, quibus scribit se cognouisse à Ioanne Nicopolitano, quæ contra eum Thessalonicensis tentauerit: nouamque causam Sedi Apostolicæ ingestam, iisdem cognoscendam per literas hasce commisit. XVIII. Ad eosdem legatos suos, quid in causa Nicopolitana cum Thessalonicensi agendum sit, præscribit. XIX. Ad Anastasium Augustum, qua Ioannem Nicopolitanum ei commendat. XX. Ad Ioannem Episcopum Nicopolitanum, qua, æquo animo ærumnas pro fide sustinendas, monet; & ideo prouinciales Episcopos ad fidei vnitatem ab eo confirmandos. XXI. Ad eundem Ioannem, vt non simus segnes ad fortia, si peruenire cupimus ad promissa. XXII. Ad Dorotheum Episcopum Tessalonicensem, ne affligeret Nicopolitanum. XXIII. Ad Archamandritas Syriæ, qua solatur illos, hortaturque vt in fide Catho-

Anno 517.

Quas cædes, quasue iniurias Orthodoxis Seuerus Antiochenus, cæteriq. A.

cephali intulerint inSyria scripserunt Monachi Papæ, ad quem tanquam ad cômunem Patrem confugiebant, reiecti & non auditi ab Imperatore, qui etiam ad Pontificem eo tempore scripserat sugillando nimiam duritiam in illo.

tholica perseuerent. XXIV. Ad Ioannem Tarraconensem Episcopum, de cuius in Italiam aduentu libenter se audiuisse scribit. Litteras ad Hispanienses de Ecclesiasticis institutis ab eo datas probat, eique vices suas committit. XXV. Ad vniuersos Episcopos Hispaniæ. De sacerdotibus iuxta statuta Canonum ordinandis: deque Concilio per annos singulos celebrando: & vt pro Episcopatu præmium non accipiatur. XXVI. Ad Salustium, qui Sedis Apostolicæ Vicarius constituitur, per Bæticam & Lusitaniam. XXVII. Ad Iustinum Imperatorem, quo imperante sperat fore, vt Ecclesiæ pax restituatur, qui se per epistolam electum esse Imperatorem Pontifici significauerat. XXVIII. Ad eundem Augustum responsoria, qua commendat, eius de concilianda pace solicitudinem, & cœptis monet insistendum, nomenque Acacij abolendum esse. Rogabat enim Iustinus per Gratum Comitem, vt Pontifex ad pacem Orientali Ecclesiæ reconciliandam, & ad lapsos recipiendos legatos Constantinopolim mittere dignetur. Ioannesque Episcopus Constantinopolitanus facta Synodo cum suis, per eundem Gratum, miserat libellum quo fidem Catholicam profitebatur, & ipsius Pontificis a se nomen in dyptichis descriptum, destinando legatos per quos pax constitueretur. XXIX. Responsoria ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, quem commendat, & gaudet Concilium Chalcedonense, & Diui Leonis Epistolas ab eo complexas; ad Ecclesiæ communionem admittendum pollicetur, si nomen Acacii è Dyptichis sacris expunxerit. XXX. Ad Cesarium Arelatensem Episcopum, Sedis Apostolicæ in Galliis Vicarium, cui significat Episcopos Dardaniæ, & Illyrici ad Catholicę Ecclesiæ communionem, a qua metu Anastasii Augusti desciuerant, rediisse.

AnnoDomini 518

Hanc epistolam cum nouem sequentibus de pace, & vnitate Orientalis Ecclesiæ, scripsit Pôtifex per legatos Sedis Apostolicæ Ioannem & Germanum Episcopos, Blâdum presbyterum, Felicem & Dioscorum Diaconos, quibus Indiculum seu Instractionem in scriptis plenissimam dedit.

XXXI. Ad Iustinianum Comitem (qui per eundem Gratum, de quo supra egimus, Imperatoris Iustini legatum, Pontificem scripta epistola rogabat, vt si minus se Constantinopolim velit conferre, legatos mittat, pacemque ac vnitatem Orientalis Ecclesiæ constituat) cui ad pacem conficiendam, & Acacium damnandum, legatos à se mitti significat. XXXII. Ad Iustinianum Augustum, cui legatos ob pacem, & vnionem Orientalis Ecclesiæ missos commendat. & ab iis, qui admissis Chalcedonensis Concilii decretis, Acacium damnare recusabant, cauendum esse dicit. XXXIII. Ad Euphemiam Augustam, cohortando eam ad pacem Ecclesiæ restituendam. XXXIV. Ad Ioan. Constantinopolitanum Episcopum, Acacium damnandum esse docens, & in legatorum manibus fidei professionem emittendam. XXXV. Ad eundem Ioannem, cum iam fidem Catholicam profiteatur, illi potissimum de stabilienda pace cogitandum, pro qua ipse legatos destinauit. XXXVI. Ad Archidiaconum, & Clerum Constantinopolitanum, in eadem materia, Catholicis enim hereticorum molestiis liberatis, legati ad pacem confirmandam mittuntur. XXXVII. Ad Iustinianum Domesticorum comitem, postea Iustini successorem, sperans fore, vt eius opera pacem Ecclesia adipiscatur, & missa ab eo munera se accepisse nuntiat. XXXVIII. Ad Celerem, & Patricium clarissimos Aulicos, vt Legatos in causa pacis coadiuuent. Similis XXXIX. Ad Præfectum Prætorio Thessalonicensem. Et XL. Ad Anastasiam, & Palmatiam clarissimas fœminas Senatorias, quæ tempore persecutionis Anastasii Augusti, pro fide Catholica inconcussę steterant.

Anno 519.

Hic ponuntur Relationes Legatorum ad Pontificem missæ, quibus significant quid eis in itinere acciderit, quomodo cum honore fuerint accepti vbique, & iuxta eius mandata omnia peregerint, vtque Constantinopolitanus Episcopus libellum fidei subscri

XLI. Ad Germanum cæterosque Legatos, de quorum incolumitate, & rebus gestis certior fieri cupit. XLII. Ad eosdem legatos, qua dolet illos non scribere; seque Paulinum Ecclesiæ Romane Defensorem ad Imperatorem misisse ait. XLIII. Ad eosdem, a quibus de his, quæ agant, vult se moneri, Stephanumque negotiatorem eis commendat. XLIV. Ad Iustinum Augustum gratulatoria, quod eius opera Constantinopoli pax vigeat, & vt hoc ipsum Antiochię, & Alexandrię faciendum curet. XLV. qua laudat Ioannem Episcopum Constantinopolitanum ad vnitatem Ecclesiæ rediisse: hortaturque vt Alexandrinæ, & Antichionæ Ecclesię vnionem procuret, legatosque ei commendat. XLVI. Ad IustinianumComitem Domesticorum, qua commendat eum, quod Iustino Augusto adiumento fuerit, in pace Ecclesiæ reddenda, ad quam perfectè ineundam hortatur. XLVII.

Ad Pompeium Senatorem, & Consulem, laudat eum, quod se pacis studiosum ostenderit; hortatur autem ad operam nauandam, vt perfecta Ecclesiæ tranquillitas reddatur. XLVIII. Ad Iulianam Anitiam, vt quemadmodum eam Imperialis sanguinis vena nobilitat, ita conscientiæ bonorum meritorum luce præfulgeat XLIX. Ad Anastasiam, vt cæptæ concordiæ exemplum, eius apud Augustum solicitudine, omnes sequantur Ecclesiæ. L. Ad Gratum Comitem, quem salutat, & ab eo certior fieri de eius salute postulat.

pserit, & Acacium cum cæteris sectatoribus damnauerit. De quo extant Epistolæ ipsius Episcopi, & Imperatoris & aliorum Patrum Orthodoxorum, clarissimorumque virorum ac fœminarum, ad Pontificem directæ.

LI. Ad omnes Episcopos Hispaniæ, quibus Ioannis Constantinopolitani Episcopi professionem dirigit propter Orientales Episcopos, qui eorum communionem poposcerant. LII. Ad Germanum cęterosque legatos suos Constantinopoli commorantes, quos monet, vt cum Imperarore, eiusque coniuge agant, vt omnes Ecclesiæ, præcipue vero Alexandrina & Antiochena ad Apostolicæ sedis communionem reuocentur LIII. & LIV. Ad Dioscorum Diaconum, quarum prima monet eum, vt cogitet quomodo ii qui Calcedonense Concilium scripto damnauerunt, & ad Ecclesiam redire cupiebant, recipiendi sint. Præterea Thomam, Nicostratum, & omnes Episcopos ei commendat. Secunda verò laudat eius de firmanda pace sollicitudinem promittitque ad Imperatorem se litteras daturum, vt eum Alexandrinæ Ecclesiæ præficiendum curet, Thomam, & Alios ei commendat, & hortatur, ne pro reditus festinatione quicquam indispositum relinquat. LV. Ad Thomam & Nicostratum Episcopos; de quorum salute se solicitum esse scribit; & quod Ioanni & Dioscoro per litteras eos commendasset. LVI. Ad Ioannem & Dioscorum legatos; dolet Thomam & Nicostratum Constantinopoli congruo honore non fuisse receptos. LVII. Ad Iustinum Augustum, vt suis sedibus Thomam & Nicostratum restituendos curet. LVIII. Ad Euphemiam Augustam, Thomam & alios Episcopos ei commendat, seque perpetuas pro illa & eius viri salute ad Deum preces fundere dicit. LIX. Ad Iustinianum Comitem Domesticorum; laudat eius studium erga Ecclesiasticam pacem, eique Heliam, Thomatem & Nicosttatum Episcopos commendat. LX. Ad Germanum virum illustrem, cui similiter pacem Ecclesiæ, & supra nominatos Episcopos commendat.

LXI. Ad Heliam & alios exules Episcopos pro quorum causa se ad Imperatorem scripsisse significat. LXII. Ad legatos suos, de iis quę Thessalonicæ ab Eutychianis gesta per famam audiuerat, proinde Dorotheum & Aristidem Romam venire compellendos dicit. LXIII. Ad legatos, dolet Ioannem occisum: & Dorotheo ab Episcopatu remoto, alium Aristide excepto, in eius locum substitui præcipit. Thomam & Nicostratum suis Ecclesijs restituendos. Monachos Scythas Romæ vsque ad legatorum aduentum retinendos. LXIV. Ad Ioannem Melicitanum Episcopum, cui significat Constantinopolitanam Ecclesiam ad Sedis Apostolicæ communionem rediisse. LXV. Ad Episcopos Hispanię, gratulatur de pace Orientalis Ecclesiæ. LXVI. Ad Iustinianum, cui Apostolorum sanctuaria transmittit. LXVII. Ad eundem, Scythas Manachos ante legatorum aduentum Roma non discessuros nunciat. LXVIII. Ad legatos, à quibus de eorum salute & rebus gestis certior fieri cupit. LXIX. Eosdem monet vt ad se scribant. LXX. Ad Possessorem Episcopum Africanum, qui eum per Iustinum Diaconum suum consuluit, de Fausti Episcopi libro, quem scribit à Romana Ecclesia non recipi, quod cum fide recta & doctrina sana non concordet: significatque Scythas Monachos suos errores damnare nolentes, vt hæreticos ab vrbe expulsos esse. LXXI. Ad Epiphaniũ Cõstantinopolitanum Episcopum, quod ordinatus, ad se pro more, nec scripsisset, nec legatos misisset. LXXII. Ad eundem. queritur Eliam, Thomam, & Nicostratum suis sedibus non restitutos, istaque ad eum spectare, vr executioni mandentur. LXXII. Ad Dorotheum Thessalonicæ Episcopum, vt Romam veniat, & Catholicam doctrinam percipiat, obiectumque crimen purget. LXXIV. Ad Iustinum Augustum, cuius literas se accepisse dicit, & nunquam de eius fide & pietate dubitasse. eius enim opera Asiani Episcopi ad Ecclesiæ vnitatem admitti rogabant, & & Catholicæ fidei professionem Pontifici transmiserant. LXXV. Ad Synodum Constantinopolitanam, quæ ei de ordinatione Epiphanij scripserat, igitur hac epi-

Anno 519. legati Pontificij significarunt Hormisdæ quæ Thessalonicæ à Dorotheo contra Ioannem Episcopum acta fuerunt vtque multi à hæreticis pro fide Catholica per tumultum occisi sunt.

stola

stola gratulatur de eius electione, LXXVI. Ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum, cui significat de acceptis ab eo muneribus & literis communionis fidei, hortaturque vt in vnione Ecclesiæ perseueret. LXXVII. Ad Iustinianum V.C. quē commendat de reuerentia sibi exhibita; promissam ab eo legationē expectat, & Sanctissimæ Trinitatis mysterium explicat. LXXVII. Ad Iustinum Augustum, cui de his, qui ad communionem admitti possunt, iam Epiphanio scriptum esse dicit, nihilque innouandum, ad euitandam discordiam. LXXIX. Ad eundem, Diuinitatis & incarnationis mysterium exponitur. Vltima B. Hormisdæ Papæ epistola, ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum, vt in communione Sedis Apostolicæ perseueret.

Primum Concilium sub Hormisda Remense,

Anno Domini 514

In causa Ecclesiasticæ disciplinæ à S. Remigio congregatum ex Episcopis Gallicanis, in quo Arianus quidam Episcopus tanta superbia inflatus fuit, vt solus omnes Catholicos ad certamen prouocaret. At vero ingredienti Remigio Synodum cæteri Episcopi omnes, vt par erat assurgunt: ille fastu plenus assurgere dedignatur. Sed transeunte penes illum Remigio, obmutuit, admirantibus omnibus garrulam hæretici linguam sola Remigii vmbra compressam. Qui postmodum cum eloqui nihil posset, ad pedes S. Remigii procidens nutibus veniam petiit, & S. Præsulis sanctimonia, & ab hæresi, & à linguæ impedimento sanatus fuit, promens confestim Catholicam professionem, tàme d mysterio Trinitatis, quàm de Christi incarnatione.

Hinc martis in vita S. Remigij.

Secundum Concilium veteris Epiri,

Anno 516. qui est tertius Hormisdæ.

Ioannis Nicopolitani Episcopi opera congregatum, qui mortuo Alcysone, in eius locum surrogatus, statim more maiorum vti Metropolitanus coacta Synodo Episcoporum, communionem Sedis Apostolicæ amplexurus, fidei suæ libellum illico per Rufinum Diaconum ad Hormisdam Papam misit, probans quatuor Generalia Concilia, damnansque omnes hæreticos, eorumque imprimis socium Acacium. Synodicam eiusdem argumenti ipsa Synodus vniuersa adiunxit, & per eundem Ruffinum ad Pontificem transmisit.

Tertium Concilium Tarraconense,

Tarracona Metropolis Cathaloniæ.

Decem Episcoporum, qui reformandæ disciplinæ Ecclesiasticæ causa tredecim capitula conscripserunt & subscripserunt Anno 516.

Quartum Concilium Gerundense,

Septem Episcoporum, qui decem Capitula conscripserunt ad restaurandam veterem disciplinam. Præcipuè autem cauerunt ne Litaniæ & processiones omitterentur A quo autem fuerint primo Litaniæ (Latine dicuntur Rogationes) editæ nō constat. Hoc autem certum, fuisse totius Ecclesiæ Catholicæ vetustissimum institutum, supplicationes publicas incessu & cantu (vnde processiones dicuntur) in calamitatibus populi & pressuris habere, vt constat ex D. Basilio Epist. 63. ad Neocesarienses. Hieronimo Epist. 12. ad Eustoch. Tertul. lib. 2. ad vxorem. August. ser. 173. de Tempore. D. Greg. & aliis.

Quintum Concilium Constantinopolitanum,

Hormisdæ Anno 5. Iustini Imp. anno primo, populus Ecclesiam ingressus importunis clamoribus extorserunt à Patribus & Ioanne Episcopo Constantinopolitano vt admisso Concil. Chalced etiam Euphemij, & Macedonij nomina pariter cum S. Leone Diptychis inscribentur.

Quo quadraginta Episcopi Sacrosancti Concilij Chalcedonensis, S. Leonis Papæ, Euphemij & Macedonij Episcoporum Constantinopolitanorum nomina sacris Diptychis restituerunt; & Seuerum, aliosque eiusdem Concilii aduersarios condemnarunt. Anno Domini 518. die Iulii 20. Sed postea auctoritate Hormisdæ Pontificis, per legatos Anno 510. nomina Euphemij & Macedonij vna cum nomine Acacii è sacris tabulis vicissim expuncta sunt: idque propterea, quod nomen Acacij schismatici & hæreticorum communione polluti, nimis pertinaciter retinentes, communione Sedis Apostolicæ exciderint, quantumuis in schismate pro fide Catholica exulassent.

Sextum Concilium Hierosolymitanum,

Quo trigintatres Episcopi; omnia quæ pro confirmatione Concilij Chalcedonensis, & pro restituendis nominibus Orthodoxorum, & damnatione hæreticorum Concilio Constantinopolitano acta sunt. Extat Synodalis Epistola ad Ioannem Constant: & Concilium ibidem congregatum.

Se-

Septimum Concilium Tyrium,

Quo Acta legitima Constantinopolitani Concilij confirmantur, condemnanturque hætetici omnes. Quod cum perlatum esset ad Iustinum Imp. proceres Eutychiani calumniati sunt apud eum hos omnes qui Concilio interfuerunt esse Nestorianos hæreticos, ideòque dignos qui pœnis subijcerentur. Quibus auditis Imperator Syros ac Pælestinos scripto admonuit, vt cuius essent fidei docerent. Qua occasione Antioceheni & Hierosolymitani Clerici cum Monachis earundem Ecclesiarum conuenientes, libellum scripserunt ad Iustinum Imperatorem, quo se verè Cetholicos esse, absque vlla ambiguitate perspicuè declararunt, His acceptis Iustinus Imp, pro ipsorum voto promulgauit edictum, quo præcipiebatur, vt omnes exules fidei causa sub Anastasio condemnati, ad propria post liminio redirent, pristinosque gradus & honores reciperent: surrogati verò in locum ipsorum hæretici, procul pellerentur, alijsque pœnis exagitarentur: sacrosanctum Chalcedonense Concilium in sacras tabulas referretur, & ab omnibus pie & religiose obseruaretur; omnibusque Ecclesijs tutissima pax redderetur. Vide Acta magni Sabæ apud Surium tom. 6. die. 5. decemb. *Anno 518 die 16. Septemb.*

Octauum Concilium Romanum.

De Acacii, Euphemii, & Macedonii Constantinopolitanorum Episcoporum nominibus è sacris Diptychis expungendis, celebratum sub Hormisda Anno 518 deque recipienda Orientali Ecclesia ad communionem Apostolicæ Sedis, quod postulabat Iustinus Augstuus, & Ioannes Episcopus Constantinopolitanus, nec non Comes Iustinianus epistolis suis. visis itaque supre hac re prædecessorum Romanorum Pontificum sententiis, Simplicii, Felicis, Gelasii, & Symmachi, sententia vnanimi decreuerunt omnes, mittendam esse legationem Constantinopolim & recipiendam Ecclesiam Orientalem ad communionem, postquam iuxta admonitionem Pontificis, Episcoporum supraomninatorum nomina, Zenonisque & Anastasii hæreticorum Imperatorem expunxissent. *Hæretici, & schismatici omnes hac Synodo condemnati nominaque eorum è sacris tabulis sunt deleta.*

Vltimum Concilium sub Hormisda Constantinopolitanum secundum.

Ab Epiphanio eiusdem Ecclesiæ Episcopo collectum, ex quo ad Hormisdam Papam vna cum legatione Synodica de pace, & vnione Ecclesiarum epistola missa fuit. *Anno 520. Hormisda 7 Iustini Imp.*





LIBER VIII.



CVM iam de perfecta vnitate Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali cœpissent inuicem fideles gaudere, passimque studio & vigilantia Christianissimi Imperatoris Iustini, prophanatæ ab hæreticis Ecclesiæ, Catholica religione consecrarentur; ecce inopinato Romana Sedes à Theodorico Rege Italiæ Ariano turbata est, multique incluti ex Senatu gladio ipsius interempti pro fide Catholica gloriosè occubuerunt, & hactenus libera electio Pontificis per eum violata, occasionem in posterum Orientalibus Imperatoribus dederat, vt non alium à Ciero Romano Pontificem eligi permiserint, quam talem, quem ipsi suo assensu confirmarent. Ob quod S. Greg. plurimis in locis grauissime ingemiscit.

Anno Christi 523, 12. Augusti Iustini Imp. 6. Theodorici 31.

IOANNES I.

Natione Tuscus ex patre Constantio Presbytero, sedit annos duos, menses nouem, dies septemdecim, temporibus Theodorici Regis, & Iustini Augusti, qui eo tempore, summo amore religionis Christianæ ardens, curabat omnes hæreticos in Imperio suo extirpare, & Ecclesias Arianorum in Catholicas consecrare. Quod Theodoricus Rex hæreticus audiens, exarsit in iram, & totam Italiam voluit extinguere, si ad eius petitionem Imperator Orientalibus Arianis acceptas Ecclesias non restitueret. Vocato itaque Ioanne Pontifice Rauennam, impulit eum ad munus legationis Constantinopolim suscipiendum, mutuæque pacis & concordiæ conseruandæ sequestrum agendum, comminatus, nisi delegatam prouinciam subiret, se in occidente aduersus Orthodoxos illa facturum, quæ in Oriente aduersus suos Arianos legibus Augusti decreta fuissent. His minis commotus Pontifex, ægrotus cum fletu Constantinopolim egressus, & Senatores cum eo, scilicet Theodorus, Importunus, & Agapetus exconsules, & alius Agapetus Patricius; qui cum Costantinopolim aduenissent, occurrerunt B. Ioanni Papæ à milliario duodecimo, omnis ciuitas cum cereis & crucibus, in honorem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quia à tempore Constantini et à Beato Syluestro, vsque ad Iustini tempora non meruerat Græcia vicarium Christi et B. Petri successorem apud se videre. Tunc Iustinus Augustus dans honorem Deo, humiliauit se pronus in terram, et adorauit beatissimum Ioannem Papam gaudens quia meruit temporibus suis primæ sedis Episcopum Apostolicum in regno suo videre, de cuius manibus deinde coronatus est. Eodem tempore Ioannes Papa cum Senatoribus suprascriptis (Agapeto Patricio defuncto Thessalonicæ) cum grandi fletu rogaue runt Iustinum Augustum, vt legatio in causa pacis cum Theodorico Rege acceptabilis esset in conspectu eius; et meruerunt habere eam, Arianorum autem Ecclesias hortante Imperatore, quascunque illis in partibus reperire B. Pontifex potuit, Catholicas eas, Domino opem ferente, consecrauit. Quo audito Theodoricus Rex hæreticus, tenuit duos Senatores præclaros, et exconsules, Symmachum et Boetium, et occidit interficiens gladio. Cumque reuersus esset Ioannes Papa venerabilis à Iustino Augusto cum Senatoribus prędictis pace obtenta in omnibus conditionibus quo ad regnum, excepta hæresi, quam ille liberam in Oriente

Hic Pontifex cum Constantinopolim pergeret, veniens Corinthum acceperat mutuo equũ à quodam viro nobili, ad certum locum itineris illius. Quem cum Domino propriore misisset equus post sessionem Pontificis mulierem Domini sui vxorem nullo modo ferre voluit. Igitur redeunti Pontifici Constantinopoli nobilis ille equũ Pontifici donauit S. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 2.

Idem Pontifex Constantinopolim per portam quæ aurea vocabatur intrans roganti cœco in cõspectu totius turbæ lumen oculorum reddidit.

te esse cupiebat, cum grandi dolo, & odio suscepit eos, & gladio voluit occidere, sed metuebat indignationem Iustini Augusti. Tamen in custodia omnes afflictos macerauit, ita vt beatissimus Ioannes Episcopus primæ Sedis, in custodia afflictus deficiens, moreretur Rauennæ xv. Kal. Iunii.

Post hoc factum, nutu Omnipotentis Dei, 98. die postquam defunctus est Ioannes beatissimus Papa in custodia, Thodoricus Rex hæreticus subitò interijt, & mortuus est. Hic Papa Ioannes refecit cœmeterium beatorum Martyrum Nerei, & Achillei, via Ardeatina. Item renouauit cœmeterium Sanctorum Felicis, & Adaucti. Item renouauit cœmeterium Priscillæ. Eodem tempore positum est ornamentum super confessionem B. Apostoli de gemmis prasinis, & hyacinthis. Item huius temporibus Iustinus Imperator cōtulit patenam auream cum gemmis, pensantem libras viginti. Calicem aureum cum gemmis, pensantem libras quinque. Scyphos argenteos quinque. Pallia auro texta quindecim, quæ ipse Ioannes detulit ad beatos Apostolos Petrum & Paulum, & ad Sanctam Mariam, & ad S. Laurentium. Hic ordinauit Episcopos per diuersa loca 15. Cuius corpus translatum est Romam, & in Basilica Vaticana sepultum, Sexto Kal. Iulias. Et cessauit Episcopatus dies 59.

Scripsit Epistolas duas. Vnam ad Zachariam Archiepiscopum, de non accusandis Episcopis. Alteram ad Episcopos Italiæ de Theodorico Rege, atque de Fide Catholica aduersus Arianos defendenda, deque Ecclesijs eorum sacro ritu consecrandis, & diuino cultu reconciliando.

Hăc vltimam epistolam Ioan. Papa scripsit ex carcere, in quo non multo post pœdore, fameq; consumptus expirauit.

Primum Concilium tempore Ioannis Papæ Ilerdense,

Habitum 8. Idus Augusti Anno Domini 524. Theodorici Regis Italiæ, in Hispania regnantis anno 15. Vbi octo Episcopi congregati, sedecim Canones pro reformatione Ecclesiæ Hispanorum condiderunt.

Secundum Valentinum,

Sex Episcoporum, anno eodem, & in eadem Hispania habitum, in quo sex Canones conscripti, toti Ecclesiæ vtilissimi.

Tertium Concilium Arelatense III.

Quatuordecim Episcoporum, in quo de Ecclesiastica disciplina, in ordinandis ministris Ecclesiæ seruanda, plura decreta sancita fuerunt.

FELIX IV. Natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos 4. menses 2. dies 13. Fuit autem temporibus Theodorici Regis, & Iustiniani Augusti. Hic fecit Basilicam Sanctorum Cosmæ & Damiani in Vrbe Roma, in loco qui appellatur Via Sacra, iuxta templum Vrbis Romæ. Huius temporibus consumpta est incendio Basilica S. Martyris Saturnini, via Salaria, quam à solo refecit. Qui etiam ordinatus est cum quiete, & vixit vsque ad tempora Athalarici. Hic fecit ordinationes duas in Vrbe Roma per mensem Februarium, & Martium, presbyteros 55. Diaconos 4. Episcopos per diuersa loca 29. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri Apostoli 4. Idus Octobris. Et cessauit Episcopatus dies 3.

Scripsit Epistolas Decretales tres, vnam ad omnes Episcopos, ne Missarum celebratio alibi fiat, quam in locis Deo dicatis, nisi aliter fieri, magna compulerit necessitas. Secundam ad Sabinam exhortatoriam ad pietatem, & iustitiam. Tertiam demum ad Cæsarium Arelatensem.

An. D. 526. Iulij 25 Theodoricus Rex, vsurpato sibi iure eligendi, & nominandi Pontificem, postquam hac de re 58. diebus disceptatum esset, nominauit hunc Felicem IV. Iustini Imper. an. 9. qui morbo, senioq; confectus cum cōsensu Senatus Imperij Successorem delegit Iustinianum ex sorore nepotem.

Hic Papa Clerum à populo in templo discreuit.

Concilium Primum tempore Felicis IV. fuit Arausicanum II.

Contra Semipelagianos, & Massileenses Anno Domini 529. celebratum, occasione Scriptorum quorundam Fausti Regiensis Episcopi de gratia Dei, qua saluamur, in quo sub specioso titulo Pelagium damnans, ipse Pelagianizabat. Itaque Cæsarius Arelatensis Episcopus, non tantùm libellum, de Gratia & Libero arbitrio Felicis Papæ auctoritate approbatum, contra eum conscripsit, verùm etiam hoc Episcoporum Concilium indixit, qui Fausti errores confutando, 25. Canones ex verbis, & sententijs S. Augustini, de gratia & libero arbitrio, pro Fide Catholica constituerunt, à quibus nulli fideli recedere licet.

Seundum Concilium Vasionense III.

Anno 529. Duodecim Episcopi conuenerant Gallicani. Statueruntq; inter alia secundum antiquorum Canonũ, authoritatem nè pretium à sepulturis accipiatur; nisi fortè eleemosynam spontè quis offerre voluerit.

Præsidente magni nominis viro Cæsario Arelatensi Episcopo, qui etiam de Gratia, & Libero arbitrio edidit testimonia diuinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum iudicijs munita: vbi docet nihil hominem de proprio aliquid boni agere posse, nisi eum diuina gratia præuenerit. Quod opus etiam Papa Felix per suam epistolam roborauit, & in latius promulgauit. *Gennadius cap. 86.* Quinque Capitula omnibus Ecclesijs vtilia hic constituta fuerunt I. Vt presbyteris prædicandi potestas suis plebibus concedatur II. Vt *Kyrieeleyson* in omnibus Ecclesijs dicatur III. Vt iuniores lectores in Psalmodia, & lege Domini erudire contendant, dignosque sibi successores parent IV. Vt in omnibus Misſis, etiam quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, semper *Sanctus, Sanctus, Sanctus dicatur*, & vt nomen Papæ in Ecclesijs recitetur. V. Vt propter hæreticorum incredulitatem, post Gloria Patri, &c. etiam, Sicut erat in principio, &c. Semper dicatur.

Tertium Concilium Carpentoractense,

Sedecim Episcoporum, anno eodem celebratum; in quo illud tantùm sancitum est, quid non, & quantum ex bonis parochiali Ecclesię oblatis Episcopo sumere liceat. Et Agricium Episcopum, ideò quod perperam ordinasset, vocatusque ad Concilium contumaciter non comparuisset, auctoritate huius Concilij à Missarum sacrarum celebratione suspensum fuisse, patet ex epistola Synodali ad eum scripta.

A. D. 530. Iustiniani IV. Athalarici Regis Italiæ. 2. Dioscorus ille, quem Hormisda Pontifex, vna cum alijs legatis ad Iustinum Imp. ablegauerat, Simoniæ labe infamatus (causam schismatis Rege Athalarico præbente, qui sui antecessoris exemplo Pontificem præsentare, & nominare volebat) iusta sententia condemnatus fuit.

BONIFACIVS II.

Natione Romanus, genere Gothus, ex patre Sigibuldo, sedit anno vno, & duobus diebus. Fuit autem temporibus Athalarici Regis hæretici, & Instiniani Augusti. Hic cum Dioscoro ordinatur sub contentione; Dioscorus in basilica Constantiniana, Bonifacius verò in basilica Iulij. Et fuit dissensio in Clero, & Senatu dies 29. Eodem tempore defunctus est Dioscorus pridie Idus Octobris. Ipsis diebus Bonifacius zelo, & dolo ductus cum grandi amaritudine sub vinculo anathematis, & chirographi reconciliauit Clerum, quem chirographum Ecclesiæ archiuio reclusit, quasi damnans Dioscorum, & congregauit Clerum, cui tamen in Episcopatu nullus subscripsit, dum plurima multitudo fuisset cum Dioscoro. Hic Presbyteris, & Diaconibus, & Subdiaconibus, et Notariis scutellas de adeptis hæraditatibus obtulit, et alimonijs multis in periculo famis Clero subuenit. Hic congregauit Synodum in basilica B. Petri Apostoli, et fecit constitutum, vt sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum chirographis Sacerdotum, et iureiurando, ante confesſionem B. Apostoli Petri n i Diaconem Vigilium constituit. Eeodem tempore facta iterùm Synodo, hoc censuerunt Sacerdotes omnes propter reuerentiam Sanctæ Sedis. Et quia contra Canones hoc fuerat factum, et quia culpa eum respiciebat, vt successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est Maiestatis, quod Diaconem Vigilium sua subscriptione chirographi ante confesſionem B. Apostoli Petri constituisset: ac ipsum constitutum in præsentia omnium Sacerdotum, et Cleri, et Senatus, incendio consumpsit. Eodem tempore venit relatio ab Afris Episcopis de Constitutione, et vt cum Consilio Sedis Apostoiicæ omnia Carthaginensis Episcopus faceret. Qui Bonifacius sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, sub die 17. mensis Octob. Et cessauit Episcopatus menses 2. dies 15.

Primum Concilium Romanum I.

Bonifacius celebrauit, cum sibi successorem Vigilium Diaconum deligeret, quod ipse postea reprobauit.

Secundum Concilium Romanum II.

Quo Bonifacius electionem Viglij, velut illegitimam, sacris Canonibus contrariã irritauit, & rescindit.

Anno Domini 531. Amalarici Regis anno 5.

Tertium Concilium circa tempora Bonifacij habitum Toletanum II.

In quo quinque Canones restituendæ disciplinę Ecclesiasticæ causa, sanciti sunt.

IOANNES II.

Cognomento Mercurius, natione Romanus, ex patre Proiecto, de Cœlio monte, sedit annos non totos tres, temporibus Athelarici Regis, & Iustiniani Augusti, qui amore Christianæ Religionis, misit fidem suam scriptam chirographo proprio ad Sedem Apostolicam, per Episcopos Hypatium, & Demetrium; obtulitque B. Petro Apostolo Scyphum aureum circumdatum gemmis prasinis, & albis, & alios calices argenteos duos. Scyphum pensantem libr. 3. calices argenteos singulos pensantes libr. 6. Et alios calices argenteos duos pensantes libras 13. Palio la verò auro texta 4. Hic fecit ordinationem in vrbe Roma vnam per mensem Decembr. presbyteros 13. Episcopos per diuersa loca 21. Qui etiam sepultus est in Basilica B. petri Apostoli 6. Kal. Iulias. Et cessauit Episcopatus dies sex.

Anno Domini 532. 22. Ianuarij Iustinianus Imp ab Episcopis ex visione quadam victoriam pollicentibus Vandalicum bellum inchoauit, triumquè mensium spatio Rege Gilimere per Belisarium bis fugato Charthaginem, ac cum eo totam Africam recuperauit. quam quinque annis barbari possidebant.

Scripsit epistolas quinque. *Primam*, ad Valerium Episcopum, qua docet Christum Dominum secundum Deitatis naturam Patri æqualem; Secundum verò humanam naturam minorem esse. *Secundam*, ad Iustinianum Augustum, qui laudat egregiam ipsius pietatem, debitumque ipsius Religionis, quo Sedem Apostolicā à quo requirebat Euangelicam veritatem, prosequebatur. Rogatquè eum, vt quos à recto fidei Catholicæ itinere aberrare sciret, omni studio adhibito reuocaret; & inter alios ipsos legatos à Monachis Acæmitis Romam missos. *Tertiam*, ad Senatores, qua fidem de Christi diuinitate, & incarnatione confirmat. Acœmetas monachos Nestorij Sectatores, vitandos esse monet. *Quartam*, ad vniuersos Episcopos Galliæ, quibus significat Contumeliosum Episcopum Gallum, esse priuatum Episcopatu, & ad monasterium deputatū, vt ibi constitutus delicti veniam à Domino petere non omittat. Interim Ecclesiam eius S. Cæsario Arelatensi Episcopo commendauit. *Quintam*, ad Presbyteros, & Diaconos Contumeliosi Episcopi, eiusdem argumenti.

Primum Concilium sub Ioanne II. Papa Romanum.

Quo contra Acœmetas definitum est, Catholicè, & piè dici posse, vnum de Trinitate passum esse in carne. Statimq; vnanimi consensu Patrum Acœmestarum sententia confutata est, Iustiniani Imp. scripta fidei professio approbata. Quam ille Ortodoxorum Episcoporum consensu scripsit Anno 533. & in Codice lib. 7. sub titulo, de Summa Trinit. & Fide Catholica intexuit, habita in Oriente Collatione Catholicorum cum Seuerianis, vt omnes Sacerdotes cum Ecclesia Romana vnire possent.

Secundum Concilium Affricanum.

Ad restituendam collapsam ob longam seruitutem Ecclesiasticam disciplinam, ab Episcopis Africanis in pristinam libertatem vindicatis, celebratum. Qui Lucium, & Petrum Episcopos, atque Liberatum Diaconum Carthaginensis Ecclesiæ, cum Synodica epistola, ad Ioannem Pontificem miserunt: Quem cum defunctū inuenissent, Agapeto Papæ, qui in locum eius successerat, Synodicas literas dederūt.

AGAPETVS.

Natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero, clericus ad Sanctos Ioannē, & Paulum, apprime eruditus, sedit menses vndecim, & dies 18. Hic in Ortu Episcopatus sui libellos anathematis, quos inuidiæ dolo extorserat Bonifacius, presbyteris, & Episcopis contra Canones in Dioscorum, in medio Ecclesiæ congregatis omnibus, incendio consumpsit, & absoluit totam Ecclesiam ab inuidia perfidorum. Hic missus est à Theodato Rege Gothorum ad Dominum Iustinianum Augustum in legationem, qui indignatus erat Theodato, eo quod occidisset Reginam Amalasuntham filiam Thodorici Regis, (commendatam sibi) qui eum Regem fecerat. Pergens itaque Agapetus, Constantinopolim 10. Kal. Maij ingresus, susceptus est, cum gloria. primum cæpit habere altercationem cum Religiosissimo Principe Iustiniano de Religione, cui constanlissime Fidei Apostolicæ responsum dedit de Domino IESV CHRISTO, Deo, & homine; hoc est, de duabus naturis in Christo. Et dum contentio versaretur, ita Dominus adfuit, vt Episcopum Con-

Anno 534. Theodatus Rex Italiæ ad pugnandū ineptissimus amissa Dalmacia, & Sicilia, veritus de Regno Italiæ, misso Agapeto Papa cum aliquot Senatoribus ad Imp. Iustinianum, vt exercitum suum ab Italia amoueret. Pontifex cum itineris expensa deessent, vasa sacra Arcario Regio oppignorauit; quæ eadem opera Cassiodori recepit. In itinere positus, mutū simul, & claudum, magna astantium admiratione, in partibus Græciæ curauit Greg. 3. Dialog. cap. 3.

ſtantinopolitanum, nomine Anthimum, inueniret Agapetus Papa hæreticum. Cumque contentio verteretur cum Auguſto, & Agapeto Papa, dixit ei Auguſtus Iuſtinianus. Aut conſenti nobis, aut exilio te deportari faciam. Tunc Beatiſſimus Agapetus reſpondit cum gaudio, dicens ad Auguſtum. Ego quidem peccator ad Iuſtinianum Imperatorem Chriſtianiſſimum venire deſideraui, nunc autem Diocletianum inueni; qui tamen minas tuas non pertimeſco; vt autem tu ſcias eum, quem feciſti Epiſcopum Conſtantinopolitanũ, non eſſe idoneum Religioni Chriſtianæ, veniat huc, & confiteatur duas naturas in Chriſto. Tunc accerſito ex præcepto Auguſti Epiſcopo Conſtantinopolitano nomine Anthimo, & diſcuſione facta, nunquam voluit confiteri in doctrina Catholicæ reſponſionis, ad interrogationem B. Papæ Agapeti duas naturas in vno Domino Ieſu Chriſto. Tunc pijſſimus Auguſtus Iuſtinianus gaudio ex doctrina Agapeti repletus, humiliauit ſe Sedi Apoſtolicæ, & adorauit Beatiſſimum Agapetum Papam. (Quem Gratianus de conſ. diſt. 1. Agap. vas catholicum, Euangelii tubam, & Præconem iuſtitiæ vocat.) Eodemque ſtatim tempore eiecit Anthimum à communione, & expulit in exilium, & Beatiſſimum Agapetum rogauit, vt in locum Anthimi, alium Epiſcopum Catholicum conſecraret, nomine Mennam. Quo facto Agapetus Papa omnia obtinuit, pro quibus miſſus fuerat. Poſt dies verò aliquantos ægritudine correptus, defunctus eſt Conſtantinopoli: cuius corpus in loculo plumbeo tranſlatum eſt Romam vſque in Baſilicam B. Petri Apoſtoli, vbi & ſepultus eſt, 12. Kal. Octob. Hic fecit ordinationem in Vrbe Roma, Diaconos 4. Epiſcopos per diuerſa loca 2. Et ceſſauit Epiſcopatus menſem vnum, dies 28.

Hic primus minori proceſſione templa, die Dominica circumire docuit.

Scripſit Epiſtolas octo. *Primam*, ad Iuſtinianum Auguſtum gratulatoriam, quod Catholicam Religionem promoueret, quam ipſe per Epiſtolam profeſſus eſt. *Secundam*, Ad Epiſcopos Africanos, quibus ſimiliter gratulatur, quod ab hæreticorum manibus euaſerint incolumes: & ad ea, de quibus anteceſſorem ſuum Ioannem conſuluerant, reſpondet. *Tertiam*, Ad Reparatum Epiſcopum Carthaginenſem, gratias agens, quod ſibi de electione in Pontificem fuerit literis gratulatus; ſimul ſignificans ſe eius conſultationibus reſpondiſſe, idemq; per legatos præſtiturum. Interea hortatur; vt quæ pro Fide Catholica ſcripſit, diuulgari curet. *Quartam* itidem ad Iuſtinianum Auguſtum, cui gratias agit, quod ſibi de electione in Pontificem fuerit gratulatus, illius fidem laudans, ad Catholicam fidem tuendam hortatur: lapſos Epiſcopos cum honoribus recipi non poſſe, reſpondet. *Quintam* ad Antimum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, oſtendens in Chriſto duas perfectas eſſe naturas, & contrarium aſſerentem damnans. *Sextam* ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, de non alienandis bonis Eccleſiaſticis. *Septimam* ad eundem de appellatione Contumelioſi Epiſcopi ad Sedem Apoſtolicam. *Vltimam* ad Petrum Hieroſolymitanum Epiſcopum, de Anthimi depoſitione, & Mennæ ſubrogatione.

Concilium Conſtantinopolitanum.

Poſt obitum Agapeti. tempore interregni Pontificij ſub Menna, Conſtantinopolitano Antiſtite, Sedis Apoſtolicæ Vicario. Anno Domini 536. contra Anthimum, Seuerum, alioſq; Acephalorum Principes celebratum, in quo præſidebant Legati Pontificij, quos Agapetus anno ſuperiore, ante aduentum ſuum Conſtantinopolim præmiſerat ad res componendas, quoſque decedens ibidem nulla poteſtate imminutos reliquerat. Hi itaque ſummo ſtudio poſt obitum Agapeti Pontificis curarunt, vt quæ ab eodem Agapeto adhuc viuente conſtituta fuiſſent, nullo hæreticorum inſultu labefactarentur; ſed potius Sarta, tecta, atque in omnibus illibata, & integra ſeruarentur. Quia nuper depoſiti hæretici, potentia Imperatricis freti rurſus inſurgere conabantur; ſed Concilii decreto condemnati ſunt, quia poſt tot dilationes reſipiſcere noluerunt. Statimque ſcripta epiſtola Synodica ad Petrum Hieroſolymitanum Epiſcopum, de rebus in Synodo geſtis, quomodo Apoſtatas fidei Orthodoxæ, & abſciſſos, ac ſimpliciorum animarum inſidiatores, à communione Catholica reiecerunt. Quos Iuſtinianus quoque Auguſtus, ſua Conſtitutione condemnauit, & in exilium relegandos putauit. *Vide Conſtitutio-*

Sexto Nonas Maias: In Meſaulio dytico, ſeu in meditullio aulæ occiduo, in Monaſterio Dyticon dicto Synodus peragebatur Actionibus quinque diſtincta præſentibus Legatis Pontificis defuncti Agapeti, Sabino Canuſino, Epifanio Eſculano, Aſterio Salernitano, Ruſtico Feſulano, & Leone Nolano Epiſcopis.

tutionem hanc in volumine Nouellarum 42.

Secundum Concilium Hierosolymitanum,

Post obitum Agapeti, tempore interregni Pontificij, Anno eodem 536. decima nona Septembr. contra Anthimum, Seuerum, Petrum, & Zoaram hæreticos celebratum, præsidente Petro Hierosolymorum Patriarcha. Qui acceptis literis Synodalibus à Menna Constantinopolitano Episcopo, cum Episcopis 45. condemnationis sententiam pronunciauit.

Mennam Patriarcham Constant. cõsecrauit Agapitus Papa.

SILVERIVS Natione Campanus ex patre Hormisda Episcopo Romano, ante Pontificatum illius natus, sedit annos tres, & menses aliquot. Hunc Romanus Clerus à se antea improbatum, quod à Theodato Rege per vim intrusus esset, paulo post recepit, & approbauit, vt schisma euitaretur. Post menses verò duos, nutu diuino extinguitur Theodatus Tyrannus, & leuatur Rex Vittiges, qui Romam veniens Theodati filium Theodegiselum, in carcerem proiecit. Rauennæ verò cum esset Amalasunthæ Reginæ filiam, vi tulit sibi in vxorem. Interea Iustinianus Imperator, misit Belissarium patricium cum exercitu, vt liberaret omnem Italiam à captiuitate Gothorum. Is è Sicilia veniens in Campaniam, vt audiuit quod Gotthi sibi fecissent Regem contra votum Iustiniani Augusti, obsedit statim Ciuitatem Neapolim: & quia Ciues noluerunt ei aperire, vi expugnata Vrbe interfecit Gotthos, & omnes Ciues Neapolitanos, vt nec Ecclesiis parceret pugnando, nec Seruis Dei, nec virginibus Sanctimonialibus. Deinde processit ad Vrbem Romanam, & obsidione eam cinxit, quem Romani metuentes, ne paterentur ea, quæ passi erant Neapolitani, suasu Siluerii Pontificis Belissario se dederunt 4. Iduum Decembris. Gotthi verò, qui erant in Ciuitate, vel foras muros, fugerunt Rauennam, & omnes portas apertas dimiserunt; Belissarius autem custodiis, & munitionibus, fabricis murorum, ac reparatione fossati, circumdedit ciuitatem Romam, & muniuit statim. Sed reuersus Vittiges cum multitudine Gotthorum IX. Kal. Martias, castra ad pontem Miluium fixit, cœpitq; obsidere Vrbem, vt nulli esset facultas exeundi, vel introeundi, incluso intra ciuitatem Romam Belissario Duce, vbi grandis fames erat, vt aqua venundaretur precio. Pugnæ autem maximæ erant contra ciuitatem per annum integrum: Sed vicit Gotthos Belissarius, & protexit Romanos, Barbari autem abierunt Rauennam. Eodem tempore tanta fames fuit per Vniuersum mundum, vt Darius Episcopus Mediolanensis relatione sua hoc euidenter narrauerit, quod in partibus Liguriæ mulieres filios suos comedissent, idq; ex Ecclesiæ suæ familia. Interea temporis Belissarius, abiens Neapolim, ordinauit eam; & postmodum rediens Romam, susceptus est à Siluerio Papa benignè. Tunc autem Vigilius Diaconus Agapeti, erat Constantinopoli Apocrissarius, seu agens in Aula Imp. negotia Ecclesię Romanæ tractans, quem Augusta ad se vocatũ secretò, flagitauit ab eo, & iureiurando obstrinxit, vt si Papa fieret, facta Synodo Anthimũ Sedi suæ restitueret. Dolebat enim fęmina hæretica pro eo quod depositus fuisset à S. Agapeto Papa, & in locũ eius surrogatus esset Menna Orthodoxus. Consilio itaq; vsa cum Vigilio Diacono, misit Epistolam Romam ad Sylucrium Papam, rogans, & obsecrans, ne pigriteris ad nos venire, aut certe reuoca Anthimum in locum suum. Et cum legisset B. Syluerius literas, ingemuit, & dixit. Modo scio, quia causa hæc finem vitæ meæ adducit. Habensque fiduciam in Domino, & B. Petro rescripsit, dicens, Domina Augusta, ego rem istam nunquam facturus sum, vt reuocem hominem hæreticum in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit iussiones suas ad Belissarium Patricium, per Vigilium Diaconem, ita continentes. Vide aliquas occasiones in Syluerium Papam, & depone illum de Episcopatu, aut festinus certe transmitte eum ad nos. Ecce ibi habes Vigilium Archidiaconum, & Apocrisarium nostrum charissimum, qui nobis pollicitus est reuocare Anthimum Patriarcham, tunc suscipiens iussionem Belissarius, dixit. Ego quidẽ iussionem facio, sed, qui interest in necem Siluerii Papæ, ipse reddet rationem de factis suis Domino Iesu Christo. Et vrgente iussione, exierunt quidam falsi te-

An. 536. 30. Iulij. Huius temporibus Theodosius Alexãdrinus Episcop. cũ sedisset annum vnum, & menses quatuor in exilium missus est eo, quod Concilio Calcedonensi subscribere recusasset. Substitutus est ei Paulus Episcopus Orthodoxus, qui idem de homicidio accusatus in exilium eiectus fuit, subrogato in locũ eius Zoilo.

ftes, qui dixerunt. Quia nos multis vicibus inuenimus Siluerium Papam fcripta huiufmodi mittentem ad Regem Gotthorum. Veni ad portam, quæ vocatur Afinaria iuxta Lateranas, & ciuitatem tibi trado, & Beliffarium Patricium. Quod audiens Beliffarius, primo non credebat: fciebat enim, quod per inuidiam hæc de eo dicebantur. Sed dum multi in eadem accufatione perfifterent, pertimuit. Tunc fecit Beliffarius patricius Beatum Syluerium Papam venire ad fe in Palatium Pincis, & ad primum, & fecundum velum retinuit omnem Clerum. Ingreffis itaque Syluerio cum Vigilio folis in maufoleo; Antonina patricia fedebat in lecto, & Beliffarius patricius fedebat ad pedes eius. Et dum vidiffet eum Antonina patricia, dixit ad eum. Dic Domine Sylueri Papa, quid fecimus tibi, & Romani, vt tu velles nos in manus Gotthorum tradere? & adhuc ea loquente, ingreffus Subdiaconus regionarius, Regionis primæ, tulitque pallium de collo eius, & duxit eũ in cubiculum, & expolians eum, induit eum monachicam veftem, & abfcondit eum. Tunc Sixtus Subdiaconus Regionis Sextæ, videns eum iam Monachũ, egreffus foras, nunciauit ad Clerum, dicens, quia dominus Papa depofitus eft, & factus eft Monachus. Quod audientes fugerunt omnes. Syluerium verò fufcepit Vigilius Archidiaconus in fua quafi fide, & mifit eum in exilium ad Pontianos, & fuftentauit eum pane tribulationis, & aqua anguftiæ. Qui deficiens, mortuus eft, confeffor factus. Qui etiam fepultus eft in eodem loco XII. Kal. Iunii, ibique accurrit multitudo male habentium, et faluatur. Hic fecit ordinationem vnam per menfem Decembrem. Presbyteros 13. Diaconos 5. Epifcopos per diuerfa loca numero 19.

Scrpfit Epiftolas duas, *Vnam*, ad Vigilium Pfeudopapam, qua: ei ambitionem Sedis Apoftolicæ, et Simoniæ crimen admiffum exprobrat: eumque fententia anathematis comdemnat. Alteram ad Amatorem Epifcopum Auguftodunenfem, gratias illi agens pro charitate chrftiana, quod et doleat de exilio ipfius, et mittat pro fuftentatione illius argenti libras triginta.

Anno Chrifti 536. Iuftiniani decimo, Childeberti Francorum Regis 22.

Concilium Aurelianenfe II.

Triginta Epifcopum, fub initium Siluerii Papæ celebratum, in quo nihil nouiter conftitutum eft, fed tantum reformata eft difciplina fidelium, Canonibus viginti, et vno, in iis potifsimum, quæ ad mores Ecclefiæ pertinent, vt patet ex prefatione Actorum Concilii.

Anno Domini 540 4. Kal. Iulij Iuftiniani 14.

Vigilius fauore Theodoræ Auguftæ in Sedem Apoftolicam intrufus, poft obitum Siluerij per approbationem Cleri Romani Papa legitimus effe cæpit, & facta fidei confeffione omnisq; hærefeos execratione, euectus eft in thronum Pontificium. Ad quem Iuftinianus more maiorum perlogatum, & epiftolam fidei confeffionem mifit, Theodora verò Augufta, quia hæreticũ Antimum promouebat, anathematis iaculo vna cum Anthimo per Vigilium Papã percuffa, mifere poftea in hærefi interijt.

VIGILIVS

Natione Romanus, ex patre Ioanne Confule, fedit annos 16. vt probat Baronius eodem tẽpore Beliffarius Patricius cõmifit bellum cum Vitige Rege Gotthorum: quem fugientem noctu, infecutus eft Ioannes, magifter Militum cognomento Sanguinarius, tenuit eum, & adduxit ad Beliffarium, & ad Vigilium Romam. Tunc dederunt ei Sacramenta in Bafilica Iulii, vt faluum eum perducerent ad Iuftinianum Imperatorem. Quem cum adduxiffent Conftantinopolim, gauifus eft Imperator, & fecit eum Patricium, & Comitem, & tranfmifit eum iuxta fines Perfarum, & ibi vitam finiuit. Beliffarium verò interrogauit Imperator, quomodò fe haberet cum Romanis, vel quomodò in loco Siluerii ftatuiffet Vigilium. Tunc gratias ei egerunt Imperator, & Augufta, et data ei dignitate, iterum mifit eum in Africã. Qui veniens in fines Africæ, fub dolo pacis interfecit Contaridem Regem Vandolorum; et redacta eft Africa fub Republica. Tunc Beliffarius Patricius veniens Romam, de fpoliis Vandalorum obtulit B. Petro Apoftolo per manus Vigilii Papæ, crucem auream cum gemmis, penfantem libras centum, in qua fcripfit victorias fuas, Cerofitrata argentea deaurata maiora duo, quæ ftant vfque hodie ante corpus B. Petri Apoftoli. Sed, et alia multa dona, et elemofynas pauperum largitus eft. Fecit etiã Beliffarius Patricius Xenodochiũ in via Lata, et in via Flaminea iuxta Ciuitatẽ Oftiam Monafteriũ Sancti Iuuenalis, vbi poffefsiones, & dona multa largitus eft. Eodem tempore Theodora Augufta fcripfit ad Vigilium Papam. Veni, adimple nobis, quæ prona voluntate tua promififti de patre noftro Anthimo, et reuoca eum in officio fuo. Ad hæc refcripfit Vigilius. Abfit hoc à me, Domina

Domina Augusta. Prius loquutus sum male, & insipienter, modò autem nullo modo tibi consentio, vt reuocem hominem hæreticum, & anathematizatum, & si indignus, Vicarius sum B. Petri Apostoli, quo modo fuerunt antecessores mei Sanctissimi Agapetus, & Siluerius, qui eum damnauerunt. Tunc Romani fecerunt suggestiones suas contra Vigilium, eo quod cum consilio eius depositus fuisset Siluerius Beatissimus Papa. Suggerimus, inquiunt, pietati tuæ, quia malè agit cũ seruis tuis Romanis, & cum ipsa plebe sua, & quia homicidam illũ accusamus. Sic est in furorem versus, vt daret alapam notario suo, qui mox ad pedes eius cadens expirauit. Item dedit nepotem suum Vigilius Alterio Consuli, filiũ mulieris viduæ, quo casu faciente, fecit eum teneri nocte, & tam diu cędi, quamdiu vitam finiret. Quo audito Augusta, misit Anthemium Scribonem, cum iussione sua, & cum virtute maiore ad Romam, dicens. Exceptis omnibus in Basilica Sancti Petri, parce: nam si in Lateranis, aut in Palatio, aut in qualibet Ecclesia inueneris Vigiliũ, mox impositum in nauim, perduc eum vsq; ad nos. Nam per viuentem in secula excoriari te faciam. Qui Anthimius Scribon veniens Romam, inuenit eũ in Ecclesia Sanctæ Cęciliæ 10. Kal. Decembris. (Erat enim dies natalis eius) munera eum erogantem ad Populum. Tenentes ergo eum, deposuerunt ad Tiberim, & miserunt eum in nauim. Plebs autem, & populus sequebatur eum, acclamantes, vt orationem ab eo acciperent. Dataque oratione, respondit omnis populus. Amen. Et mota est Nauis. Videntes Romani, quod mota esset Nauis, in qua sedebat Vigilius, cœpit populus iactare post eum lapides, fustes, cacabos, & dicere. *Fames tua tecum. Mortalitas tecum, malè fecisti Romanis, malè inuenias vbi vadis.* Et quidam amatores eius secuti sunt eũ de Ecclesia. Qui ingressus in Siciliam in Ciuitatem Catanensem, permissus est facere ordinationem per mensem Decembrem, presbyteros & diacones, ex quibus transmisit Romam Ampliatum presbyterum, et vicedominum suum, et Valentinum Episcopum ad Sanctas Rufinam, et Secundam, ad custodiendum Lateranas, et gubernanandun Clerum. Et valefaciens omnibus, ingressus est Constantinopolim anno sequenti in vigilia natalis Domini Nostri Iesu Christi. Tunc obuius est ei Imperator, et osculantes se cœperunt flere; plebs autem tota psallebat ante eum vsque ad Ecclsiam Sanctę Sophiæ dicens: Ecce aduenit dominator Dominus, etc. per biennium verò ibi cõsistens habuit continuas contentiones de Anthimo Patriarcha, quo modo promisisset reuocare, et remittere eum in locum suum, et cautionem manus suæ ostendebant, qua promiserat eum in ordine suo collocare. Sed Vigilius nullatenus eis voluit consentire, sed tanta roboratus virtute, magis mori desiderabat, quam hoc facere impie. Tunc Vigilius Papa dixit; vt video, non me fecerunt venire ad se Iustinianus, et Theodora pijssimi Principes, sed hodie scio, quod Diocletianum, et Eleutheriam inueni. Facite vt vultis, digna enim factis recipio. Tunc dedit alapam in faciem eius quidam, dicens: Homicida, nescis quibus loqueris? nescis, quia Siluerium Papam occidisti; et filum viduæ, ad calces, et fustes interfecisti. Tunc fugiens in Basilicam Sanctæ Euphemiæ, tenuit columnam altaris. Qui tractus ab ea, eiectus est foras Ecclesiam. Fecit antem mitti funem in collum eius, et traxerunt eum per totam Ciuitatem vsque ad vesperam. Tunc misso in custodiam dabatur ei modicum panis, & aquæ. Clerus autem Romanus, qui cum eo erat, missus est in exilium ad diuersa metalla incidenda. Tunc Gothi fecerunt sibi Regem, qui Totilas vocabatur, qui descẽdens Romam obsedit eam: & facta est fames in Ciuitate Romana talis, vt etiam natos suos vellent comedete. Quadam autem die intrauit Romam à Porta Sancti Pauli, Indict. 13. Tota enim nocte fecit buccinam clangi, vsque dum cunctus populus fugeret, aut per Ecclesias se cœlaret, ne gladio Romani vitam finirent. Habitauit Rex cum Romanis, quasi pater cum filijs. Tunc quidam de Senatoribus fugientes, Citheus, Albinus, & Basilius Patricius, & Consul, ingressi sunt Constantinopolim, præsentati ante Imperatorem afflicti, et desolati. Tunc consolatus est eos Imperator, et ditauit eos, sicuti digni erant, tanquam Consules Romani. Eodem tempore Imperator Iustinianus misit Narsetem Eunuchum, et Cubicula-

Hic Papa diebus Festis proprias, & cõuenientes lectiones aptauit. Romanam Ecclesiam aliarum omnium matrem, & magistram haberi oportere pronũciauit Isid. in Vigilio.

Hoc tempore Festũ Purificationis B. V. Mariæ Constantinopoli, ob grassantem postem, institutum Sigib.

bicularium suum in Italiam, cui data pugna cum Gothis, donauit Deus victoriam, & occisus est Rex, & multitudo Gothorum interfecta est. Tunc adunatus Clerus, rogauerunt Narsetem, vt vna cum eius suggestione rogarent Principem, vt si adhuc viueret Vigilius Papa, vel Presbyteri, seu Diaconi, vel Clerus, qui cum eodem Vigilio fuerant exilio deportati, reuerterentur. Suscepta relatione Narsetis, vel cuncti Cleri Romani, lætus effectus est Imperator, & omnes incly ti eius, eo quod requiem donasset Deus Romanis: mox misit iussiones suas per diuersa loca, vbi fuerant in exilio deportati in Gyssa, & Preconneso; & adduxit eos ante se Imperator dicens eis; vultis recipere Vigilium, vt fuit Papa vester? Gratias ago. Minus ne? hic habetis Archidiaconum Pelagium, & manus mea erit vobiscum. Responderunt omnes. Imperet Deus pietati tuæ: restitue nobis modo Vigilium, & quando eum voluerit Deus transire de hoc sæculo, tunc vestra præceptione nobis donetur Pelagius Archidiaconus noster. Tunc dimisit omnes cum Vigilio. Venerunt itaque in Siciliam in ciuitatem Syracusas, vbi Vigilius afflictus, calculi dolorem habens, mortuus est: Cuius corpus ductum Romam, sepultum est ad Sanctum Marcellum via Salaria. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, Presbyteros 46. Diacones 16. Episcopos per diuersa loca 81. Et cessauit Episcopatus menses tres, dies 5.

Scripsit Epistolas XV. *Primam*, ad Eutherium diuersis eius consultationibus respondens. II. ad Cæsarium Arelatensem, qui Siluerium antecessorem ipsius consuluit, de iniungenda pœnitentia Regi Theodoberto ob incestuosas nuptias contractas. III. ad Iustinianum Imperatorem, dum coram illo, legitime post obitum Silueri j electo, fidem professus esset: qua epistola damnat omnes hæreticos, & in Anthimum, eiusque collegas, anathematis sententiam torquet. IV. ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum, vt hæreticis damnatis Sanctas quatuor vniuersales Synodos amplectatur, & ab hæresi resipiscentes recipiat. V. Ad Auxaniũ Arelatensem Episcopum, cui pallium post obitum Cæsarij petenti concedit. VI. Ad eundem, cui vicariam Sedis Apostolicæ præfecturam in Gallia delegat: eumque ad orandum pro salute Imperj, & Regni admonet. VII. Ad eundem, de cognoscenda causa Prætestati Episcopi. VIII. Ad Episcopos Galliæ Arelatensi subiectos, vt peregrinaturi ab eo formatas literas accipiant, eidemque omnes obtemperent. IX. Ad Aurelianum Arelatensem, cui post obitum Auxanij vices suas in Gallia delegat. X. Ad Episcopos Galliæ, quibus nunciat, se Aureliano vices suas in Gallia delegasse: mandatque eidem obtemperare. XI. Ad Valentinum Episcopum de Tomis prouinciæ Scytiæ, nuncians quæ Constantinopoli de tribus Capitulis acta fuerint. XII. Ad Aurelianum Episcopum Arelatensem. Nihil contra quatuor generalia Concilia, & Romanorum Pontificum decreta a se fuisse admissum. Hortatur ad eos fugiendos, qui dissensiones excitabant, & ad Francorum Regem rogandum, vt Gothorum Regi scribat, ne quid contra Romanam Ecclesiam admitti patiatur. XIII. Ad Rusticum, & Sebastianum Diaconos Ecclesiæ Romanæ, quos excommunicat, & deponit ab omni gradu, & ordine, quod Schisma conflantes, cum aliis Clericis exagitarent eum. XIV. Ad vniuersam Ecclesiam, significando vniuerso populo Dei, quæ Constaninopoli egerit. XV. Ad Euthychium: commendat eius fidem, & annuit, vt de tribus Capitulis in Concilio agatur.

Cum Schismatici scriptis literis, vbique vulgassent Vigilium Papam tria damnando capitula impugnare Chalcedonense Concilium, plures Episcopi scripserunt ad Papam, quærentes, an quæ spargerentur, vera essent. Hac occasione inter alios rescripsit Arelatẽsi, se vestigijs maiorũ inhærentem, quatuor sacrosancta Concilia probare, & venerari.

Denique scripsit Constitutum de tribus Capitulis, seu Tractatum decretorium, ex quo cunctis Christi fidelibus palam fieret, quomodo refutauerit errores Nestorii, & Theodori Mopsuestensis, ab impiis per Iustinianum Imperatorem ad credendum doloso astu propositos, in destructionem Concilii Calcedonensis. *Vide Baron. An. 553. num. 47.*

Primum Concilium sub Vigilio Papa, Aurelianense III.

An. Domini 540. Qui est Vigilij Papæ primus, & Childeberti Regis Francorum 26.

Viginti quinque Episcoporum, qui vetera Statuta renouando, quæ per longum tempus obseruatione cessante fuerant intermissa, & noua pro causarum, vel temporum conditione addendo 32. Canones conscripserunt; præsidente Lupo Ecclesiæ Lugdunensis Metropolitano.

Secun-

Secundum Concilium Barcinononse.

Episcoporum Hispaniæ septem, qui similiter decem constitutionibus intermissam Ecclesiasticam disciplinam innouarunt; præcipue Monachis precipientes ea obseruare, quod Synodus Chalcedonensis de eorum vita, habitu, regula, cultu, & castitate seruare instituit.

Tertium Concilium Byzacenum in Affrica:

Ex quo missa est legatio ad Iustinianum Imperatorem, vt apparet ex rescripto eiusdem Imperatotis ad Concilium reddito. Extatque ipsum rescriptum Iustiniani, *in Collect. Iuliani prope finem. & apud Baron. an.* 541. *n.* 10. *An. Dom.* 541.

Quartum Concilium Aruernense.

Quindecim Episcoporũ 15. capitulis constans. Sed referuntur ex quodam vetusto codice, & alia decreta plurima eiusdem Synodi, quæ in decreto Gratiani non habentur, ad refotmandam disciplinam Ecclesiæ, necessaria: presertim aduersus eos qui bona Ecclesiæ, vsui pauperũ inseruientia, à Regibus sacrilegis extorquebant. *An.* 548.

Quintum Concilium Aurelianense IV.

Triginta octo Capitula conscripsit de his, quæ secundum Ecclesiasticam ordinationem regulati conueniunt discipinæ. Præcipuè autem aduersus temeritatem Imperatoris Iustinian, pro arbitrio Sacra miscentis; qui suo edicto ieiunium quadragesimæ vna hebdomada auxerat, & de Paschatis tempore sanctionem iniquam promulgarat. Subscripserunt Episcopi 23. quorum omnium ferè nomina habentur subscripta in Concilio Aurelianensi III. *An.* 543. *tempore Childeberti Regis Vigilij anno 6. Iustiniani* 19.

Quintum Concilium Constantiuopolitanum,

Triginta Episcoporum, in quo Vigilius Papa decreuit, sententiam de trium Capitulorum damnatione, vsque ad vniuersale, & Oecumenicum Concilium suspendendam esse. *Anno* 547.

Sextum Concilium Mopsuestenum

Nouem Episcoporum, aduersus Theodorum Mopsuestenum Episcopum, ante centum annos defunctum, eiusque defensores. Acta huius Synodi, cum quadam epistola Synodica ad Vigilium scripta, extant in Quinto Concilio Oecumenico Constantinopolitano Collat. & act. 5.

Sepcimum Concilium Aurelianense V.

Quinquaginta Episcoporum, in quo 23. Capitula conscripta sunt, recapitulationem antiquorum Canonum in se continentia. Quorum primo damnantur hæreses Nestorij, & Eutychetis; quas etiam Sedes Apostolica iamdudum condemnauerat. *An. Dom.* 552. *Pontificatus Vigilij* 13. *Childoberti Regis Fräcorum Anno* 38

Octauum Concilium Constantinopolitanum. Vniuersale seu Oecumenicum Quintum, & approbatum.

In quo centum sexagintaquinque Episcopi, Theodorum Mopsuestenum quondam Episcopum, epistolam Ibæ, & scripta Theodoreti Cyrensis aduersus Cyrillum (quæ sunt tria illa Capitula damnationis, quorum gratia hæc Synodus congregata fuit) & Origenem cum suis erroribus, & sectariis Origenistis condemnarunt. Anno post natum Christum Saluatorem 553. Aduersus Orthodoxam etenim fidem, quam varijs laborantem procellis Chalcedonense Concilium prouidentissimis decretis, velut anchoris, tranquilla pace fundauerat, haud multo post non rursum exorta rempestas eosdem fluctus, hoc est, Eutychianos ac Nestorianos, sed & exoletos iam errores Origenis excitauit, magniq; per omnem Ecclesiam motus insurrexerant. Eutychianusq; furor tres Orientis Patriarchatus, Alexandrinum, Antiochenum, atque Constantinopolitanum, occupauerat: Nestorianam hæresim souebant libelli quidam à tribus auctoribus editi, Theodoro Mopsuestiæ Episcopo, (cuius opuscula hæretici euulgarunt, non Græco solum idiomate, sed Syrorum etiam, Armeniorum, atque Persarum) Theodoreto Cyrensi EPiscopo, & Iba Edessenæ ciuitatis Episcopo. Origenis verò errores ex eius voluminibus collectos, sparserant duo Monachi (Nonnus & Leontius Byzantinus) in omnem Orientem.

Quæ omnia licet iam fuerint antea condemnata ab Ecclesia, & Iustinianus Impera-

perator coercuerat seuerissimo edicto, nihilominus Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus iterum cum suis asseclis innouauit: magnasq; altercationes, & contentiones excitarunt hæc tria Capitula, de libris Theodori Mopsuesteni, de anathematismis Theodoreti, & de Ibæ epistola. Ea namque probabantur à multis, à plerisque vicissim vt impia reijciebantur: auctoritate igitur Vigilij Papæ, & Iustiniani Imperatoris hortatu, ea capitula ad Oecumenici Concilij disquisitionem deducta sunt, sicut & Acephalorum & Origenistarum causa; quos ne vllo loco consistere paterentur Episcopi, ipsorummet Episcoporum frequentissimo Senatu illos condemnari par erat. Definitumque statim (quod tunc inter plurimos controuersum erat) hæreticos etiam post mortem ab Ecclesia posse damnari.

Hanc porro Quintam Synodum grauissimis sententijs approbauerunt Romani Pontifices, primum Vigilius, cuius auctoritate celebrata fuit; deinde Pelagius, qui insignem epistolam, in eius defensionem scripsit; tum S. Gregorius Magnus, Nicolaus primus, Leo Nonus, ceterique. Synodi quoque Oecumenicæ, Sexta & Septima, & reliquæ. Illam tamen Apostolica auctoritate confirmatam, Iustiniani etiam Imperatoris armatam præsidijs, non veriti sunt plerique varijs incessere calumnijs, quod à Chalcedonensi Synodo dissensisset; quod innoxios aliquot Episcopos, etiam vita functos, vexasset immerito; quod tria capitula longo vsu recepta sustulisset. Itaque tam late hoc malum disseminatum fuit, vt non modo aliquot Episcopi seorsim illam repudiarent, sed etiam priuata quædam Synodus, ex Istriæ Liguriæ, Venetiarum, aliarumque Italiæ Vrbium Episcopis; atque in primis Paulinus Aquileiensis, & Honoratus Mediolanensis ausi fuerint eam Synodum decretis publicis execrari, non modo inconsulto Romano Pontifice, sed etiam palam aduersante. Quare coactus fuit Pelagius agere cum Narsete Patricio, & totius Italiæ moderatore, vt tam perditam hominum peruicaciam Principis auctoritate compesceret. Paulinum verò & Honoratum nefarij schismatis auctores militum custodiæ traditos Constantinopolim mitteret. Ea res plus adhuc excitauit incendij, donec postea beatorum Pontificum Gregorij & Sergij sanctissimis monitis atque discretis ita sedata res est, vt quintam Synodum qui reijciebant Episcopi venerarentur.

An. Dom. 553. Acta huius Concilij summatim describuntur Actione prima Concilij Niceni II.

Nonum Concilium sub Pontificatu Vigilij Hierosolymitanum.

In quo quinta Oecumenica Synodus approbata fuit, ab omnibus Palæstinorum Episcopis. Nisi quod Alexander Episcopus Abyles contrarium sensit: quamobrem Episcopatu exutus, Byzantium se recepit, & terræmotu absorptus est, & defossus. *Baron. an. 553. num. 248.*

An. Dom. 553.

Decimum Concilium Aquiliense.

Contra Quintam Synodum coactum. Cum enim Occidentales Episcopi audissent damnationem trium Capitulorum in Synodo Constantinopolitana, interpretabantur id factum esse in odium Chalcedonensis Concilij, statim illam respuendam esse decreuerunt, seque ab Vnione Ecclesiæ Catholicæ segregarunt, atque in eodem schismate vsque ad tempora Sergij Papæ per annos ferè centum perseuerarunt. *Beda lib. de sex ætatibus.*

LIBER



LIBER IX.



CVM debellatis per Narsetem Francis, Alemanis verò lue consumptis, & Gothis in deditionem acceptis, aliquantulum à bellis Italia quieuisset, mox Ecclesiasticum bellum, iam ante quidem ortum, in motus maiores, & schisma Occidentalium Episcoporum prorupit, eo quod Vigilius Quintam Generalem Synodum Constantinopolitanam, prædicta Superius Tria Capitula condemnantem approbauisset. Magis autem, quod Pelagius Vigilio succedens eam recepisset. Tum quod ingenti temeritate & audacia Principes, suos limites transilire, & ad ea quæ ipsis concessa non essent, manus admouere non dubitarint. Quibus incommodis accesserunt hæreticorum, & schismaticorum aduersus Ecclesiam Catholicam machinationes, & doli, ac vexationes assiduæ, vt in processu patebit, atque statim in vita ipsius Pelagij.

PELAGIVS I.

Natione Romanus, ex patre Ioanne Vicariano, sedit annos quatuor, menses decem, dies 18. Et dum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, inuenti sunt duo Episcopi, Ioannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & Andreas presbyter de Ostia, & ordinauerunt eum Pontificem. Tunc enim non erant in clero, qui eum possent promouere. Et multitudo religiosorum, sapientum, & nobilium, subduxerant se à communione eius, dicentes, quia in morte Vigilij Papæ se immiscuit, vt tantis pœnis affligeretur. Eodem tempore Narses & Pelagius Papa, consilio inito, data Litania, à sancto Pancratio, cum hymnis, & canticis spiritalibus, venerunt ad Sanctum Apostolum Petrum. Qui Pelagius tenens Euangelia, & Crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendit. Et sic satisfecit cuncto populo, & plebi, quod nullum malum peregisset contra Vigilium. Item adiecit Pelagius Papa, & dixit, Peto, vt petitionem meam confirmetis, vt si quis ille est, qui promouendus est in sancta Ecclesia, ab Ostiario vsque ad gradum Episcopatus, neq; per aurum, neque per aliquas promissiones proficiat: (vos enim omnes scitis, quia hoc Simoniacum est) sed si quis ille est doctus in opere Dei, bonam vitam habens, non per dationem, sed per bonam conuersationem, iubemus eum vsque ad primum gradum venire. Eodem tempore Ecclesiæ rebus præfecit Valentinum notarium suum timentem Deum, & restitui fecit omnia vasa aurea, & argentea, & pallia per omnes Ecclesias. Eodem tempore initiata est Basilica Apostolorum Philippi, & Iacobi, quæ dum initiaretur fabricari mortuus est, & sepultus in basilica B. Petri Apostoli quarto Nonas Martias. Hic fecit ordinationes duas, per mensem Decembrem, presbyteros 26. Diaconos 9. Episcopos 49. Et cessauit Episcopatus menses tres dies 23.

An. Dom. 555. Iustiniani 29. Pelagius Archidiaconus creatus est Pontifex in ordine. 60. Qui ad imminentem iacturam Catholicæ fidei, vel ignominiam Calcedonensis Concilij, euitandam Quintam Synodum Generalē Constantinopolitanā approbauit, quo ita Occidentales Episcopos offendit, vt non potuerit sufficientes reperire Antistites, à quibus secundū constitutionem Apostolicàm ordinaretur. adeoq; necessum fuerit iussu Pelagij, Presbyterum Ostiensem quod nunquam antea acciderat loco Episcopi munus illud obire.

Scripsit epistolas XVI. *Primam Encyclicam* ad vniuersum populum Dei, de fide Catholica, *Quatuor ad* Childebertum Regem Francorum similiter de fide Catholica, cuius professionem litteris adnexuit, Sapaudumque ei Arelatensem Episcopum commendauit. *Quinque* ad Sapaudum, cui vices suas delegauit, palliumque illi impertiuit. *Quatuor* ad Narsetem Patricium, vt auxilium præstet ad Episco-

pos Ecclesiæ perturbatores corrigendos, Schiſmaticosq; à quibus fuerat iniustè communione interdictus reprimat: & Aquilienſem Mediolanenſemq; Epiſcopos ad Principem ſub custodia dirigat. *Decimamquintam* ad Vigilium Epiſcopum. *Et vltimam* ad Epiſcopos Tuſciæ, qua ipſos ob ſchiſma reprehendit.

Concilium ſub Pelagio tantum vnicum celebratum eſt, Pariſienſe II.

In cauſa Saphoraci Pariſienſis Epiſcopi, qui de grauiſſimo crimine accuſatus, propriaque confeſſione conuictus, iure merito ſecundum ſacrorum Canonum conſtitutiones, Epiſcopatu amotus, in monaſterium detruditur, atque in eius locum, teſte Aimoino, Euſebius ſurrogatur. Viginti quinque huic Synodo Epiſcopi intererant vt ex ſubſcriptionibus patet.

A. D. 561. 2. Iulij. Hic conſtituit, nullũ dici debere Summum Sacerdotem aut vniuerſalem Epiſcopum Diſt. 99. Nullus.

IOANNES III.

Natione Romanus, de patre Anaſtaſio illuſtri, ſedit annos tredecim, & dies duodecim. Hic ampliauit, & reſtaurauit cœmeteria ſanctorum Martyrum: conſtituitq: vt oblationes, & amulæ, vel luminaria in eadem cœmeteria per omnes dominicas de Lateranis miniſtrarentur. Hic perfecit Eccleſiam Sanctorum Philippi, & Iacobi, & dedicauit eam. Eodem tempore Heruli in Tuſciam exierunt, & leuauerunt ſibi Regem Sindual, & premebant cunctam Italiam. At egreſſus Narſes ad eum, interfecit Regem, & omnem gentem Herulorum ſibi ſubiugauit. Deinde venit Amingus Dux Francorum; & Bucellinus, & ſimili modo ipſi premebant Italiam: Sed auxiliante Domino, & ipſi à Narſete interfecti ſunt. Erat ergo tota Italia gaudens. Tunc aliqui Romani inuidia ducti, ſuggeſſerunt Iuſtino & Sophiæ, quia magis expediret Romanos Gothis ſeruire, quam Græcis, vbi Narſes Eunuchus imperat, & ſeruitio nos ſubijcit, & pijſſimus Imperator hæc ignorat Aut libera nos de manu eius & ciuitatem Romanam, aut certè gentibus deſeruiemus. Quo audito Narſes dixit, ſi male feci Romanis, malè inueniam. Tunc egreſſus Narſes de Roma, venit in Campaniam, & ſcripſit genti Longobardorum, vt venirent & poſſiderent Italiam. Vt cognouit Ioannes Papa, quia ſuggeſtionem ſuam ad Imperatorem contra Narſetem miſiſſent, feſtinus venit Neapolim, cœpitq; eum rogare, vt reuerteretur Romam. Tunc Narſes dixit ei: dic ſanctiſſime Papa, quid mali feci Romanis? Vadam ad pedes eius qui me miſit, & cognoſcat omnis Italia, quomodo totis viribus laboraui pro ea. Reſpondit Ioannes Papa dicens. Citius ego vadam, quam tu de hac terra egreſſus fueris. Reuerſus eſt ergo Narſes cum Ioanne Sanctiſſimo papa. Tunc Sanctiſſimus Papa retinuit ſe in cœmeterio Sanctorum Tiburtij & Valeriani, & habitauit ibi multum temporis, vt etiam Epiſcopos ibi conſecraret. Narſes vero ingreſſus Romam, poſt non multum temporis mortuus eſt. Cuius corpus poſitum eſt in locello plumbeo, & reductum eſt cum omnibus diuitiis eius Conſtantinopolim. Eodem tempore Ioannes Papa, & ipſe mortuus eſt, & ſepultus in Baſilica Beati Petri Apoſtoli, tertio Idus Iulias. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros 38. Diacones 13. Epiſcopos 61. Et ceſſauit Epiſcopatus menſes 10. dies 3.

Vnicam eius nomine epiſtolam ſcriptam exſtare dicunt, qua ſolos Epiſcopos eſſe miniſtros Sacramenti confirmationis, ſeu manuum impoſitionis, docet, monetquè quanta cura atque ſolicitudo illi ſubeunda ſit: qui gregem Chriſti paſcat.

Anno Dom. 563. ſub Childeberto Rege Francorum.

Primum Concilium ſub Ioanne Papa III. Pariſienſe III.

A quindecim Epiſcopis celebratum, in quo conſtituti fuerunt Canones nouem virtute pollentes, quibus Regum, eorumque miniſtrorum temeritatem repreſſerunt; cum inter Childebertum atque Clotharium Francorum Reges, fratres germanos ob diuiſionem bonorum ingens ciuile bellum exortum fuiſſet, & in res Eccleſiæ manus hoſtiles inijcerentur, atque iura & beneficia Eccleſię à Regibus obtinerent illi, qui ea ab Epiſcopis impetrare non poterant.

Secundum Concilium Bracarenſe I.

Vbi damnati Gnoſtici; Samoſateni, Photini, Manichæi, Martionitæ, & Priſcillianiſtæ. Tunc quoque placuit vnum atque eumdem pſallendi modum, & ordinem in Matutinis, & Veſpertinis officiis tenere, eaſdemque lectiones per vigilias ſancto-

ſanctorum legere, eodem ordine Miſſas celebrare, aliaq; multa externa (pro circumſtantiarum conſideratione) innouare, conſtitutionibus ſuper hac re 40. æditis *Iſid. t. 1. Concil.*

Tertium Concilium Santonenſe.

In quo Emerius Santonenſis Epiſcopus à Clothario Rege in Sedem intruſus, deponitur à Leontio Burdegalenſi Epiſcopo, qui collecto collegarum ſuorum conciliò, ſede eum priuauit, quod nuper Concilio Pariſienſi tertio conſtitutum fuiſſet, ad Epiſcopatum admittendum eſse, non quem Regis auctoritas abſque Canonica electione intruſiſſet, ſed quem Clerus elegiſſet, & Epiſcopi prouinciales, vna cum Metropolitano probaſſent. Quod cum Regi nunciatum eſſet, ira fremens nuntium presbyterum à ſuis conſpectibus extrahi iuſſit, & plauſtro ſpinis ſuppleto imponi deſuper, & in exilium protrudi præcepit. Conuocatoque aliorum religioſorum conuentu, Emerium vi iterum intruſit, Rem prolixius deſcribit, *Greg. Turonen. lib. 4. cap. 26.* *An. Christi 566.*

Quartum Concilium ſub Ioanne III. Lucenſe.

A Theodomiro Principe habitum, in quo Regni Gallicæ Eccleſiis Cathedralibus, ad petitionem Principis, ſui cuique fines aſſignati ſunt, quos ne excederent, ſedeſque Lucenſis declarata eſt Metropolitana, ſicut & Bracara. *Vide Ioan. Vaſæum Chron. Hiſp. tomo poſteriori, Anno 564. & notas Garſiæ in Concil. apud Lucum celebratum.*

Quintum Concilium tempore Ioannis Papæ, Turonenſe II.

In cauſa Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformandæ celebratum, Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti 570. Chariberti vero Regis Galliç 6. in quo octo tantum Epiſcopi, viginti octo Canones ante hac conſtitutos, ſtabili firmitate corroborarunt.

Sextum Coucilium, Lugdunenſe I.

In quo quatuordecim Epiſcopi congregati, ſex duntaxat Canones ſtatuerunt, quibus Eccleſiaſticæ paci atque indemnitati conſultum fuit. *Anno 570. Gunthe-ramni Regis 6.*

Septimum Concilium Bracarenſe II.

Sub Ariamiro Sueuorum Rege, poſt obitum Ioannis III. tempore interregni Pontificij celebratum: in quo ſtatuti ſunt Canones decem, ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentes. Quos inter, poſitus eſt vnus præcipiens gratis ordines eſſe conferendos, vt ab Apoſtolis inſtitutum, ne Spiritui Sancto contumelia irrogetur dum eius donum pretio temporali æſtimatur, & traditur, Tum quoque vt Chriſma gratis detur. *Anno 577.*

Vltimum Concilium Lucenſe II.

Anno Domini 572. celebratum poſt obitum Ioannis III. tempore interregni Pontificij; anno ſecundo Ariamiri Regis, in quo Capitula ex Orientalium Synodis, à S. Martino Dumienſis Monaſterij Abbate, & poſtea Epiſcopo Bracarenſi ordinata atque collecta, ad vtilitatem Eccleſiarum Hiſpaniæ, propoſita, & prudenter accommodata fuerunt. Quæ à Doctoribus Eccleſiæ Speciali vocabulo vocantur. *Liber capitulorum Martini. Gratian. Ca. Propter Eccleſiaſt. diſt. 18.*

BENEDICTVS I.

Natione Romanus, ex patre Bonifacio, ſedit annos 4. menſem vnum, dies 28, Eiuſdem tempore gens Longobardorum inuaſit totam Italiam ſimulq; & fames nimia, vt etiam multitudo caſtrorum ſe traderet Longobardis, vt temperare poſſet inopiam famis. Quod dum cognouiſſet Iuſtinus pijſſimus Imperator, quia Roma periclitaretur fame, & mortalitate, miſit in Aegyptum, & onerauit naues frumento, & tranſtulit Romam. Et ſic miſertus eſt Deus Italiæ. In iſtis laboribus, & afflictionibus poſitus Sanctiſſimus Benedictus Papa, mortuus eſt. Qui ſepultus eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli in ſecretario, pridie Kal. Aug. hic fecit ordinationem vnam per menſem Decembrem, presbyteros 15; Diacones tres, Epiſcopos per diuerſa loca 21. Et ceſſauit Epiſcopatus menſes tres, dies decem.

A. D. 596. 16. Maij Tiberij Imp. II. Longobardi idolorum cultores Eccleſiam dira perſecutione vexarunt; loca ſacra effoſſis 85. martyrũ ſepulchris profanarũt ædificia in ſuburbijs Romæ diruerunt.

Scripſit vnicam Epiſtolam Decretalem, qua probat ex ſacris litteris ſummam Trinitatem vnitatem eſſe.

Anno Christi 578.

Concilium quoque vnicum sub eius Pontificatu celebratum est, Parisiense IV. Cura Guntherāni Regis congregatum, vt scilicet per Sanctissimos Episcopos bellum Galliæ ciuile, componi posset. Chilpericus siquidem frater illius tum temporis de imperio certans multas clades in populo fecerat per Theodobertum filium suum: fuitq; ea de causa, inquit Greg. Turonensis, prior illo tempore in Ecclesiis gemitus, quam tempore persecutoris Diocletiani.

An: 577. 11 Nouem. Et quia occidentalis Ecclesia eo tēpore, propter quintam Synodum à Sede Apostolica approbatam, diro Schismate vsque ad Hibernos diuisa erat ideo his consulturus Pontifex hic aduersus Schismaticos librum edidit pro quinta Synodo monstrans eis tria Capitula immerito condemnata esse.

PELAGIVS II.

Natione Romanus ex patre Vinigildo gentis Gothorum, sedit annos 12. menses 2. & dies 27. Hic ordinatur absque iussione Principis, eo quod Longobardi obsiderent ciuitatem Romanam, & multa vastatio ab eis in Italia fieret. Eodem tempore tantæ pluuiæ fuerunt, vt omnes dicerent, quia aquę diluuiæ superinundarent. Et talis clades fuit, qualem à sæculo nullus meminit fuisse. Eodem tempore inuestiuit corpus B. Petri Apostoli tabulis argenteis deauratis. Hic domum suam Xenodochium fecit pauperum senum. Hic fecit cœmeterium B. Hermetis martyris. Etiam fecit supra corpus B. Laurentij martyris Basilicam à fundamento constructam, & tabulis argenteis exornauit sepulchrum eius. Qui mortuus sepultus est ad B. Petrum Apostolum, sexto Idus Febr. HIc fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, Presbyteros 82. Diacones 8. Episcopos per diuersa loca numero 48. Et cessauit Episcopatus menses 6. dies 26.

Scripsit epistolas Decretales decem. *Duas ad Benignum Archiepiscopum*; reprobans Episcoporum de vna ad aliam Ecclasiam transitus, Ecclesię vtilitate id non expostulante. *Vnam*, ad Sanctum Gregorium tum temporis Diaconum Constantinopoli agentem, vt sibi ab Imperatore auxilium contra Longobardos impetret. *Vnam* ad Auxenium, *Vnam* ad Episcopos per Italię prouincias habitantes quibus Laici bona Eclesiarum bello Longobardorum flagrante violenter adimebant. *Tres* ad Eliam primatem & vniuersos Episcopos Istrię, qui nolebat trium Capitulorum damnationem in quinta Synodo Oecumenica factam approbare, & ratam habere. *Item vnam* ad vniuersos Germaniarum, ac Galliarum Episcopos, quibus nouem præfationes inter Missarum solemnia decantandas in Ecclesia Romana esse significat *Denique vnam* ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, qui vniuersalis Episcopi nomen sibi vindicabat, qua de causa generalem Synodum conuocauerat; cuius Synodus acta vniuersa cassauit, & reprobauit, præterquam absolutionem Gregorij Antiocheni Episcopi.

Pręter has decem epistolas, sunt multa alia Decreta huius Pontificis apud Gratianum, quæ vide in corpore Iuris.

Primum Concilium sub Pelagio II. celebratum Parisiense V.

An. Dom. 580. Iu causa Prętextati Rhotomagensis Episcopi, cum Moroueus maior natu Chilperici Regis Francorum filius, Brunichildem Sigeberti Regis, ac patrui sui relictam vxorem sibi in matrimonium copulasset, Chilpericusq; Rex filio iratus Ptætextatum insimulasset, quasi is cum filio rebelli & incæstuoso contra illum rebellasset. Accusatus igitur in Concilio de obiectis calumniis se plene purgauit, sed dolo Regis inductus, vt se reum profiteretur, & peteret veniam, quam Rex sua clementia daturus esset, damnatus iuxta propriam confessionem, & in exilium actus est, instigante in eum Fredegundi Regina. *Acta Concilij extant apud Greg. Turon. lib. 5 Hist. Franc. capite decimo octauo.*

Secundum Concilium Cabilonense I.

An. Dom. 582. In causa Sagittarii, & Salonis Episcoporum, non solum de adulteriis, rerum etiam de homicidiis accusatorum. Quibus etiam obiectum fuit, quod rei maiestatis, & patriæ proditores essent. Qua de causa ab Episcopatu dejecti, in Basilicam B. Marcelli sub custodia detruduntur: ex qua per fugam elapsi discesserunt per diuersa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alii subrogati sunt. *Baron. 582. numero 9.*

Tertium Concilium Matisconense I.

An. Dom. 582. Hortatu Gutheramni Regis ab Episcopis viginti celebratum, ad mores Ecclesiæ refor-

reformandos ac præcipuè Iudæorum petulantiam coercendam. Cuius rei causa Canones viginti constituerunt, præside Prisco Episcopo Lugdunensi.

Quartum Concilium Brennacense. An. 583.

In causa Gregorij Turonensis Episcopi celebratum, qui à Leudaste Præfecto Turonensi apud Chilpericum Regem accusatus calumniatusque falsis testibus inductis, facto Patrum conuentu in Villa Brennaro, vbi sub custodia asseruabatur, dum se per iuramentum debite purgasset, reconciliatus est Regi Chilperico: Calumniatores autem castigati.

Quintum Concilium Constantinopolitanum. An. Dom. 587.

In causa Gregorij Antiocheni Episcopi celebratum: qui inuidia Præfectorum, & totius populi, accusabatur, inquit Euagrius, cum propria sorore, alteri viro in matrimonium data, rem habuisse; prosperumq; ciuitatis statum, non semel, sed sæpius labefactasse. De quo crimine cum se purgasset, & ad Concilium prouocasset, profectus est Constantinopolim, vt ibidem se purgaret: quod & obtinuit feliciter absolutus à calumnia accusatorum. Euagr. lib. 6. cap. 7.

Sextum Concilium sub Pelagio II. Lugdunense II. An. Dom. 587.

Ad disciplinam Ecclesiæ reformandam congregatum, in quo nouem Episcopi anteriorum Conciliorum constitutiones, scriptis sex Canonibus confirmarunt, & scripserunt; admissis aliorum Episcoporum approbationibus per vicarios eorum.

Septimum Concilium Matisconense II. An. Dom. 588.

A quadraginta duobus Episcopis celebratum, ad reformandos mores Christianorum, qui bellis ciuilibus corrupti fuerant, præsidente Prisco Ecclesiæ Lugdunensis Metropolitano, viro Sanctissimo. Gunteramnus siquidem Rex infeliciter contra Gothos pugnans, omnem fontem malorum in Episcopos conijcebat, quod illi Euangelicis doctrinis populum pro suo officio non instruerent; atque ita Dei vindicis iram in se prouocarent. Itaque ad mores Ecclesiæ reformandos statuerunt Canones 20. & subscripserunt Rexq; Gunteramnus hanc sanctionem eorum ad omnes iudices transmisit, vt sint auxilio Episcopis in proteruos, ipsosq; Episcopos hortatus est, vt verbi diuini prædicationi inuigilare imprimis studeant, suumq; officium non per vicarios, sed per se ipsos expleant.

Octauum Concilium sub Pelagio II. Valentinum Galliæ II. Anno Domini 589. 10 Kal. Iunij.

A septemdecim Episcopis celebratum ad instantiam Gunteramni Regis, vt nimirum donationes ab eo factæ ad pias causas & in vsus pauperum, immunitatibus Ecclesiasticis adscriberentur.

Nonum Concilium Toletanum III.

In quo Gothi in Hispania abiurata Arianæ hæreseos perfidia Orthodoxam fidem professi sunt, & subscripserunt, tam Episcopi omnes, quam ipse Rex Recaredus, cum Badda Regina vxore sua, totoq; Senatu, & Senioribus Gothicæ Gentis Constitueruntq; Canones 23. pro conseruatione disciplinæ Ecclesiasticæ. Quod totum deinde Rex pijssimus edicto suo firmauit; laudauit vero Homilia sua S. Leander Episcopus Hispalensis. Gens enim Gothica hac impietate Ariana infecta per annos ducentos & tredecim in ea durauit.

Decimum Concilium Romanum.

In quo Pelagius Ecclesiastica statuta, Sanctorumque Apostolorum atque illis succedentium Sanctorum Patrum traditiones reuidit: Germaniæq; Episcoporum legationem audiuit, adq; eorum postulata respondit.

Vndecimum Concilium Narbonense.

In quo octo Episcopi Galliæ Narbonensis sub Reccaredo Rege Suæuorum Anno Domini 589. congregati 16. Canones pro reformanda Ecclesiæ disciplina conscripserunt.

GREGORIVS I.

Natione Romanus, de patre Gordiano. Sedit annos 13. menses sex, dies decem. Hic exposuit homilias Euangeliorum num. 40. in Iob 35. in Ezechiel 22. Pastoralem quoque, & Dialogorum lib. 4. edidit, & multa

An. Dom. 594. S. Greg. atauum habuit Papam Felicē III. Matrem Siluiam inter Sanctos

velatam Patris Sorores Tarsillam, & Aemilianam virgines Deo dicatas. Ipse ex Prefecto vrbis factus Monachus; Et cum vndique viri sanctissimi de suscepto Pontificatus onere illi gratularentur, redditis litteris suae conditionis miseriam deplorauit. Anno 590. in ordine Pontifex 64.

ta alia, quæ in libris eius leguntur. Eodem tempore venit Romanus Patritius, & Exarchus Romam, & dum reuerteretur Rauennam, retinuit ciuitates quæ à Longobardis tenebantur, id est Sutrium, Polimartium, Hortas Tuder, Ameriam, Perusiam, Luciolis, & alias multas. Eodem tempore beatissimus Gregorius; misit seruos Dei, Mellitum: Augustinum, & Ioannem, & alios plures cum eis monachos timentes Deum, in prædicationem ad gentem Anglorum, vt eos conuerterent ad Dominum Iesum Christum. Hic augmentauit precationem canonis, Diesque nostros in tua pace disponas &c, Hic fecit ad Beatum Petrum Apostolum super altare ciborium cum columnis quatuor ex argento puro. Hic præcepit, vt super B. Petri Apostoli, & Pauli corpora Missa celebraretur. Eodem tempore dedicauit Ecclesiam Gotthorum, quæ fuit in Suburra, in nomine Sanctæ Agathæ martyris. Hic domum suam constituit monasterium. Qui mortuus sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli ante secretarium, 12. mensis Martii. Hic fecit ordinationes duas, vnam in quadragesima, & aliam in mense septimo. Presbyteros 39. Diacones 5. Episcopos per diuersa loca 42. Et cessauit Episcopatus menses quinque dies 13.

Scripsit ad Mauritium Imperatorem, confirmationem electionis suæ illi dissuadens, sed nil efficere valuit, latibulaque quærens, diuino iudicio inuenitur, trahitur, & ad B. Apostoli Petri Basilicam deductus, sententia Imperatoris confirmatur & tertio Nonas Septemb. consecratur.

Scripsit quoque more maiorum de sua fide Synodicam Epistolam ad Orientalis Ecclesiæ Patriarchas, & ad vniuersi orbis Episcopos hortatorias: quibus declarat se illius successorem esse, cui vniuersi gregis cura pastoralis demandata fuit.

Item scripsit litteras communicatorias Cyriaco Episcopo Constantinopolitano; quas ille per legatos petierat, succedens arroganti illi, & fastuoso antecessori suo Ioanni, qui se Patriarcham vniuesalem esse dicebat. *Sed vide indiculum Cardinalis Antonij Carafæ, qui post Epistolas Gregorij subiungitur.*

Anno Dom. 590.

Primum Concilium sub Gregorio Primo celebratum, Hispalense I.

Anno Reccaredis Regis quinto, vbi multa sanè pro reformatione disciplinæ Ecclesiasticæ decreta fuerunt, vt patet ex notis, & fragmentis Garsiæ Loaisæ, & Epistola Synodica ad Pegasium Episcopum Abigitanum missa; sed ipsum Concilium non extat integrum, vt, inquit, doctissimus vir Seuerinus Binius.

Secundum Concilium Romanum I.

Anno Dom. 593.

Ad petitionem Mauritii Augusti, pro vnione Schismaticorum omnium congregatum. Cum hac adiectione Imperatoris, vt nolentes venire, sedibus suis eiicerentur. Itaque imprimis citatus est Seuerus Aquileiensis cum suis sequacibus Schismaticis Episcopis, & recusans acceedere, iusto Dei iudicio ab hostibus Aquileia accensa, sede priuatus est: factusq; profugus, ad summam inopiam deductus fuit.

Anno Dom. 590.

Tertium Concilium Antisioderense.

Ab Vnachario Episcopo, cum nouem Abbatibus, & triginta duobus præsbyteris celebratum; in quo ad Ecclesiasticam disciplinam, & monasticam obseruantiam retinendam, sanciti reperiuntur 45. Canones: quorum nonnulli etsi in vsu esse desierint, antiquitatis tamen indices remanserunt.

Quartum Concilium Cæsaraugustanum II.

Cui præfuit Artemius Tatraconensis Metropolitanus, conuenientibus ex Hispaniæ prouinciis 13. Episcopis post extinctam hæresim Arianam, anno septimo gloriosissimi Reccaredi Regis. Vbi in subsidium bellicum, certæ pensiones de bonis Ecclesiasticis, decretæ fuerunt, Ecclesiasticaque disciplina post hæresim reformata.

Quintum Concilium Numidiæ.

A S. Gregorio reprobatum, quod plurima contra antiquos canones statuissent; *Vide eiusdem Epist. 7. lib. 3. ad Gennadium Exarchum.*

Sextum Concilium Pictauiense.

In causa duarum monialium Regiarum; vniuersam ferè Galliam commouentium, sub Gregorio Papa, & Childeberto Rege Francorum celebratum. Chrodieldis siquidem, filia Chariberti Regis, & Basina Chilperici filia; sub S. Radegunde

virginitatem & monaſtica inſtituta, ſub regula S. Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi profeſſæ, poſt obitum prædictæ Radegundis, extra clauſtra proruperant, tractiſq. ſecum quadraginta, & amplius virginibus, Reges Francorum adiuerant, conquerentes, quod ab Abbatiſſa malè tractarentur. Sed cum apud Reges nihil profeciſſent, Pictauos regreſſæ, cum armato ſatellitio nefariorum & perditorum hominum Baſilicam S. Hilarij inuaſerunt, indequeſceleſtiſſimos homines ad inuadendum monaſterium, & alligandam vinculis Abbatiſſam miſerunt. Qua de cauſa cum duplici Synodali ſententia, excommunicatæ fuiſſent, rurſum per ſuos armatos Monaſterium inuaſerunt, cæſiſque et fugatis Epiſcopis, Monachos plurimos occiderunt, atque Abbatiſſam planè denudatam à Monaſterio ſuo abſtraxerunt. Quę cùm Childebertus Rex audiuiſſet, legationem miſit ad Regē Guntheramnum, vt ſcilicèt Epiſcopi ex vtroque Regno coniuncti, hæc quæ gerebantur, Canonica ſanctione emendarent. Igitur iudicio inſtituto Abbatiſſa ſuo monaſterio reſtituitur. flagitioſæ verò, & rebelles virgines pœnis condignis puniuntur.

Vide de hac Synodo Greg. Turon. Hiſt. Franc. lib. .. & 10. Non niſi enim per multas factioſorum cædes hæc ſeditio cõpreſſa fuit.

Septimum Concilium Metenſe in Gallia.

Ann. D. 564.

In cauſa Ægidij Rhemenſis Epiſcopi celebratum, qui de crimine læſæ maieſtatis conuictus, & depoſitus fuit. Vbi etiam, & Baſina Chilperici Regis filia, quā ſuperiori Concilio à communione remotam vna cum alijs flagitioſis monialibus diximus, coram Epiſcopis ſolo proſtrata veniam petijt, promittens ſe cum charitate Abbatiſſæ monaſterium ingredi, ac de regula nihil tranſcendere.

Octauum Concilium Romanum II.

In cauſa Ioannis Presbyteri Eccleſię Chalcedonenſis, à Diuo Gregorio habitum, quem Ioannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus hęreſis inſimulatum, iniuſtè damnauerat. Retractato itaque Conſtantinopolitano ſynodali iudicio, quia innocens repertus eſſet, iuſtè abſolutus eſt, ſubſcribentibus cum Papa. 22. Epiſc. & multo pluribus presbyteris.

Nonum Concilium Toletanum.

Sedecim Epiſcoporum. 16. Kal. Iunias in Eccleſia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli congregatorum, qui priſcorum patrum ſequentes monita, omnibus modis obſeruandam eſſe caſtitatem Clericis præceperunt: aliaque plurima pro retinenda vetere Eccleſtiaſtica diſciplina, decreuerunt. *Ann. D. 597.*

Decimum Concilium Oſcenſe.

Quod ſimiliter de honeſtate Clericorum tractauit; interq. cætera ad bonum ordinem in Eccleſia Dei ſpectantia, ſtatuerunt Patres congregati, vt annuis vicibus quiſq. Epiſcopus Abbates conuocet, monaſteria viſitet, cunctoſq. tam presbyteros, quàm laicos, ſub Eccleſiaſticis regulis viuere præmoneat. *Ann. D. 598.*

Vndecimum Concilium Conſtantinopolitanum.

Ann. D. 599. Ioann. Conſtantinop. vniuerſalis Epiſcop. dici cupiens (is erat anteceſſor Cyriaci) à S. Greg. cum omnibus idem affectantibus præco Antichriſti nominatur.

A Cyriaco Epiſcopo diſciplinæ Eccleſiaſticæ innouandæ cauſa congregatum, quo S. Gregorius ad Euſebium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſcripſerat monens eos, qui ibi adunati fuerant, vt ſi Cyriacus Conſtantinopolitanus Epiſcopus de nomine Oecumenici Conſtantinopolitano Antiſtiti attribuendo, vel quid ſimile Canonibus contrarium decernendo attentaret, fortiter illi omnes reſiſtant. *S. Greg. lib. 7. Epiſt. 70.*

Duodecimum Concilium Barcinonenſe.

Ad extirpandam Simoniacam labem congregatum Anno Chriſti 596. qua de re quatuor Canones, Tarraconenſis prouinciæ Epiſcopi conſcripſerunt, & ſubſcripſerunt Patres numero duodecim.

Decimumtertium Concilium Romanum. III.

Ann. D. 601. Nonis Aprilis congregatis Epiſcop. 20.

In Eccleſia Lateranenſi celebratum, in quo S. Gregorius pro monachis conſtitutum edidit, ne videlicet à Præſulibus præiudicia, aut grauamina aliqua patiantur.

Decimumquartum Concilium Romanum IV.

A. D. 601. In causa Andreæ monachi Græci hominis, qui sub habitu religioso degens apud Basilicam S. Pauli, detectus impostor atque falsarius, atque ideo à Concilio damnatus, vt patet ex *S. Greg. lib. 9. Epist. 69.*

A. D. 602. *Decimumquintum Concilium Bizacenum.*

In causa Clementij Primatis Prouinciæ Bizacenæ in Africa celebratum, qui inter Longobardorum gladios sæpius versabatur, grauiumq. criminum apud Romanum Pontificem accusatus. *vide Greg. 35. lib. 10.*

Vltimum Concilium Numidiæ.

A. D. 602. Iussu S. Gregorij celebratum in causa Donadei Diaconi, & Paulini Regensis Episc. Quorum ille à Victore Episcopo iniustè degradatus, ad Sedē Apostolicam appellauit. Regensis vero Præsul à suis Clericis accusatus fuit, quod Simoniacis ordines Ecclesiasticos conferret. Comprouinciales Episcopi congregati, Diaconum reperientes innocentem Victorem Episcopum vna cum Regensi Antistite Canonica pœna vtrumque damnarunt. *S. Greg. 8. & 31. lib. 10.*

Anno 604. 1. Septembr.

Hic Papa campanarum vsum inuenit iussitq. vt ad horas Canonicas & missarum sacrificia pulsarentur in Eccles. Tum quoque lampades perpetuo in templo ardentes excogitauit Onuphr.

SABINIANVS. Natione Tuscus, de ciuitate Volaterra, ex Patre Bono, sedit mensibus quinq. & diebus 19. Eodem tempore fuit fames in ciuitate Romana grauis. Facta autem pace cum gente Longobardorum, iussit aperire horreum Ecclesiæ, & venundari frumentum populo per solidos triginta vnum tritici modium. Quo defuncto funus eius eiectum est per portam S. Ioannis, & ductum est foris muros ciuitatis per pontem Miluium. Qui & sepultus est in Ecclesia B. Petri Apostoli die 22. mensis Februarij. Hic Ecclesiam de clero impleuit, fecitque Episcopos per diuersa loca num. 26. Et cessauit Episcopatus menses 11. dies 26.

A D. 606. Febr. 21. Imperatoris Phocæ. 4. xv Kal. Martij ex Diacono creatus est Pontifex quē S Greg Apocrisarij munere fungentem miserat Constantinopolim ad Phocam Imperat. Hic Episcopū eligi à Clero & populo simul statuit. Decreuitq. altaria candidis, & lineis pannis operienda esse. Polyd. Phocas Imper. promulgato edicto vetuit, ne quis Episcop. nomen Oecumenici, olim Romano Pontifici debitū sibi ambitiose arrogaret.

BONIFACIVS III. Natione Romanus, ex patre Ioanne Cataaudioce, sedit menses 8. dies 23. Hic obtinuit apud Phocam Imperatorem, vt sedes Apostolica, idest Ecclesia Romana, quod iure diuino possidebat, caput omnium Ecclesiarum diceretur, quod nimirum Constantinopolitanus Episcopus nomen Oecumenici sub illud tempus indebitè sibi vsurpare cæpisset. Hic fecit constitutum, seu decretum in Ecclesia B. Petri, congregatis Episcopis 72. Presbyteris Romanis 34. Diaconis, omnique clero, sub anathemate, vt nullus Pontifice viuente, aut Episcopo ciuitatis suæ, præsumeret loqui de successore, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis eius, adunato Clero & filijs Ecclesiæ, tunc electio fiat, & quem quisque voluerit habebit licentiam nominandi Summum Sacerdotem. Qui defunctus, sepultus est in Ecclesia B. Petri Apostoli, die 12. mensis Nouembr. Hic fecit Episcopos per diuersa loca num. 21. Et cessauit Episcopatus menses 10. dies sex.

Concilium vnicum sub hoc Pontifice Romæ celebratum.

Septuaginta duobus Episcopis conuocatis, vti iam supradictum est, de modo eligendi Romanum Pontificem. Irrepserat enim per ambitionem multorum Clericorum, vt superstite adhuc Pontifice, de eo qui post obitum eius in successorem eligendus esset, tractaretur. Quæ facinorosa molitio, etiamsi ante sacris legibus Pontificijs vetita fuisset, tamen è re Ecclesiæ existimauit Bonifacius, si ad tollendum illum prauum vsum electionis, synodale decretum ederetur. Quare vbi primum sedem Pontificiam adeptus fuit, in Basilica Vaticana hanc Synodū conuocauit; & sub pœna anathematis constituit, vt non prius de eligendo Pontifice agatur quam defunctus Pontifex triduo sepultus fuerit.

A. D. 607. Phocæ Imperat. 9 die 18. Septemb.

BONIFACIVS IV. Natione Marsus, de ciuitate Valeria, ex patre Ioanne Medico, sedit annos sex, menses octo, dies 13. Huius temporibus fames, pestilentiæ, & inundationes aqua-

aquarum grauissimæ fuerunt. Hic petijt à Phoca Imperatore templum, quod appellatur Pantheon, in quo fecit Ecclesiam Sanctæ Mariæ semper Virginis, & omnium Martyrum Christi: in qua Ecclesia Imperat. multa dona obtulit. Hic domum suam monasterium fecit, quod & ditauit. Qui defunctus sepultus est ad B. Petrum Apostolum die 25. Mens. Maij, Hic fecit ordinationes duas per Decem. Diacon. 8. Episcopos 35.

Panteon, tot scriptorum antiquorum præconijs celebratũ, à Marco Antonio Aprippa ter consule tempore Augusti Imp. erectnm post 632. annos Christianæ religionis vsui cessit.

Anno D. 601. Phocæ Imp. ann. 8. quem Heraclius Prætor Africæ facta rebellione profligauit, & captum cum tota familia sua obtruncari iussit.

Primum Concilium sub Bonifacio IV. Romanum,

In causa Anglicanæ Ecclesiæ celebratum, vnde Mellitus Londoniæ Episcopus aduenerat, ad Edilbertho Rege missus. qui concilio Episcoporum intererat, & canones subscripsit, atque in Britanniam rediens secum obseruanda detulit.

Secundum Concilium Toletanum,

Sub Gundemaro Rege anno Christi 610. celebratum, ratione primatus Ecclesię Toletanæ, quod nonnulli non totius Carthaginensis, sed tantum Carpetaniæ prouinciæ Metropolitanum eum esse dicerent, qui semper antea 15. Episcopales ad se pertinere docebat sedes ex tota Carthaginensi prouincia. Ad hoc Concilium trium sedium vacantium populi supplices libellos porrexerunt, rogantes Metropolitanum, vt nominaret Antistites, cum omni clericorum & ciuium voluntate electos; vel ab vniuersis comprouincialibus Episcopis designatos.

Tertium Concilium Tarraconense,

Sisebuti Regis anno tertio, à 12. Episcopis celebratum, in loco dicto Egara. An. D. 614. vbi omnia illa confirmata sunt, quę in Concilio Oscensi, de castimonia Cleri constituta fuerunt.

DEVSDEDIT Seu Theodatus natione Romanus, ex patre Stephano Subdiacono, sedit annis tribus, minus quinque diebus. Hic Clerum multum dilexit, sacerdotes & leuitas ad locũ pristinum reuocauit. Eodem tempore veniens Eleuterius Patricius & cubicularius Rauennam, occidit omnes, qui in nece Ioannis Exarchi & Iudicis Reipublicæ fuerant mixti. Hic venit Romam, & susceptus est à Sanctissimo Papa optimè. Qui egressus de Roma, venit Neapolim, quæ tenebatur à Ioanne Compsino intacta, & ingressus est pugnando Neapolim, & interfecit Tyrannum, reuersusque est Rauennam: & data toga militibus, pax facta est in tota Italia. Hic Pontifex constituit secundam Missam in Clero. Eodem tempore factus est terræ motus magnus mense Augusto Indict. 11. Post hæc secuta est clades in populo, percussio scabierum, vt nullus potuisset mortuum suum cognoscere. Qui defunctus, & sepultus est ad B. Petrum Apostolum, die 8. Mensis Nouemb. Hic dimisit per obsequia sua & ad omnem Clerum rogam vnam integram. Hic fecit ordinationes tres, presbyteros 9. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca 29. Et cessauit Episcopatus mensem vnum dies sexdecim.

A.D. 615 Oct. 21. Papa 68. decreuit ne quis eam puellã vxorem ducat quã ex baptismo leuauit Blond. Dec. 1. lib. 9.

Scripsit Epistolam Decretalem vnam, ad Gordianum Hispalensem Episcopum. præcipiens, vt ij, qui proprios filios de sacro fonte suscipiunt, ab vxoribus separentur: & prohibuit, ne quis commatrem suam in vxorem accipiat.

BONIFACIVS V. Natione Campanus, de ciuitate Neapoli. ex patre Ioanne Sedit annis 7. mensibus 10. & die vno. Hic constituit, vt testamentum valeat secundum iussionem Principis. Item constituit, vt nullus trahatur de Ecclesia. Itemque vt Acolytus non præsumat reliquias sanctorum Martyrum leuare, nisi presbyter. Constituit quoque vt in Lateranis, Acolytus non baptizaret cum Diacono, sed Subdiaconi sequentes. Hic perfecit cœmiterium S. Nicomedis, & dedicauit illud. Erat autem beatiss. Bonifacius mitissimus super omnes homines, & misericors. Clerum amauit, & rogam integram clero suo dedit. Eodem tempore ante dies ordinationis eius Eleutherius Exarchus factus est tyrannus, & in Antara as-

Anno D. 617. Heraclij Imper. die 24. Decemb.

sumpsit sibi regnum. Veniens autem Romam, in castro quod dicitur Luceolis à militibus Rauenaticis interfectus est; cuius caput missum est Constantinopolim ad pijssimum Prncipem Heraclium. Bonifacius verò defunctus sepultus est ad B. Petrum Apostolum. die 25. Mensis Octob. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembr. presbyteros 27. Diaconos 4. Episcopos per diuersa loca 29. Et cessauit Episcopatus menses sex, dies 18.

Hic primus iussit vt Monachi in sacerdotali gradu constituti, vtantur potestate ligandi & soluendi.

Scripsit Epistolas tres. *Primam*, ad Iustum Roffensem Episcopum, quem commendat, quod Adelualdum Regem Angliæ ad fidem perduxerit, speratq. eum etiam alios perducturum. Igitur pallium ei mittit, iusque ordinandi Episcopos concedit. *Secundam* ad Eduinum Regem Anglorum, vt Christianam fidem amplectatur. *Tertiam* ad Edelburgam Reginam; gratulatur fidem recepisse, monetque vt det operam quo & coniunx idem faciat: & munuscula quędam mittit.

Primum Concilium sub Bonifacio V. Matisconense III.

An. D. 617.

In quo Burgundię Episcopi, rogatu Clotarij Regis Francorum, congregati, Agrestinum quendam (olim Theodorici Regis Notarium) monachum Luxouiēsem instabilem & schismaticis sectarium, Regulam Diui Columbani oppugnantem aut verius obtrectantem obiurgarunt, & S. Abbati Eustasio obedire mandarunt. *Vide Bedam, Hist. Angl.*

Secundum Concilium Hispalense II.

Anno D. 619.

In quo pro negotijs Ecclesiasticis, retinendaque vetere disciplina, tredecim Canones sunt conscripti, præsidente D. Isidoro Metropolitano. Sed præcipuè contra Acephalos hæreticos, negantes temere in Christo duas naturas in vna diuina persona, multa argumenta inuenta sunt. Estque Concilium hoc eruditum & doctum, Iuris Ciuilis & Canonici sapientia refertum, ita, vt appareat à viris eruditione diuina & sæculari præstantibus esse editum.

Acephali, sine capite dicti, quia nullus reperitur erroris huius auctor à quo exorti nomen & sectam sibi arrogent.



LIBER X.



ÆTA pariter atque tristia hoc libro prosequemur, ex occasione recensentes: quomodo à Romanis, diuino impertito auxilio, bene pugnatum est aduersus Persas, qui spoliata vrbe Hierosolymorum, totque prouincijs Imperatori Heraclio ademptis, lignum S. Crucis, in quo Saluator Mundi pependerat vna cum eius custode Zacharia Antistite Hierosolymitano in captiuitatem acceperant, postque sexennale bellum, & tot clades Romanis illatas, tandem miseranto Deo, de victore Cosrhoë, qui & vinci credi non poterat, tanto præclarius triumphatum est, quanto Crucis trophæa clariora in Orbe sunt, quam Orientalis Imperij gloria; cum vindicata pristina libertate, receptis prouincijs & munitionibus, ereptis ab hæreticis Nestorianis Ecclesijs, quas Cosrhoes, Catholicis expulsis, illis in odium Imperatoris tradiderat, pax vniuersalis ferè fuerit constituta. At inter tot læta infausta quoque plurima continuò Ecclesiam perturbarunt, cum fauore Imperatoris Menothelitarum hæresis magis magisque inualescere cœpisset, ex Eutychianis, collecta: nouaque improbitatis secta Mahometanorum oborta esset, qua nulla vmquā alia plures sordes in vnum collegit, nullaque hactenus maioribus in dies augmentis fuit propagata; non miraculis quidem vel virtutibus doctrinaue aliqua, sed armorum potentia duntaxat, & voluptatum illecebris, Vnde Orientalis Imperij res magnopere fluctuare cœperunt, Arabibus & Sarrace-

cenis hac nefaria secta infectis. aduersus Romanos magnopere insurgentibus, vt in Historijs videre est. Sed nos ad nostra redeamus.

HONORIVS I.

Natione Campanus, ex patre Petronio Cõsule, sedit an. 12. & quinque mensibus, minus tribus diebus. Hic temporibus suis multa bona fecit. Erudiuit clerum. Renouauit cimeliam B. Petri Apostoli, & inuestiuit confessionem ex argento puro, quod pensat libras 187. Inuestiuit regias ianuas in ingressu Ecclesiæ maioris, quę appellantur medianæ, ex argento, quæ pensant lib. 975. Fecit & cerostata maiora ex argento paria duo, quę sunt ante corpus B. Petri Apostoli pensan. singul. lib. 272. Fecit & ad beatum Andream Apostolum, vbi supra, ante confessionem, tabulas argenteas, quæ pensant libras 73. Huius temporibus leuatæ sunt trabes in Ecclesia B. Petri Apostoli numero sexdecim. Hic cooperuit Ecclesiam omnem tabulis æreis, quas leuauit de templo Romuli, ex consensu pijssimi Heraclei Imperatoris. Eodem tempore fecit Ecclesiam Beatæ Agnetis Martyris miliario ab vrbe Roma tertio, via Numentina, à solo, vbi quiescit: quam vndique ornauit & exquisiuit, vbi posuit multa dona. Ornauit autem sepulchrum eius ex argento, quod pensat libras 252. Posuit & desuper ciborium æreum deauratũ miræ magnitudinis. Fecit & Gabathas aureas quatuor, pensantes singulas libram vnam. Fecit quoque absidam eiusdem basilicæ ex musiuo, vbi etiam multa dona contulit. Item fecit basilicam B. Apollinaris Martyris in Vrbe Roma, in porticu B. Petri Apostoli, quæ appellatur palmaria, à solo, vbi dona multa largitus est.

Anno D. 626. Papa 70.

Hic festum exaltationis S. Crucis instituit. quam Heraclius Imp. à Persis recuperauam primo Constantinopolim tulit postea Hierosolimam transtulit. Iterumque Constantinopolim reduxit, timens locis illis, quibus Saracenos dominaturos quasi prauidit debito cultu & honore destitueretur. Arabes enim viribus aucti vniuersam Syriam Aegyptum & Palestinam, illi in hæresim prolapso ademerunt & per annos 453. donec à Francis vicissim eriperetur. posсederunt.

Hic fecit constitutum in Ecclesia, & decreuit, vt per omnem hebdomadam, Sabbatho die, exeat Litania ad B. Apollinarem, & ad B. Petrum Apostolum, cum hymnis & canticis, populus omnis accurrere debeat. Fecit & B. Cyriaco Martyri ecclesiam à solo, via Ostiensi miliario septimo, vbi & donum obtulit. Tum Ecclesiam beatorum Martyrum quatuor Coronatorum, quam & dedicauit, & donum obtulit. Item ecclesiam B. Seuerino à solo, iuxta ciuitatem Tiburtinam, miliario ab Vrbe Romana vigesimo, quam ipse dedicauit, & dona multa obtulit. Renouauit & cœmeterium beatorum Martyrum, Marcellini & Petri, via Lauicana. Eodem tempore fecit basilicam beato Pancratio Martyri à solo, via Aurelia, miliario secundo, & ornauit sepulchrum eius ex argento, quod pensat libras. 120. Et ibi constituit mola in murum in loco Traiani, iuxta murum ciuitatis, & formam, quę deducit aquam in lacum Sabbatinum, & sub se formam, quæ conducit aquam Tyberis. Fecit & ciborium super altare ex argento, quod pensat libras 287. & arcus argenteos quinque, qui pensant singuli libras 15. Fecit & cãdelabra aurea tria, quæ pens. singul. lib. singul. vbi multa dona similiter obtulit. Fecit præterea Ecclesiam B. Luciæ in vrbe Roma iuxta S. Syluestrum, quam & dedicauit, & multa dona obtulit. Ecclesiam B. Adriano martyri in tribus foris, quam & dedicauit, & multa dona obtulit. Sed & multa alia bona fecit, quæ enumerare longum est. Fecit autem ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros 13. Diaconos 12. Episcopos 81. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri Apostoli sub die 4. Idus Octob. Et cessauit Episcopatus annum vnum, menses 7. dies 17.

Scripsit Epistolas sex. *Vnam*, ad Isacium Rauennatem Exarchum. qua Adaloualdum Longobardorum Regem Catholicum Regno restitui, & surrogatum illi Ariouáldum hominem Arianum, & perfidum inde eijci: Cisalpinos verò Episcopos, quorum opera scelus patrarat, ad pœnam suscipiendam ad se mitti petit. *Secundam*, Ad Episcopos Venetiæ, & Istriæ, de Fortunato Gradensi Patriarcha deiectos & Primogenio in locum eius surrogato. *Tertiam*, ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, qua post verã Orthodoxæ fidei doctrinam, de duabus voluntatibus Christi assertam, causam indicat, quare Sergio de nouis ve-

Hæc Epistola Tertia antiquioribus & Nouatoribus hæreticis est lapis

offensionis, ex qua Honorio crimen hæreseos impingere conantur. Et quidem sine omni iusta causa, vt pulchre Seuerinus Binius in suis notis ad vitam Honorij luculentissime deducit vbi argumentum Epist Sergij ad Honorium examinat.

A. D 603.

vocabulis silentium indicenti, consentiendum esse iudicet. *Quartam*, ad eundem Sergium, eiusdem argumenti. *Quintam*, ad Eduinum Regem Angliæ, quem hortatur vt in fide perseueret, eiusq. precibus Paulino, & Honorio metropolitanis pallia mittit, vt altero mortuo, superstes in locum defuncti alium possit ordinare. *Sextam*, ad Honorium Dorouerniensem Episcopum, vt in Euangelij prædicatione persistat. *Vnde Bedam Hist. Angl. lib 2. cap. 18.*

Primum Concilium sub Honorio Rhemense

A quadraginta, & eo amplius Galliarum Episcopis celebratum. In quo multa leguntur vtilia constituta, de rebus scilicet Ecclesiæ, qualiter tractandæ sint: & de his quæ per precatoriam impetrantur ab Ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in ius proprium vsurpentur, & Ecclesiæ defraudentur.

Ann. D 633. mense Mai vide Baron sub hoc anno.

Secundum Concilium Alexandrinum.

A Cyro Monothelita coactum, qui sub nomine pacis hæresi suæ viam aperuit; eo simulato prætextu, quod hereticos omnes in Aegypto existentes, Ecclesiæ Catholicæ iūgere posset, si duarum voluntatū, & operationū voces silentio supprimeret: satis esse dicens, si in Christo tantū Deiuirilis voluntas, & operatio diceretur, ex qua duarū naturarū in Christo, exacta professio ederetur eo quod etsi non voces, res ipsę tamen expressæ haberentur. Hac itaque de causa edidit Synodale Decretum, quod SATISFACTIO inscribitur; in quo nouem sunt capita, quibus non quidem aperte, sed tantum callide & latenter Monothelitarum hæresis confirmabatur. Concilio dimisso, acta huius congregationis, vna cum Synodali Epistola, ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum Cyrus Alexandrinus transmisit. De quo Sophronius Hierosolymorum Episcopus certior factus, ad eundem Sergium, non tantum scripsit, vt illud de vnica operatione capitulum huius Synodi deleretur, verum etiam ipse (vt testatur Sergius in Epist. ad Honorium Papam) hac de causa ad eum Constantinopolim profectus fuit: metuebat enim id, quod exitus postea declarauit, ne hæc ad destructionem Catholicæ veritatis hæretici molirentur. Verum dum fraudulento relatu Sergij hæresim suam hoc tempore adhuc occultantis, Sophronius vir sanctissimus audiuit, rem bona fide, & intentione pacis ineundę agi, duasq. naturas in Christo inconfusè & indiuisè vnitas asseri, suspicione fraudis se posita, Sergio de vna aut duabus naturis ad tempus silendum esse suadenti, consensit.

Ann. D. 633. Die 9. Decemb.

Tertium Concilium Taletanum IV.

Septuaginta Episcoporū sub Honorio Papa celebratū, in Basilica sanctæ Martyris Leocadiæ. In quo ad cōseruanda iura Ecclesiastica, corrigēdosq. cleri, & populi licentiosos mores, 74. Capitula sunt cōscripta. Quorum maxima pars etiamnum est in vsu apud Orhtodoxos, vt patet ex Garsia, & notis Seuerini Binij.

Ann. D. 636.

Quartum Concilium Toletanum V.

Viginti Episcoporum, qui religiosam omni tempore conseruare cupientes obseruantiam, nouem capitula pro reformatione cleri, & populi conscripserunt, quæ gloriosissimus Rex Chintillanus suo Edicto confirmauit.

Ann. D. 638. Die sexta Idus Ianuarij.

Quintum Concilium Toletanum Sextum.

Quinquaginta duorum Episcoporum eiusdem Chintillani Regis suasu, & monitis congregatorum, qui 29. capitula, salua auctoritate priscorum Canonum pro conseruanda Ecclesiastica disciplina constituerunt, & subscripserunt.

Ann. D. 638. Heracl. Imp. 39, qui dum fidem catholicā impugnat & sedem Apost. opprimit Sarraceni interim regno Persarum potiuntur prouinciat Imperij Romani possident Syriam Phœ-

SEVERINVS Natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses vndecim, & dies 4. Huius temporibus deuastatum est Episcopium Lateranense, à Mauritio Chartulario, & Isacio patritio Exarcho Italiæ. statim, vt ille à clero in Pontificem electus esset. (fortasse quod confirmationem electionis tyrannice fieri solitam, ab Heraclio Imperatore postulare nollet) Sed antequam veniret Isacius Exarchus, Mauritius dolo ductus aduersus Ecclesiam Dei, consilio inito cum quibusdam peruersis hominibus, incitauerunt exercitum Romanum, dicentes, quia quid prodest, quod

tantæ pecuniæ congregatæ sunt in Episcopio Lateranensi ab Honorio Papa, & miles iste nihil exinde subuentus habet, quando, & rogę vestræ quas Dominus Imperator vobis per vices mandauit, ibi sunt à sancto viro reconditæ. His auditis exarserunt omnes aduersus Ecclesiam Dei, & venerunt omnes à minimo concitati, omnes armati, qui inuenti sunt in ciuitate Romana; à puero vsque ad senem in Episcopio suprascripto Lateranensi. Et non potuerunt manu militari introire, quia restiterunt eis, qui erant cum sanctissimo Domino Seuerino. Tunc videns hoc Mauritius, quia nihil potuerunt facere, dolo ductus fecit ibi exercitum residere, intra Episcopium Lateranense, & fuerunt ibi tres dies. Post triduum autem introiuit Mauritius cum Iudicibus, qui inuenti sunt cum ipso in consilio, & sigillauerunt sub opere pacis omne vestiarium Ecclesiæ, seu cimmelia Episcopij, quę diuersi christianissimi Imperatores, & Patritij, & Consules pro redemptione animarum suarum B. Petro Apostolo reliquerant, vt pauperibus singulis temporibus pro alimonia erogarentur, seu propter redemptionem captiuorum. Et postmodum misit Mauritius epistolas suas ad Isacium Patritium Rauennam de hoc quod actum est, quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium Episcopi: & quia sine aliqua læsione omnem substantiam sæpedictam, potuissent depredari. Cumque hæc verius cognouisset Isacius, venit in ciuitatē Romanam, & misit omnes Prelatos Ecclesiæ singulos, per singulas ciuitates in exilium, vt nō fuisset, qui ei resistere debuisset de clero. Et post dies aliquantos ingressus est Isacius Patricius in Episcopium Lateranense, & fuit ibi per dies octo, vsque dum omnes substantiam illam depredarentur: cuius partem statim direxit Constantinopolim ad Heraclium Imperatorem. Postmodum ordinatus est sanctissimus Seuerinus, & reuersus est Isacius Rauennam. Hic renouauit apsidem B. Petri Apostoli ex musiuo, quod dirutum erat. Hic dilexit clerum, & omnes donis augmentauit. Fuit autem sanctus, benignus super omnes homines, amator pauperum, largus, & mitissimus. Fecitque Episcopos per diuersa loca quatuor. Hic diuisit omni clero togam integram. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die 4. Nonas Augusti. & cessauit Episcopatus Menses. 4. dies 29.

niciam, Aegyptum, Palestinam, & sanctam Ciuitatem, Hierusalem quam biennio integrro Humar Princeps illorū obsidione premebat & tandem cępit, exercitibus Romanorū vbiq. profligatis.

Sub hoc Pontifice *Conciliabulum Constantinopolitanum*, Per Sergium Patriarcham Vrbis illius celebratum est, quo ille Echtesin, seù expositionem fidei, sub Heraclij Imperatoris nomine, promulgauit. Quam Echtesim edicto Imperatoris confirmatam Seuerinus Pontifex, à Sergio rogatus vt approbaret, diro anathemate percussit, & reiecit: ideoq. à ministris Imperatoris grauibus molestijs, & afflictionibus exagitatus non diu superstes fuit.

Ann. D. 638.

IOANNES IV.

Natione Dalmata, ex patre Venantio Scholastico: sedit annum vnum, menses 9. dies 5. Hic temporibus suis misit per omnem Dalmatiam, seu Istriam multas pecunias per sanctissimum, & fidelissimum Martinum Abbatem propter redemptionem captiuorum, qui deprædati erant à gentibus. Eodem tempore fecit Ecclesiam beatis Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, alijsq. Quorum reliquias de Dalmatia, & Istria adduci præceperat, & recondidit eas in ecclesia suprascripta, iuxta fontem Lateranensem, & Oratorium B. Ioannis Baptistæ; quam ornauit, & diuersa dona obtulit. Fecitque duos arcus argenteos, qui singuli pensant lib. 15. simul, & alia vasa argentea multa. Fecit autem ordinationes duas per mensem Decemb. Presbiteros 18. Diaconos 5. Episcopos 18. Hic dimisit omni clero rogam integram. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die 4. Idus Octob. Et cessauit Episcopatus mensem vnum, dies 13.

Ann. D. 640. 15. Decembr. Huius Pōtificis tempore Heracl. Imper. vbi regnasset annos 31. infelici exitu vitām clausit, erumnis animi corporisq. confectus. Et qui cum ipso regnarat. ipsiq. successerat Constantinus filius, iugi morbo detentus, vix quatuor in Imperio menses vixit, Creditum à Martina Augusta nouerca veneno eum sublatum esse vt Heracliones filius eius imperio potiretur. Qui eum

Vnicum Concilium hic Pontifex Romæ celebrauit.

Conuocatis Italiæ Episcopis, & Monothelitarum hæresim anathematizauit, nihil cedens minis Exarcharum, vt Honorium prædecessorem suum ab illa calum-

nias

nia hæreticorum liberaret, qua Pyrrhus Constantinopolitanæ vrbis Episcopus, alijque Orientales Præsules Monothelitæ, illum erroris sui cōsortem & sectarium fuisse iactictabant; ideo quod in prima sua Epistola ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, de simplici, & duplici operatione silentium indicenti consensisset; in altera vnam duntaxat voluntatem in Christo professus esset. Igitur vt hanc calumniam beatissimo Pontifici malitiose obiectam dilueret, summa industria procurauit, vt Scriptor ille qui Honorio Pontifici ab Epistolis fuerat, dictasque ad Sergium Episcopum litteras scripserat, earumdem verum & germanum sensum interpretaretur, & ad Imperatorem transmitteret.

Pyrrhus Episcopus vrbis ad culmen honoris promouisset, vix semestri spatio regnauit, statim siquidem eum Senatus deposuit nasoq. mulctauit, & matri eius Martinæ Augustæ linguam ab scindere iussit & in perpetuum exilium vtrumque eiecit.

Anno D. 641. 25. Mens. Nouemb. Constantis Imp. an. 3. qui vt Imperij & erroris hæres factus, Monothelitarum sectam quam sciebat ab auo Heraclio originem accepisse, mirum in modum propagare conatus est vacantibusque Ecclesiis per Orientem Episcopos eiusdem erroris assertores præficere curauit & quos mittebat Præsides in prouincias, eosdem voluit esse pariter ipsa hæresi imbutos.

THEODORVS Natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo, de ciuitate Hierosolyma. Sedit annis septem, mensibus quinque, & 20. diebus. Hic fuit amator pauperum largus benignus super omnes, & multum misericors. Huius temporibus in Mauritium Chartularium per quem multa mala operatus est Isacius Patricius Exarcha, cū increbuissent peccata eius, de B. Petro Apostolo prodijt vindicta, vt hæreditaret eum ignis inextinguibilis. Consilio ductus suprascriptus Mauritius illorum, qui cum ipso ante deuastauerant Ecclesiam Dei, tyrannizauit aduersus Isaciu m Patricium, & misit per omnia castra, quæ erant sub ciuitate Romana per circuitū, & congregauit omnes, & constrinxit secum ipsos per sacramentum, vt deinceps nullus ex ipsis obediret Isacio, neque hominibus eius, eo quod ipse sibi regnum imponere voluisset. Audiens hæc Isacius Patricius, quod Mauritio omnes exercitus Italię Sacramenta dedissent, misit Donum Magistrum militum & Sacellarium suum ad ciuitatem Romanam cum exercitu. qui veniens Romam, omnes iudices exercitus Romani, qui se prius cum Mauririo Sacramento constrinxerant, timore ducti, ad se pertraxerat, vt dimittentes Mauritium Chartularium, omnes se cum Dono coniungerent, Et ingresso eo Romā, fugit Mauritius ad B. Mariam ad Præsepe, quem tollentes de Ecclesia, miserunt boiam in collum eius, similiter & omnibus qui in consilio cum ipso fuere. Et sic boiatos omnes misit Donus Rauennam, per manus Marini Scribonis, & Thomasij Chartularij. Qui deducentes eos, peruenerunt in locum, qui dicitur ad Ficuldas, duodecimo milliario à ciuitate Rauēnatēsi, & ibi decollauerunt Mauricium, quia sic in mandatis acceperant à supradicto Isacio, vt viuus ciuitatem Rauennatem non ingrederetur. Et postquam decollatus est. leuantes caput eius tulerunt Rauennam. Videns autem Isacius caput Mauritij gauisus est, & fecit illud ad exemplum multorum in circo Rauennate super stipitem poni. Illos autem qui cum ipso directi fuerant, omnes boiatos iussit arcta custodia in carcerē mitti, cogitans quomodo eos puniret. Sed cum ea agerentur, mox Dei iudicio, ipsis diebus percussus diuino ictu interijt Isacius, & mortuus est. Ij autem qui clausi erant, exeuntes de carcere, reuersi sunt singuli per loca sua. Audiens hoc Imperator, quod defunctus est Isacius, misit Theodorum Patritium Exarchum, cui cognomentum Calliopa ad regendam omnem Italiam.

Ipsis temporibus venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Patriarcha Constantinopolitanus in vrbem Romam, ad limina Apostolorum. Qui ingressus, libellum obtulit cum sua subscriptione, Apostolicæ nostræ Sedi, in pręsentia cuncti Cleri & populi, condemnans in eodem libello, omnia quæ à se, vel à prædecessoribus suis, scripta vel acta sunt, aduersus immaculatam nostram fidem. His itaq. ab eo peractis, fecit eum Pontifex muneribus à populo honorari, & Cathedram ei poni iuxta altare, hounorificans eum vt sacerdotem Regiæ ciuitatis. Qui cū Roma discessisset, & Rauennam peruenisset, rursus more canis ad proprium impietatis vomitum reuersus est. Tunc sanctissimus Theodorus Papa conuocans vniuersos sacerdotes & Clerum in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis condemnauit eum sub vinculo anathematis, iuxta mercedem & retributionem

pro-

propriæ transgreſſionis, canonicam pœnam, ſiue depoſitionem decernens.

Eodem tempore releuata ſunt corpora Sanctorum martyrum Primi & Feliciani, quæ erant in arenario ſepulta, via Numentana, & adducta ſunt in vrbem Romam. Quę & recondita ſunt in baſilica B.Stephani Protomartyris, in monte Cœlo, vbi & dona Theodorus Papa obtulit, gabathas aureas tres, tabulas ex argento ante confeſſionem, arcus argenteos duos. Fecit quoque Eccleſiam B. Valentino, via Flaminia, iuxta pontem Miluium à ſolo, quam ipſe dedicauit & dona multa obtulit. Præterea fecit oratorium B.Sebaſtiano intra Epiſcopium Lateranenſe, vbi & dona largitus eſt. Fecit & B.Euplo martyri oratorium, foris portam B.Pauli Apoſtoli, quod etiam ornauit.

Tunc ſanctiſſimus Theodorus Papa ſcripſit Paulo Patriarchæ Regiæ ciuitatis, tam rogans, quam etiam regulariter increpās, nec non per Apocriſiarios, pro hoc maximè deſtinatos, præſentialiter admonens, & conteſtans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem Catholicæ Eccleſiæ remearet. Sed neque rogantes, neque increpātes potuerunt eum à ſuo conamine quoquo modo reuocare. Propter quod ab Apoſtolica Sede ipſe depoſitionis vltione percuſſus eſt.

Huius Pauli ſuaſu Conſtans Imperat. promulgauerat Edictum Typus appellatum quo vnius voluntatis in Chriſto aſſertoribus & impugnatoribus ſilentium indicebat quare Paulus. Stephani Dorenſis Epiſcopi aliorumque Orientalium hac de re querelis ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis à Theodoro Papa congregata Synodo condemnatus eſt, vna cum Typo. Quod Imperator ęgrè ferēs, in Catholicos furore exarſerat et perſequebatur eos.

Hic fecit ordinationem vnam per menſem Decembrem, presbyteros 21. Diaconos 4. Epiſcopos per diuerſa loca 46. Qui etiam Sepultus eſt ad Beatum Apoſtolum, ſub die 2. Id. Maij Et ceſſauit Epiſcopatus menſem vnum, dies 16.

Scripſit Epiſtolam vnam, ad Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qua illum in fide Orthodoxa inſtruxit; aliterque ſentientem excommunicandum eſſe minatus eſt, quod & præſtitit, vt patet ex Epiſtola Pauli ipſius, reddita cum quibuſdam alijs Synodalibus ad Theodorum Papam, quæ extant in Actis Concilij Lateranenſis ſub S.Martino Papa: vbi extat & illa *celebris diſputatio Maximi Abbatis Conſtantinopolitani*, cum Pyrrho Conſtantinopolitano Epiſcopo, habita in Africa, coram Gregorio Patricio pijſſimo, in Conuentu & conſeſſu ſanctiſſimorum Epiſcoporum, & reliquorum nobilium virorum. Pyrrho quidem nouum dogma de vna Chriſti voluntate à ſe, & à ſuo anteceſſore Sergio praue introductum, defendente: Maximo autem doctrinam Apoſtolorum & Patrum à Principio nobis traditam.

Anno D. 645.

Primum Concilium, ſub Theodoro Papa, Numidiæ in Africa,

Sub pręſidio Columbi Metropolitani, contra Monothelitarum hæreſim, Conſtantinopoli publicè promulgatam. Extat de hac re Epiſtola Synodalis ad Pontificem directa.

Secundum Concilium Byzacenum,

Quadraginta duorum Epiſcoporum, ſub præſidio Stephāni Primatis eodem tempore, eademque de cauſa celebratum.

Tertium Concilium Carthaginenſe,

Epiſcoporum 68. prædicto tempore, ob cauſam prædictam celebratum.

Quartum Concilium Toletanum VII.

Ab Epiſcopis 39. celebratum; in quo, pro quibuſdam diſciplinis Eccleſiaſticis, ſex capitula conſcripta ſunt valdè vtilia. An. 5. Regis Hiſpaniarum Chindaſuindi.

Anno D. 648.

Quintum Concilium Romanum,

Quo Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & Pyrrhus in hæreſim Monothelitarum relapſus, condemnati ſunt, vna cum Typo à Conſtante Imper. promulgato reuiſis ſedulo, quæ in Africanis Concilijs, aduerſus nouam hanc Monothelitarum hæreſin, nouumque hęreſeos patronum ſtatuta ac deciſa fuerunt,

Anno D. 649. die 1. Menſis Iulij Conſtantis Imper. an. 9.

MARTINVS I. De ciuitate Tudertina, prouincia Tuſcię, ſedit annis quinque, menſibus quatuor, atque diebus 12. Hic congregauit Epiſcopos in vrbem Romam numero centum

& quinque, fecitque Synodum secundum instituta Patrum Orthodoxorum in Ecclesia Saluatoris, iuxta Episcopium Lateranense, & sedentibus Episcopis, ac presbyteris, adstantibus vero Diacon. & Clero vniuerso, condemnauerunt Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Patriarchas Constantinopolitanos, qui nouitates contra immaculatam fidem præsumpserunt innectere. Præcipue Paulus, qui superbiæ spiritu inflatus aduersus rectum Sanctæ Dei Ecclesiæ dogma, audacter præsumpsit paternis definitionibus contraire. Insuper studuit ad cooperimentum proprij erroris, quibusdam subreptionibus clementissimo Principi suadere, vt Typum exponeret, quo Catholicum dogma destrueret. In quo Typo, omnes omnino voces sanctorum Patrum, nefandissimis hæreticorum dictionibus eneruauit; scilicet nec vnam, nec duas voluntates aut operationes in Christo Domino nostro definiens confiteri. Quare, huiusmodi prauitatem suam defendens, quod nunquam nec à prioribus hæreticis præsumptum est, ipse illicite præsumere studuit, & in tantum vesaniæ prorupit, vt altare sanctæ nostræ Sedis, quod erat in domo Placidæ sacratum in venerabili oraculo, subuertens diriperet; prohibens ne adorandam, & immaculatam hostiam Apocrisarij nostri ibidem Deo offerre valeant, aut communionis Sacramenta percipiant. Qui videlicet Apocrisarij ex præceptione Apostilicæ auctoritatis, commonuerant eum, vt ab huius hæresis intentione recederet: Nec non & contestari eum iussi erant, vt nisi recederet à suo malo proposito, excommunicandum se & deponendum esse sciret. Qua ille re offensus, persecutionibus diuersis, cum alijs orthodoxis viris, & venerabilibus sacerdotibus, insecutus est eos, quosdam eorum custodiæ retrudens, quosdam in exilium deportans, alios verò verberibus submittens. Quibus rebus pene omnem mundum conturbantibus, ex diuersis locis querelas contra eum, ad Apostolicam Sedem plurimi Orthodoxi detulisse monstrantur; coniurantes, vt totius malitiæ, tantæque euersionis per Apostolicam auctoritatem absçinderetur commentum, quatenus minime totum corpus Catholicæ Ecclesiæ, nocibilis eorum ectheseos languor, disrumpere valeat. Tunc beatissimus Papa Martinus conuocatis Episcopis extinguere volens hæreticorum dogma, contra Catholicam Dei Ecclesiam concinnatum, anathematis vltione authores illius facta Synodo percussit. Quæ Synodus hodie archiuo Ecclesiæ continetur, cuius exemplaria faciens, per omnes tractus Orientis & Occidentis direxit, & per manus Orthodoxorum fidelium disseminauit.

Ipsis diebus direxit Imperator in Italiam Olympium Cubicularium & Exarchum ad regendam omnem Italiam, præcipiens & dicens. Oportet gloriam tuam, vt sicut nobis suggessit Paulus Patriarcha, huius à Deo conseruandæ vrbis peragere: & si quidem inueneris prouinciam ipsam consentientem in Typo à nobis exposito, tenere omnes qui ibi sunt Episcopos; & hęreticos possessores, atque habitatores, & peregrinos, vt in eodem subscribant. Si autem, quomodo nobis suggessit Platon gloriosus Patricius, & Eupraxius gloriosus, potueritis suadere exercitui ibidē consistenti, iubemus teneri Martinum, qui hic erat Apocrisarius in regia vrbe, & postmodum omnes Ecclesias relegere eum, quia factus est à nobis orthodoxus Typus, & omnes Episcopi Italiæ in ipso subscribāt. Si autem eum inueneris contrarium in tali causa, exercitum tacitum habetote, donec obtinueritis prouinciam, & poteritis vobis exercitum aggregare, tam Romanæ ciuitatis, quàm Rauennatis, vt ea, quæ à nobis præcepta sunt, quantocyus explere valeatis. Qui prædictus Olympius veniens in ciuitatem Romanam, inuenit sanctam Romanam Ecclesiam coadunatam cum omnibus episcopis Italiæ, seu sacerdotibus, vel Clero. Et volens implere ea, quæ ei iussa sunt, habuit secum robur exercitus, & voluit schisma in sanctam ecclesiam intromittere. Sed non permisit illum Omnipotens Deus; quæ nitebatur perficere. etsi hoc per plurimum tempus ageret. Videns ergo se à sancta Dei Catholica atque

que Apostolica ecclesia superatum, necesse habuit de sua quasi mala intentione declinare, vt quod non potuit per manum armatam facere, subreptitio & hęretico modo, per missarum solemnia in Ecclesia Dei. S. Genetricis semperque Virg. Mariæ, ad presepe perficeret. Nam dum communionem illi porrigeret sanctissimus Papa, voluit eum crudeliter interficere, vt demandarat suo Spatario. Sed omnipotens Deus, qui solitus est seruos suos orthodoxos circumtegere, & ab omni malo eripere, ipse excæcauit Spathariū Olympij Exarchi, & non est permissus videre Pontificem, quando Exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit. vt sanguis eius effunderetur, & Catholica Dei Ecclesia hæresi subijceretur. Quod postmodum prædictus armiger diuersis cum iureiurando professus est. Videns ergo Olympius Exarchus. quia manus Dei circumtegebat Martinum Sanctissimum Papam, necesse habuit se cum Pontifice concordare, & omnia quæ ei iussa fuerant, eidem sanctissimo viro indicare. Qui facta pace cum S. Dei Ecclesia, colligens exercitum, profectus est Siciliam, aduersus gentem Saracenorum, qui ibidem habitabant. Et peccato faciente, maior interitus in exercitu Romano fuit, & post hoc idem Exarchus morbo interijt. Deinde directus est ab Imperatore Theodorus Exarchus, qui cognomento Calliopa dicebatur, cum altero Theodoro Imperiali Cubiculario, qui Pelarius dicebatur, cum iussione. Qui tollentes sanctissimum Martinum Papam de ecclesia Saluatoris, quæ & Constantiniana appellatur, perduxerunt Constantinopolim, & nec sic eis acquieuit. Deinde directus est prędictus sanctissimus vir in exilium, in locum qui dicitur Chersone: & ibidem, vt Deo placuit, vitam finiuit in pace Christi confessor. Qui & multa mirabilia operatur vsque in hodiernum diem. Fecit autem ordinationes duas per mensem Decembrem, Presbyteros 11. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca 33. Depositus die 17. mensis Septembris. Et cessauit Episcopatus dies 28.

Scripsit epistolas complures, & *Primam* quidem Synodalem, ad omnes Christi fideles, Concilio Lateranensi peracto, & hæresi Monothelitarum, cum suis auctoribus, condemnata.

II. Ad Amandum Episcopum Traiectensem, qui prauos mores ecclesiasticorum pertęsus, petijt à Pontifice per literas vacationem ab Episcopatu. Sed Pontifex prospiciens inde incommodum ecclesiæ Traiectensis, negauit illi vacationem, & ad disciplinam ecclesiasticam ibidem reformandam eundem admonuit, vt Præsbyteros ac Diaconos grauiter peccantes, à gradu suo deponat. Et si resipuerint, veniamq. petierint, eos quidem absoluat, sed nunquam suis gradibus ac dignitatibus restituat. Quod nostri sæculi hæretici arripientes, Pontificem hinc Nouatianæ hæreseos sectatorem fuisse stultè calumniati sunt, quasi docuerit non esse dandam veniam Presbyteris, vel Diaconis post ordinationem suam peccantibus. Sed si Pontificis epistolam sequestrato omni affectu attente legissent, vel etiamnum legerent, sine dubio ipsos suæ malitiæ, & ignorantiæ puderet, postquam animaduertissent Pontificem nō tàm de peccatorum venia, quàm de restitutione ad sacra ministeria loqui. III. Ad Constantem Imperatorem, ne vnitatem ecclesiæ Catholicæ diuidere pergat. IV. Ad ecclesiam Carthaginensem. Probat fidei confessionem, quam miserant; & ad eandem tuendam ipsos excitat. Acta Concilij Lateranensis contra Monothelitas exponit. V. Ad Ioannem Episcopum Philadelphiæ, quem constituit in Oriente vicarium, cum potestate constituendi Episcopos, & Presbyteros; lapsosq. ad fidem redeuntes in pristino dignitatis gradu collocandi. Improbat Macedonij, & Petri electionem ab hæreticis factam, mittitq. Acta Concilij publicanda. VI. Ad Theodorum Episcopum Esbuntiorum. Ostendit eum sua professione hæreticorum furorem repressisse, & ad obediendum Ioanni Philadelphiæ Episcopo, quem constituerat Vicarium, hortatur. VII. Ad Antonium Episcopum Bacathorum, cum iam resipuerit, vt in fide Catholica persistat, & Philadelphiæ Episcopo

Omnes istæ Epistolæ extant Græcè scriptæ in vetusto Codice Concilij ab eodem Pontifice celebrati in Laterano contra hæresim Monothelitarum.

pareat, eum admonet. VIII. Ad Gregorium Archimandritam Monasterij S. Theodosij. Laudat eum ob Apostolicæ Sedis ministrum defensum, & vt Philadelphorum Episcopo obediat. IX. Ad Pantaleonem. Absolutum fuisse Dorolitensem Episcopum falsò ab eo delatum. peccasse illos, per quos actum est, quo minus Sedis Apostolicæ auctoritatem receperit Episcopos, & Presbyteros ordinandi, & quid cum his, qui non canonicè in Patriarchatu Hierosolymitano electi fuerant, agendum. X. Ad Petrum illustrem virum. Commendatur eius vitæ integritas, hortaturq. vt Vicario suo faueat. XI. Ad Ecclesiam Hierosolymitanam, & Antiochenam. Nuntiat Monothelitarum hæresim in Concilio fuisse damnatam, ordinationemq. Macedonij Antiochiæ, & Petri Alexandriæ perperam asse factam. Vt in fide Catholica persistant, & Ioanni Vicario, cui dictæ Synodi Acta misit, obediant. XII. Ad Paulum Thessalonicensem Episcopum. Cum non modo, vt promiserat, non resipuerit, verum eo auctore Apostolicæ Sedis Apocrisarij in hæresim fuerint inducti, anathematizatur & deponitur. XIII. Ad Ecclesiam Thessalonicensem, de Pauli damnatione, eiusque hæresi fugienda. XIV. Ad Theodorum, quæ in aduentu Calliopæ in Vrbem acta sunt: & de falsitate eorum, quæ sibi obijciebantur. XV. Ad Eliterum. A Calliopa ex Ecclesia Saluatoris se raptum Constantinopolim missum fuisse XVI. Ad Occidentales, de his quæ Romæ, Constantinopoli & in itinere sit passus B. Martinus Papa describit Anastasius Bibliothecarius, qui in ministerio eius existens oculis omnia contemplatus est suis. XVII. Scripsit ipse beatissimus Papa Constantinopolim è Chersoneso Tauricæ ad quendam ex orthodoxis amicum, qua ostendit se in summa rerum omnium inopia versari, rogatque vt frumentum & alia necessaria ad vitam tuendam quantocyus mittat. *Vltimam*, epistolam similiter ad quendam Orthoxum dedit, scribens quæ & quanta in Chersona patiatur, cum neque ab his qui Romæ sunt, ad victum necessaria ministrentur.

Primum Concilium Lateranense Romanum,

A. D. 649. Constantis Imper. an. 9 initio statim Pontificatus S. Martini.

Tempore Martini Papæ I. celebratum est, à centum & quinque Episcopis, in quo Typo Constantis Imper. proscripto, Monotelitarum hæresim, eiusque promotores, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Paulum & Pyrrhum Constantinopolit. condemnarunt. Continet ipsa Synodus Secretaria, siue dixeris Consultationes, vel Sessiones, Actionesue quinque, singulis diebus confectas, Græce & Latine scriptas & in omnes prouincias Orientis & Occidentis missas.

Secundum Concilium sub Martino Papa Aurelianense,

A. D. 650.

In quo hereticus quidam transmarinus in Gallias veniens, & Augustodini virus suum spargens, à Salino Episcopo confutatus, damnatus, & eiectus est. *Audoenus in vita S. Eligij cap. 34.*

Tertium Concilium Toletanum Octauum.

A. D. 653. 37. Kal. Ian.

Quinquaginta duorum Episcoporum sub Rege Recessuindo, qui illud edicto suo per omnes Regni sui prouincias publicauit. Scriptaque sunt in eo, pro reformatione disciplinæ Ecclesiasticæ capitula duodecim; præcipue de Iudæis, vt sinceram fidem retinerent.

A. D. 657. Pontifex numero & ordine 75. A tempore Martini in Chersonesum relegati electus ad instantiam Theodori Calliopæ Exarchi vicarium Sedis Apostolicæ gessit Post obitum verò S. Martini verus Pastor Ecclesiæ præfuit per sex menses & dies 25.

EVGENIVS I.

Natione Romanus, de regione prima Auentinæ, Clericus à cunabulis, ex patre Ruffiniano. Sedit annos duos. menses octo, dies 24. Fuit autem benignus, mitis, mansuetus, omnibus affabilis, & sanctitate præclarior. Rogam clero solitam tribuit, & indigentibus eleemosynam ministrauit. Vt etiam die trāsitus sui pauperibus, vel clero, seu familiæ presbyterorum in integro erogari preciperet. Huius temporibus Petrus Patriarcha Constantinopolitanus direxit Synodicam epistolam ad Sedem Apostolicam iuxta consuetudinem priorem, omnino obscurissimam & vltra regulam, non autem declarantem operationes, aut voluntates in Do-

mino

mino nostro Iesu Christo. Et accensus populus atque clerus, quod talem Synodicam direxisset, minimè eam suscipere voluerunt, sed cum strepitu magno à Sancta Dei Ecclesia proiecta est, ita vt etiam & Papam ipsum non permitteret populus & clerus, Missas celebrare in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virg. Mariæ, quę appellatur ad Præsepe, nisi promisisset prius nusquam se eam recepturum. Fecit hic Episcopos per diuersa loca numero 22. Qui etiam Sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die 4. Nonas Iunij. Et cessauit Episcopatus mensem vnum dies 29.

Hic statuit vt Episcopi carcerem habeant ad delicta Clericorum punienda.

Itemque constituit, non licere Episcopis bona Ecclesiæ in proprios vsus conuertere.

Anno D. 655. Vltima Mensis Aug.

VITALIANVS Natione Signiensis, prouinciæ Campaniæ, de patre Anastasio. Sedit annos 13. menses. 5. minus quatuor diebus. Hic direxit responsales suos, cum Synodica, iuxta consuetudinem, in regiam vrbem ad pijssimos Principes, significans de ordinatione sua. Et dum suscepti essent, renouantes priuilegia Ecclesiæ reuersi sunt. Quorum Principum clementia per eosdem missos direxerat B. Petro Apostolo Euangelia aurea, gemmis albis miræ magnitudinis in circuitum ornata. Hic regulam Ecclesiasticam, atque vigorem, vt mos erat, omnimode conseruauit. Huius temporibus venit Constans Augustus de regia vrbe per littora Athenas, & exinde Tarentum, inde Beneuentum & Neapolim per Indict. 6. Postmodum venit Romam, quinta die mensis Iulij, feria quarta, Indictione suprascripta. Et occurrit ei obuiam Apostolicus cum Clero suo, miliario sexto ab vrbe Roma, & suscepit eum. Et ipsa die ambulauit Imperator ad S. Petrum ad orationem, & donum ibi obtulit. Die Sabbati ad S. Mariam, itemque donum obtulit. Dominico die processit ad S. Petrum, cum exercitu suo. Omnes cum cereis exierunt ei obuiam, & obtulit super altare illius pallium auro textile, & celebratæ sunt Missæ. Iterum Sabbati die venit Imperator ad Lateranas & lætus ibidem pransus est. Item Dominico die fuit statio ad S. Petrum, & post Missas celebratas, vale fecerunt sibi inuicem Imperator & Pontifex, postquam duodecim dies in ciuitate Romana perseuerasset. Omnia quæ erant in ære ad ornatum ciuitatis, deposuit, sed & Ecclesiam B. Marię ad Martyres, quæ tegulis æreis erat cooperta, discooperuit, & in regiam vrbem cum alijs diuersis quæ deposuerat direxit. Et postmodum feria secunda egressus de ciuitate Romana, reuersus est Neapolim. Inde terreno itinere perrexit Rhegium, ingressusque Siciliam per Indict. 7. & habitauit in ciuitate Siracusana, & talem afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus, vel possessoribus prouinciarum Calabrię, Sicilię, Africæ, Sardinię, per diagrapha, seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales a sæculo nunquam fuerunt, vt etiam vxores à maritis, & filios à parentibus separarent, & alia multa perpessi sunt inaudita, vt alicui spes vitę non remaneret. Sed & vasa sacrata, vel cymelia sanctarum Dei Ecclesiarum tollentes nihil reliquerunt. Et postmodum 15 die mensis Iulij per Indict. prædictus Imperator in balneo occisus est. Et non post multum temporis, antedictus Sanctissimus vir Vitalianus vitam finiuit. Fecit autem ordinationes quatuor, presbyteros 22 diaconum vnum, Episcopos per diuersa loca 97. Qui etiam Sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die 6. Kal. Februar. Et cessauit Episcopatus menses 2. dies 13.

Anno Pontificatus Vitaliani 9. Imper. venit Romam hoc est Anno Christi 663. cum fratrem germanum Theodosium Diaconum sacrum interfecisset: qui ei post mortem frequenter apparens habitu Diaconali, poculum sanguine plenum porrexerit, & dixerit Bibe frater Cuius visionis acerbitate victus abierit in Siciliam vbi per aliquot item pus manens à coniuratis occisus est. cum imperasset an. 27. Rebelles statim crearunt Imperatorem Mezentium Armenum sed Constantinus cognomen eo Pogonotus natu maior filius ab vrbe in Siciliam cum exercitu veniens nouum Emper occidit, vna cum ijs qui aduersus patrem coniurarunt, ipse vero allectis fratribus Tiberio & Heraclio in collegas vna cum eis imperauit.

Hic Papa insignis Musicus fuit & templis cantum figuralem instrumentalem & organa introduxit.

Scripsit Vitalianus Epistolas sex. *Vnam* ad Paulum Archiepiscopum Cretensem, qua eum arguit, quod Lappæ Episcopum iniuste damnauerit, & ad Sedem Apostolicam prouocantem non dimiserit, dictum Episcopum pristino honori restituens, quæ contra illum acta fuerant nulla declarat. *Secundam* ad Vaanũ Cubicularium Imperatoris, cum Ioannes Lappæ Episcopus contra Canones fuerit condemnatus, cupit vt eius opera suæ ecclesiæ restituatur *Tertiam* iterum ad Paulum Archiepiscopum Cretensem, vt episcopo Lappæ occupatas ecclesias restituat, Diaconum, qui vxorem duxit, & in duabus militat ecclesijs, corrigat:

rigat: tum vt à se Eulampium, qui male audiebat, dimittat. *Quartam* ad Georgium Episcopum Syracusanum, vt Ioanni episcopo Lappensi faueat. *Quintam* ad Osuuiū Regē Saxoniæ. Gratulatur gentes sui Regni ad fidem conuersas: vtq. Pascha, cœterasque Apostolorum traditiones obseruari. totamque insulam Deo dicari curet; & reliquias Sanctorum ei mittit. *Vltimam* ad Monachos Siculos, sub D. Patris Benedicti Regula militantes.

Ann. D. 655.

Primum Concilium sub Vitaliano celebratum est, Toletanum IX.

Sexdecim episcoporum, qui 17, Canoues pro regimine ecclesiarum conscripserunt, maximè semetipsos Pastores reformans primum, vt deinceps facilius potuissent corrigere errata subditorum.

Ann. D. 656.

Secundum Concilium Toletanum X.

Viginti Episcoporum, qui itidem Canones septem, salutaris disciplinæ gragratia conscripserunt. Festumque Pentecostes (quod olim nō in tota Hispania celebrabatur) ab omnibus pariter celebrari decreuerunt. Quod qui non fecerit, quasi nouam heresim induxisse notetur. Ibidem Potamium Bracarensem episcopum propter concubinatum, a sede deposuerunt.

Anno D. 662.

Tertium Concilium Clypiacense,

A Clodoueo Galliarum Rege conuocatum, qui medius inter Pontifices, & totius gentis Principes sedens priuilegia & immunitates certis Ecclesijs obtulit, maximè verò Cœnobium S. Dionysij libertatibus & prærogatiuis singularibus donauit. Huic conuentui interfuere prope omnes Gallicani Episcopi. inter quos quidam sancti extiterunt viri, quos sancta ecclesia dignis effert honoribus, *vt scribit Aimonius lib. 4. cap. 41.*

A. D. 664. 8. Kal. Nouemb. in Basilica S. Vicentij in vrbe Cabilono.

Quartum Concilium Cabilonense,

Itidem sub Clodoueo Rege, tempore Vitaliani Papæ celebratum, in quo 73. Episcopi (nam alij per legatos suos tantum comparuerunt) congregati nouemdecim Canones concordi definitione statuerunt, vt fidei norma, sicut in Nicæno Concilio pia est professione firmata, & postmodum à sanctis Patribus exposita in omnibus & ab omnibus inuiolabiliter conseruetur.

A. D. 664.

Quintum Concilium Anglicanum.

Seu potius collatio aliquot Episcoporum, in præsentia Regis filijque in monasterio Strenaeshalch monialium S. Benedicti, de Paschate celebrando habita. *de quo videndus est Beda lib. 3. Hist. Ecclesiasticæ Anglorum c. 25.*

Sextum Concilium Emeritense in Lusitania,

Duodecim Episcoporum, qui 23. capitula, seu verius puncta, suæ consultationis adnotarunt. piorum Patrum regulas, & veteres Ecclesiæ Canones custodientes. *Vide notas Garsiæ Loaisæ, & varias lectiones R. P. Frontonis Ducæi.*

Vltimum Concilium Romanum,

In causa Lappensis Episcopi à Vitaliano Papa celebratum. Appellauerat enim ille ad Sedem Apostolicam iniuria affectus à suo Metropolitano, & in custodia detentus: atque tandem elapsus Romam venerat, causam suam petens à Sancta Sede Apostolica cognosci. Itaque facta Synodo auditus, examinatus, & causa diligenter discussa, communi omnium suffragio absolutus.

A. D. 669. die 9. April. Huius temporibus Constantinopolis per biennium à Saracenis obsessa, tandem per tutelam Dei Genitricis obsidione liberata fuit. Theoph. in Annal.

ADEODATVS

Natione Romanus, de patre Iouiniano, ex Monacho Summus Pontifex creatus, sedit annos 7. menses 2. dies 17. mitissimus ac benignissimus fuit, vt omnem hominem à maiori vsque ad minimum libenter susciperet, in tanta dignitate constitutus, peregrinisque compassionem exhiberet, vt etiam vnusquisque quod postularet, sine dubio impetraret. Sed & rogam omnibus ampliauit. Huius tēporibus Mezentius, qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, tyrannizauit & arripuit regnum. Tunc perrexit exercitus Italiæ per partes Istriæ, alij per partes Campaniæ necnon & alij per partes Sardiniæ & Africæ, qui omnes peruenerunt

in

in Siciliam, in ciuitatem Syracusanam, & Deo auxiliante interemptus est Mezentius supranominatus, & multi ex iudicibus eius truncati perducti sunt Constantinopolim, simul, & caput eiusdem inuasoris. Postmodum venientes Sarraceni in Siciliam, obtinuerunt prædictam ciuitatem, & multam occisionem fecerunt in populo, qui in castra seu montana confugerant. Similiter, & prædam nimiam abstulerunt, æs quoque, quod ibidem à ciuitate Romana delatum fuerat, secum tollentes, Alexandriam reuersi sunt. Hic Ecclesiam B. Petri, quæ est via Portuensi iuxta campum Meruli, vt decuit, restaurauit, atque dedicauit. Et in monasterio S. Erasmi, in Cælio monte sito, in quo mansisse, & creuisse visus est prædictus sanctissimus vir, multa noua ædificia augmentauit, sed et prædia casaliaq. conquisiuit, & in vita sua Abbatem, vel congregationem ibidem instituit. Post cuius transitum, tantæ pluuiæ, & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum meminerat fuisse, vt etiam homines, & pecudes de fulgure interirent. Et nisi per Letanias, quæ quotidie fiebant Dominus fusset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere. In tantum enim creuere hæc mala, vt ex ipsis pluuijs denuo legumina renascerentur, & ad maturitatem deuenirent, quod maximè homines mirabantur. Fecit hic ordinationem vnam per mensem Decembr. prerbyteros. 14. Diaconos 2. Episcopos per diuersa loca. 46. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum, sub die 6. Kalen. Iulias. Et cessauit Episcopatus Menses 4. dies 15.

Sub hoc Pontifice ann. 4. Constantini Pogonoti Imper. Græci annales tradunt cœlesti signo perter refactum orbem, ita vt videretur einsinteritus imminere.

Scripsit epistolam vnam, ad vniuersos Episcopos Galliæ, de priuilegio, quod concessum est Abbati Monasterij sancti Marrini.

Ann. D. 670.

Primum Concilium, tempore Adeodati Papæ, fuit Anglicanum.

Præside Theodoro Dorouernensi Episcopo sedis Apost. Vicario, in quo ea quæ vnitati pacis Ecclesiasticæ congruere videbantur capitulis decē conclusa fuere.

Ann. D. 675. 7. Idus Nouemb.

Secundum Concilium Toletanum XI.

Nouemdecim Episcoporum, in quo 16. capitula, pro erratiū correctione, decreta fuerunt, sediumque Episcopaliū diuisio facta est, Anno 4. VVambani Regis.

Ann. D. 675.

Tertium Concilium Bracarense III.

In quo octo Episcopi Hispaniarum, octo capitula, pro reformatione eorum, quę intra Dei Ecclesiam peruersa actione gerebantur, in Christi nomine conscripserunt. Præcipuè de cultu reliquiarum religioso ex antiquis Canonibus doctrinam apposuerunt.

Ann. D 676. Ipsis Kal Nouemb. Constantini Pogon. anno 9.

DONVS. Natione Romanus, ex patre Mauritio, sedit annum vnum, menses 5. dies 10. Hic atrium B. Petri Apostoli superius, quod est ante Ecclesiam in quadriporticu, magnis marmoribus strauit. Sed & Ecclesiam Apostolorum sitam via Ostiensi, vt decuit restaurauit atque dedicauit. Itemq. Ecclesiam S. Euphemiæ positam via Appia similiter dedicauit. Clerum quoque diuersis ordinibus, & honoribus ampliauit. Hic reperit in vrbe Roma, in Monasterio quod appellatur Boetianum, Nestorianitas, monachos Syros, quos per diuersa monasteria diuisit, & in prædicto monasterio, monachos Romanos instituit. Huius temporibus Ecclesia Rauennatum, quæ se ab Ecclesia Romana segregauerat causa autocephaliæ, denuo se pristinæ Sedi Apostolicæ subiugauit. Cuius Ecclesiæ Præsul, nomine Reparatus è vestigio, vt Deo placuit, vitam finiuit. Hic dum esset electus per Augusti mensem, apparuit stella a parte orientis à galli cantu vsque mane per menses tres, cuius radij cœlum penetrabant. In cuius visione surgentis omnes prouinciæ, & gentes mirabantur, quidnam futurum sit post eius apparitionem? Sed subsecuta est mors, pestilentia ex Orientalibus partibus coorta. Fecit autem ordinationem vnam, presbyteros. 10. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca numero sex. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die 4. Idus April. Et cessauit Episcopatus mensesduos, dies 15.

Eodem tempore Agareni, occupato Libano in illis partibus consæderunt tributo Romanis Imperat. concesso qui à mōte Maro hodiedum vocātur Maronitæ.



LIBER XI.

Hoc tempore Bulgari ex septemtrionalibus Euxini Ponti partibus oriundi, & à Bulga flumine Bulgari dicti, primam irruptionem in Thraciam fecerunt cum quibus Imperator iniquis conditionibus pacem transegit, vt paccatum tempus celebrandi Generalis Concilij haberet.



OLVTVS bellicis curis religiosissimus Princeps Constantinus Pogonotus, ad pacem Ecclesiæ restituendam totum animum adiecit, cumq. vidisset Theodorum Cōstantinopolitanum Episcopum, & Macarium Patriarcham Antiochenum, signiferos esse hæresis Monothelitarum, eosdemque acerrimos aduersarios Pontificum Romanorum, vt qui neminem alium (vnius excepto Honorij nomine, quem ab ipsorum partibus stetisse mentiebantur) ex illis, in sacris Ecclesiæ dyptichis recitandum putarunt, egeruntq. apud Imperatorem, vt relatum in easdem sacras tabulas nomen Vitaliani Pontificis deleretur. subolfaciens aliquid de labe hæreseos contraxisse Episcopos illos, omnino id faciendum negauit, sed scriptis ad Donum Pontificem, de pace inter Orientalem, atque Occidentalem Ecclesiam quantocyus componenda, inuitis etiam hæreticis; ac sæpe discordiarum fomitem subijcientibus, Deo fauente, id feliciter, & ex sententia consecutus est, quod ad maiorem Dei gloriam animæque suæ salutem spectare videbat, vt ex subsequentibus facilè colligere prudens lector poterit, vel ipsius Agathonis Papæ rebus gestis breuiter inspectis.

Ann. D. 678. 10. Iulij.

Constantini Pogonoti Impe. A. II qui Theodorum Constātinopolitanæ Ecclesiæ Præsulem Monothelitam hæreticum nō ferens eum protinus cessare voluit. & Georgium in locum eius Orthodoxum substituit, qui prasēs, postea fuit Sexta Oecumenicæ Synodo. Theodorus enim eo temeritatis progressus fuerat, vt post Honorium neminem Romanorum Pontificum in sacris dypticis reperiri permitteret, & contra expressā ipsius Imperatoris iussionē Vitalianum Papam ex eisdem eraderet.

AGATHO. Natione Siculus, ex monachis; sedit tribus annis. & mensibus plus minus quinque. Tantum benignus, et mansuetus fuit, vt etiam omnibus hilaris, & iucundus comprobaretur, Huius temporibus Theodorus Archiepiscopus Rauennæ semetipsum sedi Apostolicæ post multorum annorum schisma præsentauit, & subiecit. Hic suscepit diualem iussionem pijssimorum Principum, Constantini Heraclij, & Tyberij Augustorum, per gloriosum Epiphanium à secretis, missam antecessori suo Dono Papæ, inuitantem, atque adhortantem, vt Sacerdotes, vel missos suos dirigeret in regiam Vrbem, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarū: quod, & ordinare non distulit, & direxit Abundantium Paternensem, Ioannem Regianum, & Ioannem Portuensem, Episcopos; Theodorum, & Georgium presbyteros; Ioannem Diaconum; & Constantinum Subdiaconum; tum Theodorum Presbyterum Rauennatem, atque religiosos seruos Dei monachos: Clerum videlicet ex diuersis ordinibus, & super quod competebat, eos honoribus ampliauit. Hic vltra consuetudinem Arcarius Ecclesiæ Romanæ effectus est, & per semetipsum causam Arcariæ disposuit, emittens videlicet de suscepta per nomenclatorem, manu sua obumbrata: Sed infirmitate detentus, Arcarium iuxta consuetudinem instituit. Huius temporibus Indict. 8, Luna ecclypsim pertulit mense Iunio die 28. Similiter mortalitas maior atque grauissima subsecuta est mense suprascripto, Iulio, Augusto, & Septemb. in Vrbe Roma, qualis nec temporibus aliorum Pontificum fuisse memoratur, vt etiam parentes cum filijs, atque fratres cum sororibus bini per lectos ad sepulchra deducerentur. Pa-

ri etiam modo foras circa quæque suburbana, & castra eadem mortalitas diffusa, vastare non cessabat. Suprascripti verò missi Sedis Apostolicæ, directi fuerant in regiam Vrbem, ingredientes die 10. mensis Septembris Nona Indict. Domino solante, atque Principe Apostolorum comitante suscepti sunt à Principe in Oraculo B. Petri Apostoli intra palatium, porrigentes ei scripta Pontificis. Quæ dum suscepisset, commonuit eos, atque adhortatus est, vt non per schisma, aut furorem, sed pacifica dispositione omittentes philosophicas assertiones, puram sanctarum scripturarum Patrumq. & probatam fidem per Synodalia decreta definirent. Et dans inducias ad retractanda scripta, tribuit eis omnia, quæ sustentationem concernebant sufficienter in eorum expensas, in domo, quę appellatur Placidia. Qui postea 18. mensis suprascripti, die Dominico aduocati sunt in processione ad sanctam Dei Genitricem in Blachernas in tanta honorificentia, vt etiam de palatio caballos stratos dirigeret cum obsequio pietatis imperialis, & sic eos susciperet. Ea ipsa commonens, vt pacifica assertione testimonia venerabilium Patrum proponerent. Die 22. mensis Nouembris in Basilica, quæ Trullus appellatur, intra palatium, sub regali cultu residente cum Constantino Augusto, Georgio Patriarcha Constantinopolitano, ac Macario Antiocheno, suscepti sunt missi Sedis Apostolicæ, deinde Metropolitæ, vel Episcopi Orientalium partium numero centum quinquaginta. Qui proni adorantes, desiderē eos præcepit vna cum nostris. Post hæc Patritij quinque, omnesq. inclyti introierunt. Et habita inquisitione ab eius pietate, cuius partis deberet ostensio approbari, Legati Sedis Apostolicæ dixerunt. Opportuna veritas, & ratio exigit, vt à parte eorum, qui vnam voluntatem, & operationem in Domino Iesu Christo asserunt, Apostolicæ Sedi exponatur. Qui audientes lęti facti paratos se esse dixerunt. Et accepta licentia, ea hora suos intromiserunt libros, & tomos diuersos, & Synodos quas falsauerant. Nam non per veritatē se superare nitebantur, sed per mendacia, & diuersa commenta, quæ in libris suis ipsi addiderant. Et relegentes per singula, reperti sunt mendaces, vnam operationem, & voluntatem in Domino Iesu Christo esse dicentes. Et in quinta Synodo epistolam Vigilij Papæ, ad Mennam Patriarcham, atque libellum eiusdem Mennæ, in quaternionibus nouiter additis falsauerunt, vnam voluntatem, & operationem dicentes; quod coram Principe, & Synodo claruit. Alia die Catholicę fidei defensor pius Princeps, in secretario residens, inquisitione de ipsis codicibus facta, ita reperit falsa nouiter addita fuisse.

Die 12. mensis Nouembris residente Synodo cum eius pietate, suscepti sunt missi Sedis Apostolicæ, & præcepit eos in Synodo præsidere, præsentantes locum sanctissimi, ac beatissimi Agathonis Papæ. Quibus dictum est, vt omnes libros, quos scirent ad causam fidei pertinere, coram Synodo adducerent, quod, & factum est, Et vocato Georgio Diacono, & Cartophilace Ecclesiæ Constantinopolitanæ, præceptum est ei, iuxta eorum notitiam, codices ex Bibliotheca Ecclesiæ ad medium deducere. Et dum adducti essent, & relegerentur, vtrique similes reperti sunt, cum libris legatorum Sedis Apostolicæ, duas naturas, duasque voluntates, & operationes in Domino Iesu Christo habentes. Et confusus Macarius coram Synodo, quia inuentus est mendax. Tunc interdixit pietas Augustalis Georgio Patriarchæ, vt minimè in Ecclesia sua susciperet Macarium, vel eius homines, interdicens ei processum. Hæcq. prima eius ruina fuit.

Die deinde 13. Febr. auxiliante B. Petro Apostolo, vt veritatis lumen appareret, intromissa sunt coram Synodo venerabilium Patrum dicta, Ioannis Constantinopolitani, Cyrilli, Athanasij, Basilij, Gregorij, Dionysij, Hilarij, Ambrosij, Augustini, & Leonis, duas naturas, & voluntates, & operationes in Christo asserentia, ad satisfactionem Principis, et Synodi.

Sequenti die in eodem secretario residente Synodo, vna cum Principe, Synodica sanctissimi Agathonis Papæ relecta est, et ad singula comprobata, patrum

dicta inserta: in qua Sydonica Episcopi Occidentalis partis subscripserunt numero centũ viginti quinque. Cumque post hæc adhortatus esset, dicendus Macarius à sancta Synodo, vel à pio Principe, omniq. Senatu, vt profiteretur vnam aut duas voluntates, & operationes, nullatenus audire voluit, sed potius, neque vnam, neque duas in Saluatore voluntates dicere maluit. Deinde protulit pijssimus, & serenissimus Princeps Tomum ad relegendum, in quo vanum hæreticum dogma Macarij erat conscriptum, & eius manu subscriptum, apertissimè vnam voluntatem in Domino affirmantis. Sub ipsius autem scriptione. & Theodori Expatriarchæ, vtique iuxta eundem tenorem ibi subscriptio erat. Et interrogatus Georgius Patriarcha, si eam fidem, quam docet Sedes Apostolica amplecteretur, iuxta scripturam venerandi Agathonis Papæ, seu Sanctorum, ac venerabilium Patrum? Respondit, quod accepta licentia in scriptione, quæ opportuna erant, respondere vellet. Et in his recedentes, die 17. Mensis Februarij, die dominico, intra oraculum S. Petri in Palatio, astante Sincleto, simulque & Patriarcha, Augustus legatos sedis Apostolicæ suscepit, relegens suggestionẽ aliam, pro eorum commendatione à sanctissimo Papa directam. Statimque Georgius sanctissimus Patriarcha, professus est eo die in scriptis duas naturas, duasque voluntates, & operationes in Domino Iesu Christo se credere, & prædicare, sicut sedes Apostolica credit: anathematizans eos qui vnam naturam, & voluntatem, atque operationem in Domino Iesu Christo dicunt.

Die 25. mensis Februarij, residente Synodo vna cum pio Principe, simulque & legatis sedis Apostolicæ, Macarium adesse iusserunt. Et data à Principe licentia, vt in partes, quamquis vellet, irent: Georgius Patriarcha regiæ ciuitatis, cum suis in parte Orthodoxorum stetit: Macarius verò cum suis in parte alia hæreticorum. Et producens in medium professionem Georgij Patriarchæ, quam fecerat, porrexerunt Orthodoxi Principi, & relecta est. Suprascriptus vero Macarius commonitus, quid sentiret vel crederet? Respondit se in eadem perfidia, quam ante proposuerat, perdurare, & nullatenus in fide cum Orthodoxis acquiescere. Quo audito, ea hora sancta Synodus, vnà cum Principe, eius orarium auferri iusserunt à collo eius: & exiliens Basilius Episcopus Cretensis Ecclesiæ, eius orarium abstulit, & anathematizantes proiecerunt eum foris Synodum, simulque. & thronum eius. Stephanum autem discipulum eius ceruicibus à sancta Synodo Clerici Romani eijcientes expulerunt. Ea hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, vt omnes mirarentur, ac dicerent, quod sordes hęresum expulsæ sunt. Et Deo auxiliante, vnitæ sunt sanctæ Dei Ecclesiæ. In loco vero Macarij ordinatus est Theophanius Abbas monasterij, quod appellatur Baias, Insulæ Siciliensis, Patriarcha Antiochenus. Macarius verò cum suis amatoribus, id est, Stephano, Anastasio, expresbyteris, et Leontio ex Diacono, Polychronio, Epiphanio, itidem expresbyteris in exilium deputatis, ad prosequendum, quam interposuerant appellationem, in Romanam directi sunt ciuitatem. Deinde abstulerunt de dypthichis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, et de picturis Ecclesiæ figuras eorum, et de foribus, aut vbicunq. esse poterant auferentes, id est, Cyri, Sergij, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error Orthodoxæ fidei vsque nunc pullulauerat. Tanta autem gratia diuina, Omnipotentis Dei concessa est missis sedis Apostolicę, vt ad lætitiam populi, vel sancti Concilij, qui in regia vrbe erant, Ioannes Episcopus Portuensis, Dominico die octauarum Paschę, in Ecclesia B. Sophię missas publicas Latine celebraret coram Principe, et Patriarcha, vt omnes vnanimiter in laudes, & victorias pijssimorum Imperatorum, eo die Latinis vocibus acclamarent.

Cum inuasissent Gothi Italiam, Reges eorum Ariani imposuerãt iugum Ecclesiæ Cathol. vt octuaginta libras auri re-

Hic suscepit diualem iussionem, secundum suam postulationem, vt suggessit per quam releuata est quantitas, quę solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen, vt si contigerit, post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur,

in

in regiam vrbem, secundum antiquam consuetudinem; & cum eorum consciẽtia, & iussione, debeat ordinario prouenire. Hic diuisit omni clero rogam vnam & ad luminaria Apostolorum, & S. Mariæ ad Pręsepe solidos duo mille centum & quadraginta dedit. Fecit autem ordinationem vnam, presbyteros. 10. Diaconos tres, Episcopos per diuersa loca numero 18. Qui etiam sepultus est apud B. Petrum APostolum sub die 4. Idus Ianuarij. Et cessauit Episcopatus annum vnum, menses 7. dies 5.

cens creatus Pontifex pro sua ordinatione fisco regio persolueret. Qua summa post extinctos Gothos ab Orientalibus Imperatoribus exigebatur. Hanc igitur Constantinus Pogonotus Agathoni Papæ remisit, ius tamen confirmationis antiquitus vsurpata retinere voluit

Scripsit epistolas duas, vnam ad Augustos Imperatores, quæ inserta est actioni Quartæ Concilij Generalis Constantinopolitani. Et alteram nomine totius Concilij Romani, & suo, quæ fuit velut instructio quędam Legatorum, qui missi fuerant ad Synodum sextam generalem in vrbe regia celebrandam.

Primum Coucilium sub Agatone, Anglicanum.

Anno D. 679.

In quo fides Orthodoxa confirmata est sub præsidio Theodori Dorouernensis Episcopi, qui natione Grecus, peritiaq. sacrarum scientiarum celeberrimus, coalescentem Ecclesiam Anglicanam, atque lacte adhuc opus habentem conuentu Episcoporum facto in fide confirmauit. *Vide Bedam lib. 4. cap. 13. Hist. Angli.*

Secundum Concilium Mediolanense.

Anno D 679. Paul Diac. lib. 6. c. 4.

Auctoritate Mansueti Mediolanensis Præsulis congregatum, quo Monothelitarum heresin condemnarunt, Orthodoxæq. fidei professionem ediderunt, & Synodalem epistolam ad Constantinum Imperatorem pro Concilio Oecumenico Constantinopolim mittendam esse censuerunt, quæ vt testatur Paulus Diaconus, non mediocre ibi suffragium tulit.

Tertium Concilium Romanum.

An. D. 680.

Quo 125. Episcopi Orthodoxam fidem confirmarunt, Monorhelitarum hæresim condemnarunt, atque Legationem Constantinopolim ad Synodum Oecumenicam decreuerunt.

Quartum Concilium Constantinopolitanum. III.

Sextum Oecumenicum seu vniuersale approbatum:

In quo ducenti octoginta nouem Episcopi, Monothelitarum heresim condẽnarunt sub Agathone Papa, & Constantino Pogonato Imperatore. Anno Redemptoris nostri 680. inchoatum, & sequente absolutum in secretario sacri palatij, quod cognominatũ est Trullus. hoc est, Cuppula Nomine Sedis Apostol. pręsederunt, Theodorus, & Georgius presbyteri Romani, & Ioannes Diaconus, qui in singulis Actionibus (quæ sunt numero Octodecim) primi omnium nominantur, & subscribunt. Constantinus Imperator cum suis magistratibus eminentiore loco sedens Concilio interfuit, non vt (quod inepte aiunt hæretici) eidem præsideret, causamque Synodalem diiudicaret, neque vt voto suo decisiuo aliquid definiret; sed tantum, vt à sacro Patrum conuentu, omne contentionis, rixarum, & tumultus periculum auerteret, sanctæq. Synodo, prout in sacra ad Donum Pontificem missa promiserat, securitatem & tranquillitatem procuraret.

Acta huius Concilij multis in locis deprauata sunt Centumq. & tres Canones qui sub nomine huius sextæ Synodi Oecumenicæ hactenus vulgati fuerunt non à patribus Concilij Oecumenici sãciti fuerunt, sed à quodam conciliabulo post annos decem Constantinopoli in Trullo habito, tẽpore Sergij Papæ & Iustiniani Iunioris. Ann. D. 692. vt inferius in Sergio dicemus.

Quintum Concilium Toletanum XII.

Anno Redemptoris nostri 681. Eringij Regis ano. primo in Basilica Sanctorum Apostolorum.

Triginta quinque Episcoporum, ad Regem confirmandum, circa tempora Agathonis Papæ habitum, gens enim Gothorum libera electione Reges creabat, & confirmabat in dominio prouinciarum subiectarum. In hoc Concilio ad disciplinam Ecclesiasticam formandam tredecim Canones valde vtiles toti Christianitati cõscripti sũt, & Regis edicto per prouincias Regni publicati. Leges enim condere post peracta Concilia in eorum confirmationem, ab Imperatoribus Romanis, Reges Ghoti acceperunt: gens cum in hac re, tum in alijs plerisque Imperij æmula.

Sextum Concilium Rothomagense.

Ann. D. 682. Theodorici Regis an. 13.

Sub Theodorico Rege Galliarum, tempore interregni Pontificij celebratum à san-

à sancto Ansberto Præsule Rothomagensi: qui conuocatis Episcopis atque Abbatibus, plurima Deo accepta, & sanctæ Ecclesiæ vtilitatibus profutura constituit.

Anno D 683. Constātini Pogonati Imper. a. 16 die 16. mensis Augusti. Hic pallia gratis danda esse et Osculum pacis in sacrorū cultu populo circumferre in Eccl. cōstituit. Quod quo in dies possit baptismus fieri, idem acta Synodi sexta latinit. donauit, & confirmauit. quæ per legatos acceperat vna cum rescripto piissimi Principis qui ei nunciat Agathonis fidem à Concilio fuisse approbatā Macariū. & socios qui resipiscere noluerunt Romam mitti. Hortaturq. vt hæreticos, impugnet & Apocrisarios ad se mittat.

LEO II.

Natione Siculus, ex patre Paulo, sedit menses 10. dies 8. Vir eloquentissimus, & in diuinis scripturis sufficienter instructus, Greca Latinaque lingua eruditus, cantilena, ac psalmodia præcipuus & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus: lingua quoque scholasticus maiori lectione politus; exhortator omnium bonorum operum: eorumq. scientiam plebi feruentissimè ingerebat: paupertatis amator, & inopum prouisor diligentissimus, non solum mentis pietate, sed & studij sui labore sollicitus. Hic suscepit sanctam sextam Synodum, quæ per Dei prouidentiam nuper in regia Vrbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam, exequente, ac residente piissimo, & clementissimo magno Principe Constantino, intra regale Palatium eius, quod appellatur Trullus, simulq. cum eo legati Sedis Apostolicę, & duo Patriarchæ, id est Constantinopolitanus, & Antiochenus, atque 289. Episcopi, in qua, & condemnati sunt Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, necnon & Macarius cum discipulo suo Stephano; sed & Polychronius nouus Simon, qui vnam voluntatem, & operationem in Domino Iesu Christo dixerunt, vel prędicauerunt, aut qui denuo prædicaturi fuerint, aut defensauerint. Sed vt & nūc duę voluntates, & operationes ipsius dispensatoris Christi, & Saluatoris Dei nostri dicantur, sicut eadem Synodus studiosissime in latinum translata declarat. Veruntamen de suprascriptis defensoribus malorum hæreseos, dum nollent à suo recedere proposito, per diuersa monasteria sunt retrusi, absoluit duos viros prædictus sanctissimus Leo in percipienda communione, qui de regia Vrbe cum suprascripto Macario & cæteris, in Romanam directi sunt ciuitatem, qui nec dum à Synodo anathematizati erant, id est, Anastasium presbyterum, & Leontium Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, in die sancto Theophaniæ, exponentes videlicet per propria scripta fidem suam, iuxta quod & sancta Synodus determinauit, anathematizantes videlicet omnes hæreticos, sed & suprascriptos viros complices quos sancta Synodus, vel sedes Apostolica anathematizauit.

Huius temporibus percurrente diuali iussione clementissimi Principis, restituta est Ecclesia Rauennatum, sub ordinationem sedis Apostolicæ, vt defuncto Archiepiscopo, qui electus fuerit iuxta antiquam consuetudinem in ciuitatem Romanam veniat ad ordinandum. Hic fecit constitutum, quod archiuo Ecclesię continetur, vt qui ordinatus fuerit Archiepiscopus nulla consuetudine pro vsu pallij, aut diuersis officijs Ecclesiæ persoluere debeat: sed & ne Mauri quondam Episcopi Rauennæ (*qui primus suscepta hæresi rebellis fuerat Sedi Apostolicæ*) anniuersitas aut agenda celebretur: Typum quoque autocephaliæ, quem sibi elicuerant ad amputanda scandala sedi Apostolicę restituerunt. Hic fecit Ecclesiam in Vrbe Roma iuxta sanctam Bibianam, vbi corpora sanctorum Simplicij, Faustini, & Beatricis, atque aliorum martyrum recondidit, & ad nomen Beati Pauli Apostoli dedicauit. Huius almi pontificis iussu Ecclesia iuxta velum aureum in honorem Beati Sebastiani ædificata est, nec non in honorem martyris Georgij. Huius temporibus die decimasexta mensis Aprilis, Indictione vndecima, Luna ecclypsim pertulit, post cœnam Domini, nocte pene tota in sanguiguineo vultu elaborauit, & nisi post galli cantum cœpit paulatim delimpidare, & in suum reuerti statum. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Iunij, die 27. presbyteros 9. Diaconos 3. Episcopos per diuersa loca num. 23. Qui etiā sepultus est ad B. Petrum Apostolum, sub die quinta Nonas Maij. Et cessauit Episcopatus menses vndecim dies 22. Qui suprascriptus sanctissimus vir ordinatus est à tribus Episcopis, id est, Andrea Hostiensi, Ioanne Portuensi, & placen-

centino Veliternienſi, pro eo quod Albanenſis Eccleſia Epiſcopum minime habuit.

Scripſit Epiſtolas quinque, *Vnam*, ad Conſtantinum eius nominis IV. dictum Pogonotum, confirmans & approbans ea, quæ in ſancto & vniuerſali ſexto Cōcilio geſta & definita fuere. *Alteram* ad vniuerſos Epiſcopos per Hiſpaniam conſtitutos, qua Sexti Generalis Concilij Acta narrat; in quo damnatis hæreticis, Catholicę fidei definitio, de duabus in Chriſto volūtatibus, & operationibus promulgata fuit, quam tranſmittit omnibus manifeſtandam, cuique ipſi Epiſcopi ſubſcribere debeant. *Tertiam*, ad Quiricum Epiſcopum, cui Synodi definitionē & quędam munera mittit. *Quartam*, ad quendam Comitem Simplicium nomine, cui ſimiliter Acta Concilij mittit, vt eam Epiſcopi ſubſcribant, & omnibus innoteſcere curent. *Vltimam* ad Erugium Regem Gothorum in Hiſpania, eiuſdem argumenti.

Anno Dom. 684.

Vnicum Concilium Toletanum XIII.

Quadraginta octo Epiſcoporum, die ſecundo Non. Nouemb. in præſentia glorioſiſſimi Principis Eruigij in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli celebratum. Qui præmiſſo Symbolo fidei, tredecim Canones pro retinenda diſciplina Eccleſiaſtica conſcripſerunt; quos etiam Rex lege ſua firmauit, & in notitiam ſuorum ſubditorum deduxit.

Anno D. 684. Conſt. Pogonoti anno 17. die 2. Auguſti. Pontifex in ordine 80.

Hic ab Imperatore impetrauit libertatem priſtinam Eccleſia Romana, vt libere Pontificem electum conſecret, nullam Imperatoris cōfirmationem requirens, quam paulo antea Gothorum Regum Arianorū per vim extortam nonnulli Imperatorum ſibi vendicauerant. Quam gratiā dum Conſtātinus Pogonotus Imp. Eccleſiæ contuliſſet, annoſque 17. feliciter imperaſſet, mortuus eſt, relicto Iuſtiniano filio Imperij herede. Cuius cirros capillorum detonſos miſerat pro veteri conſuetudine ad Pontificem & Romanos, vt eum Pontifex quaſi filium adoptiuum diligeret, illi vero venerarentur & obſeruarent vt Principem legitimum ſucceſſorem.

BENEDICTVS II. Natione Romanus, ex patre Ioanne, ſedit menſes octo & dies decem & ſeptem. Hic ab ineunte ætate ſua Eccleſiæ militauit, atque ſe ſic in diuinis ſcripturis & cantilena, à puerili ętate, & in presbyterij dignitate exhibuit, vt decet virum ſuo nomine dignum, in quo verè ſupernæ benedictionis gratia redundauit, & nomine pariter & operibus, vt dignus ad Pontificij regimen adueniret. Paupertatis amator, humilis, manſuetus, patientiam habens, atque manu largiſſimus. Hic eccleſiam B. Petri Apoſtoli, ſed & B. Laurentij Martyris, quæ appellatur Lucinæ, reſtaurauit. Itemque in Eccleſia B. Valentini via Flaminia fecit coopertorium ſuper altare cum clauis & faſtellis, & in circuitu palergium chryſoclauum precioſiſſimum. Similiter, & in Eccleſia Beatæ Mariæ ad Martyres, aliud coopertorium prophyreticum, cum cruce & gemmulis, quatuor chryſoclauos, & in circuitu palergium de holoſerico pulcherrimum; nec non & in titulo ſupraſcripto Lucinæ aliud coopertorium ornatum holoſericum. Fecit autē calices aureos miniſteriales duos, penſantes ſingulos libras ſingulas. Hic ſuſcepit diuales iuſſiones clementiſſimi Conſtantini, Magni Principis ad venerabilem Clerum, & populum, atque fæliciſſimum exercitum Romanæ ciuitatis: per quas conceſſit, vt perſona qui electus fuerit ad Sedem Apoſtolicam è veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur. Hic vna cum clero & exercitu ſuſcepit mallones capillorum Domini Iuſtiniani & Heraclei filiorum clemētiſſimi Principis; ſimul & iuſſionem per quam ſignificat eoſdem capillos direxiſſe. Huius temporibus apparuit ſtella noctu iuxta vigilias, per diem cœlo ſereno, inter Natiuitatem Domini, & Theophaniam, omnimode obumbrata, veluti luna ſub nube. Itemq. menſe Februario, poſt natalem Sancti Valentini, in die ab occaſu exijt ſtella meridie, & in partes orientis declinauit. Poſt hęc mons Bebius (ſeu Veſuuius) qui eſt in Campania menſe Martio eructauit per diem, & omnia loca circumquaque præ puluere cineris illius exterminata ſunt. Hic clerum ex diuerſis ordinibus in die ſancto Paſchæ honoribus ampliauit, ac ipſe è veſtigio in infirmitatem incidit, poſtq. dies aliquot defunctus eſt. Hic diuiſit omni Clero, monaſterijs, diaconiæ, & manſionarijs auri libras triginta. Fecit autem Epiſcopos per diuerſa loca nu. 12. Qui etiam ſepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum ſub die 8. Id. Maij, Et ceſſauit Epiſcopatus menſes duos, dies quindecim.

Scripſit Epiſtolas duas. *Vnam* ad Petrum Notarium Regionarium, qua monet

net illum, vt acta Synodalia sexti Concilij (quorum gratia à Leone secundo antecessore suo in Hispanias missus erat) Episcoporum Hispaniæ subscriptione muniri curaret. *Alteram* ad Eruigium Regem in eodem argumento.

A. D. 684.

Concilium Toletanum XIV.

Episcoporum 17. sub Benedicto II. celebratum est, in quo acta Concilij Generalis Sexti, à Leone II. missa recitata & suscepta sunt; hæresis Monthelitarum damnata; & pro conseruatione fidei Orthodoxæ quædam monita salutaria conscripta sunt.

Ann. D. 685. Iustiniani Iunioris Imp. an. 1. Hic summum Pontificem voluit consecrari ab Ostiense Portuense & Veliterano Episcopis Primusque inexpectata Imper. auctoritate in Pontificem ordinatus est cum interea Paschalis custos Ecclesiastici thesauri ingentem vim auri offerret Exarcho Italiæ Ioanni, vt se Pontificem vel vi crearet.

IOANNES V. Natione Syrus, ex prouincia Antiochia, ex patre Cyriaco, sedit annum vnum, dies 9. Vir valde strenuus, atque scientia præditus, & omnimode moderatus. Hic post multorum Pontificum tempora vel annorum, iuxta priscam consuetudinem, à generalitate, in Ecclesia Saluatoris, quæ appellatur Constantiniana, electus est atque exinde in Episcopium introductus. Hic dum esset Diaconus, missus fuerat à sanct. mem. Agathone Papa in Regiam vrbem cum alijs sacerdotibus, repræsentans locum Apostolicæ Sedis in Sancta sexta Synodo, quę per Dei prouidentiam ibidem congregata & celebrata fuit. Expleta autem, exinde à clementissimo Principe relaxatus, magnum gaudium Ecclesiæ secum detulit: id est, ipsam sanctam sextam Synodum, & edictum clementissimi Principis confirmans eandem Synodum. Nec non & alias diuales iussiones releuantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ & Calabriæ non pauca: sed & perceptionem frumenti similiter, & alia diuersa, quæ Ecclesia Romana annue imperio tenebatur persoluere. Hic consecratus est à tribus Episcopis, Ostiensi, Portuensi, Veliterniensi, sicuti prædecessor eius Leo Papa. Huius temporibus, regnauit Dominus Iustinianus Augustus defuncto patre initio mensis Septembris, Indictione decimaquarta. Qui clementissimus Princeps Domino auxiliante pacem restituit cum nec dicenda gente Saracenorum, decennio terra marique, Sed & prouincia Africa subiugata est Romano Imperio, atque restituta. Hic post multorum annorum curricula propter trasgressionem ordinationis Ecclesię Turritanæ in Sardinia, quam sine auctoritate Pontificis fecerat Citonatus Archiepiscopus Caralitanus, pro eo quod antiquitus ordinatio fuit Sedis Apostolicæ, & ad tempus concessa fuerat ipsa ordinatio eidem Ecclesiæ: Postmodum proteruia faciente Archiepiscorum, per præcepta Pontificum ab eadem ordinatione suspensi sunt, iuxta determinationem sanctę memorię Martini Papæ. Et facto concilio sacerdotum Nouellum Episcopum, qui ab eodem Archiepiscopo ordinatus fuerat, sub ditione Sedis Apostolicæ reintegrauit, atque firmauit: quorum chirographus archiuo Ecclesiæ retinetur. Qui sanctissimus vir diutina infirmitate detentus est, vt etiam vix ordinationem Sacerdotum explere potuisset. Hic dimisit omni Clero, Monasterijs Diaconibus, & Mansionarijs solidos mille & nongentos. Fecit autem Episcopos per diuersa loca numero tredecim. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die secunda mensis Augusti. Et cessauit Episcopatus menses duos, dies 18.

Ann. D. 685.

Conciliabulum Gallicanum

Sub hoc tempus celebratum à Theodorico Rege Galliæ, qui conuocatis Regni sui Episcopis opera Ebroini domus suæ Magistri, multos Episcopatibus suis priuauit, aliquos verò irreuocabili exilio tyrannicè damnauit. *De quo vide Sigebertum in Chron. anni 685. item Baronium anno eodem.*

A. D. 668. 21. Octob. Iustiniani Iunioris 2. qui patris sui exemplo bene mereri de Ec.

CONON Natione Thrax, educatus in Sicilia, Romam veniens & ecclesiæ militans, ad presbyterij honorem peruenit. Sedit menses vndecim, dies 23. In cuius electione, dum ad Episcopatum quæreretur, non minima contentio facta est, eo quod Clerus in Petrum Archipresby-

byterum intendebat. Exercitus autem omnis in Theodorum presbyterum, & Clerus quidem adunatus ante fores Basilicæ Constantinianæ sustinebat, eo quod missi fuerant de exercitu ad custodiendas valuas Basilicæ, quas clausas obseruabant. & minimè quenquam ingredi permittebant. Exercitus autem omnis in Basilica S. Stephani Protomartyris, similiter adunatus fuerat. Et neque illi Clero consentiebant: neque Clerus exercitui acquiescebat, pro suprascriptis presbyterorum personis. Sed dum misso ab vtrisque partibus responso, irent diutius & redirent, nihilque proficerent ad concordiam, consilio ducti sacerdotes & Clerus vnanimiter, ingredientes in Episcopium Lateranense, elegerunt & nominauerunt tertiam personam suprafati Cononis. In quo verè aspectus Angelicus, veneranda canities, sermo verus, prouecta ætas, simplex animus, quieti mores, religiosa vita, & qui se nunquam in causis actibusque secularibus commiscuerat. E vestigio autem omnes iudices, vna cum primatibus exercitus, ad eius salutationem venientes, in eius laudem omnes simul acclamauerunt. Videns autem exercitus vnanimitatem Cleri, populique in decreto eius subscribentium, post aliquot dies & ipsi flexi sunt, & consenserunt in personam prædicti sanctissimi viri, atque in eius decreto deuota mente subscripserunt, & missos pariter vnà cum clericis, & ex populo, ad excellentissimum Theodorum Exarchum, vt mos est, direxerunt.

eclesiā cupiens, minuit tributum illud patrimonij (quod capitatio dicebatur) quod Romana Ecclesia apud Brutios possidebat. Tum & alia patrimonia ponsitatione releuauit, quæ habebat Romana Ecclesia in Sicilia.

Hic suscepit diualem iussionem Dom. Iustiniani Principis, per quam significabat, reperisse acta sancta sextæ Synodi, & apud se habere, quam piæ memoriæ Dominus Constantinus genitor eius Deo auxiliante fecerat. Quam Synodum promisit eius pietas illibatam, & inconcussam perenniter custodire atque conseruare. Huius temporibus pietas Imperialis, releuauit per sacram iussionem suā ducenta annonę capita, quę patrimonij custodes Brutijs & Lucaniæ annuè persoluebant. Itemque & aliam iussionem direxit, vt restitueretur familia suprascripti patrimonij & Siciliæ, quæ in pignore à militibus detinebatur.

Hic S. Kilianum monachum Benedictinum in Hibernia nobilibus parentibus natum ordinauit Episcopum & ad prædicandum in Germania Euangelium cum Colomanno presbytero & Tothnano Leuita misit. Qui Virtzburgum veniens Francouios ad Christum conuertit ac tandem ibidem vitam martyrio finiuit.

Hic vltra consuetudinem, absque consensu cleri, ex immissione malorum hominum, in antipatia Ecclesiasticorum, Constantinum Diaconum ecclesiæ Syracusanæ, Rectorem in patrimonio Siciliæ constituit, hominem perperam & tergiuersatum, sed & pallio ad cabalcandum vti licentiam ei concessit. Et nō post multum temporis seditio super eum orta est à ciuibus, ob patrimonij lites, qui à iudice Prouinciæ sub arcta custodia retrusus est. Pro eo, quod in dissensionem iudicum inueniretur se ingessisse. Qui sanctissimus vir diutina infirmitate detentus, vt etiam vix ordinationes sacerdotum explere potuisset, obijt. Hic dimisit omni clero & monasterijs benedictionem in auro, sicuti Prædecessor eius Benedictus Papa. Cuius Archidiaconus, videns eū infirmitate cōstrictum, ductus cupiditate, cum necdum esset prædictum legatum clero & monasterijs deputatum, persolutum, scripsit Rauennam Ioanni glorioso nouo Exarcho, promittens illud ei, si eius opera ad Pontificatum eligeretur. Qui statim demandauit suis iudicibus, quos Romæ ordinauerat, & direxerat ad dispensandam ciuitatem. vt post mortem Pontificis, eiusdem Archidiaconi persona eligeretur. Fecit autem episcopos per diuerse loca numero 16. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die 22. Octob. Et cessauit Episcopatus menses duos, dies 13.

SERGIVS I.

Natione Syrus, Antiochiæ regionis, ortus ex patre Tyberio in Panormo Siciliæ. Sedit annos tredecim, menses octo, & dies 14. Hic veniens Romam sub sanctæ memor. Adeodato Pontifice, inter clerum Romanæ Ecclesiæ connumeratus est. Et quia studiosus erat, & capax in officio Cantilenę, primicerius cantorum pro doctrina est constitutus, & acolythus factus, per ordinem ascendens, à sanctæ memoriæ Leone Pontifice, in titulo sanctæ Susannæ, quæ ad duas domos vocatur, presbyter ordinatus est. Hic tempore presbyteratus sui, impigrè per cimiteria diuersa mis-

A. D. 689. 26. Mens. Decemb. electus est. Sed quando consecratus in Pōtificem hoc sane ignoratur. Nam Epithaphium suum, quod Manlius ex veteribus monumentis Vaticanæ Ba-

stolica se excripsisse docet eum non nisi post obitum Theodori fuisse ordinatum, absoluto integri septennii exilio cum Ioannes Exarchus sedem Apost perturbaret & bona Ecclesiæ nonnulla pro se possideret.

missarum solemnia celebrabat. Post septennium verò, defuncto beatæ memoriæ Conone Apostolicæ Sedis Præsule, vt fieri assolet, populus Romanæ Vrbis in duas partes diuisus est: & vna quidem pars elegit Theodorum Archipresbyterum; alia verò Paschalem Archidiaconum. Et quidem Theodorus cum populo qui ei fauebat, præueniens interiorem partem Patriarchij tenuit. Paschalis verò exteriorem partem ab Oratorio S. Syluestri, & Basilicam domus Iuliæ, quæ super campum respicit, occupauit. Cumq. vnus alio locum non cederet, sed vtrique pertinaciter perdurarent, vt vnus alium superaret, inito consilio primates iudicum, & exercitus Romanæ militiæ, tum & cleri plurima pars, & præsertim sacerdotum, atque ciuium multitudo, ad sacrum palatium perrexerunt, & diu pertractantes quid fieri deberet, qualiterue duorum altercantium electorum sopiretur contentio, Deo annuente in personam denominati Sergij, venerabilis tunc presbyteri concordantes se contulerunt, eumq. de medio populi tollentes, in oraculum B. Cæsarij Martyris Christi, quod est intra sacrosanctum supra ascriptum palatium introduxerunt, & exinde in Lateranense Episcopium cum laudum declamationibus deduxerunt. Et quamuis fores Patriarchij intrinsecus essent munitæ, & clausæ, tamen pars quæ prædictum venerabilem virum elegerat, (quia & validior erat) preualuit, & ingressa est. Quo ingresso, vnus è duobus electis, id est Theodorus Archipresbyter illico quieuit, ac se humiliauit, & ingressus, denominatum sanctissimum electum salutauit, ac osculatus est. Paschalem verò nullo modo cordis duritia id facere sinebat, donec coactus, & confusus, volens nolens suum Dominum, & electum, ingressus salutaret. Qui tamen clãculo non cessauit Rauennam suos missos mittere promissaque pecunia, & alijs diuersis donis Ioannem Patritium, & Exarchum, cognomento Platyn, cumsuis iudicibus, nemine sciente Romam venire, persuadere. Qui sic abdite venit, vt nec signa, nec banda cum militia Romani exercitus occurrissenei iuxta consuetudinem in competenti loco, nisi in propinquo Romanæ ciuitatis. Qui dum venisset, & omnes in personam Sergij sanctissimi inuenisset consensisse, illi quidem suffragari non voluit; Ecclesiæ tamen B. Petri Apostoli idem Exarchus, per eiusdem Paschalis miseriam dispendium, & damnum intulit. Eo quod ab eodem Paschali, supradicto Exarcho promissum fuerat, id est, centum auri librarum à parte Ecclesiæ munus expetens; Sergio sanctissimo electo proclamante, quod neque promisisset dare, neque possibilitas dandi suppetat. Et vt ad compunctionem animos videntium commoueret, Cantharos, & Coronas, quæ ante sacrum altare, & confessionem B. Petri Apostoli ex antiquo pendebãt, deponi fecit, & pignori tradi. Sed nec in hoc flexa est eiusdem Exarchi duritia, donec centum vt dictum est pondus librarum auri accepit. Et licet, vt præfatum est, Ecclesiæ Christi idem miserrimus Paschalis dispendium, & damnum inflixerit, tamen Christo fauente Sergius presbyter, & electus in sede Apostoli Pontifex, ordinatus est. Prædictus verò Pascalis non post multum tempus, & ab officio Archidiaconatus, pro aliquibus incantationibus, & lucis quos colebat; vel sortibus, quas cum alijs respectatoribus tractabat, Dei, Beatiq. Apostolorum Principis Petri, interueniente iudicio, priuatus est, & in monasterium retrusus, post quinquennium præ cordis duritia impenitens defunctus est.

Huius itaque temporibus Iustinianus Imper. Concilium in regia Vrbe iussit fieri, in quo & Legati Sedis Apostolicæ conuenerant, & decepti subscripserant. Compellebatur autem, & Papa ipse subscribere, sed nullatenus acquieuit: pro eo, quod quædam capitula extra ritum ecclesiasticum fuerant in eo annexa. Quæ, quasi Synodaliter definita, & in sex tomis descripta, à tribus Patriarchis, id est, Alexandrino, Constantinopolitano, & Antiocheno, ac cæteris Episcopis, & Consulibus, qui eo tempore illic conuenerant, subscripta erant, manuq. Imperiali confirmata, per suos missos, seu legatos viros seculares, in hanc Romanam Vrbem ad confirmandum, et in superiori loco subscribendum, Sergio Ponti-

tifici, vtpote capiti omnium Sacerdotum, direxit. Qui beatissimus Pontifex, vt dictum est, penitus eidem Iustiniano Augusto non acquieuit, nec eosdem Tomos suscipere, aut lectioni pandere passus est. Porro eos, vt inualidos respuit, atque abiecit, eligens ante mori, quam nouitatum erroribus consentire. Quare Imperator Sergium Magistrianum insperate ad prænominatum Pontificem Romam mittens. Ioannem Deo amabilem Portuensem Episcopum, & Bonifacium Consiliarium Sedis Apostolicę, cum ipsum Papam non posset, secum in regiam abstulit Vrbem. Deinde Zachariam immanē suum Protospatarium cum iussione dixerit, vt prędictum Pontificem omnino in regiam deportaret Vrbem. Sed misericordia Dei præueniente, Beatoq. Petro Apostolo, et Apostolorum Principe suffragante, suamq. Ecclesiam immutilatam seruāte, excitatum est cor Rauennatis militiæ, Ducatus etiam Pentapolitani, et circumquaque partium, non permittere Pontificem Sedis Apostolicæ in regiam ascendere Vrbem. Cumque ex omni parte multitudo militiæ conueniret, Zacharias Protospatarius perterritus, et trepidans, ne à turba militiæ occideretur, portas quidem ciuitatis claudi, et teneri Pontificem postulabat, sed ipse in cubiculo Pontificis tremebundus ad pedes Pontificis se inclinauit, deprecans lachrimabiliter, vt sui Pontifex misereretur, nec permitteret quemquam eius animam infestari. Exercitus autem Rauēnatis ingressus per portam B. Petri Apostoli, cum armis, et turba non modica, in Lateranense Episcopium, venit Pontificem videre æstuans, quem fama vulgante per noctem sublatum, et in nauigium missum fuisse audierant. Dumque fores Patriarchij tam inferiores, quam superiores essent clausæ, has in terram, nisi velocius aperirentur, mittere minabantur, præ nimia timoris angustia, & vitæ desperatione Zacharias Protospatarius sub lectum Pontificis ingressus sese abscondit, ita vt mente excideret, & perderet sensum. Quem beatissimus Papa, confortauit, dicens vt nullo modo timeret. Egressus verò idem beatissimus Pontifex foris basilicam Domini Theodori Papæ apertis ianuis conscendit in sedem, quæ vulgo appellatur sub Apostolis, generalitatem militiæ & populi, qui pro eo occurrebant honorifice suscepit; datoq. apto & suaui responso, eorum corda liniuit. Quanquam illi zelo ducti pro amore & reuerentia tam Ecclesiæ Dei, quamq. sanctissimi Pontificis, iam à Patriarchij custodia non recederent, quousque denominatum Prothospatarium, cum iniurijs, & contumelijs, à ciuitate Romana foris expulissent. Nam & is qui illum miserat, ipso etiam tempore est Domino retribuente regno priuatus. Sicque Ecclesia Dei imperturbata cum suo Præsule, Christo fauente seruata est.

Sub hoc Pontificē Frisij acceperunt Euangelium, multiq. ex populis Germaniæ ad Christū sunt conuersi opera S. VVillebrardi, & aliorum virorum sanctorum ex ord. S Benedicti

Hic beatissimus vir in sacrario B. Petri Apostoli capsam argenteam in angulo obscurissimo iacentem, & ex nigredine transactæ annositatis, nec si esset argentea apparentem, Deo ei reuelante, reperit. Oratione itaque facta sigillum expressum abstulit, locellum aperuit, in quo interius plumacium ex holoserico superpositum, quod stauracis dicitur, inuenit. Eoque ablato inferius Crucem diuersis ac preciosis lapidibus perornatam inspexit, de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clausulæ erant miræ magnitudinis, & ineffabilem portionem salutaris ligni Dominicæ Crucis, inuenit. Quæ etiam ex die illo pro salute humani generis ab omni populo Christiano die exaltationis S. Crucis in basilica, Saluatoris, quæ appellatur Constantiniana, osculatur ac adoratur.

Hoc tempore Sarraceni occupauerunt Armeniam, Persidē Palæstinam, Aegyptū Libyam Africamq. penitus vniuersam. Quare missi contra eos duces à Tiberio Absimaro Imperatore, qui Leontium deiecerat naso illi præ-

Hic fecit imaginem B. Petri Apostoli, quæ est in parte mulierum. Hic fecit Thymiamatertium aureum maius cum columnis, & cooperculo, quod suspendit ante imagines tres aureas B. Petri Apostoli, in quo incensum, & odor suauitatis festis diebus, dum missarum solemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur. Hic posuit in absida basilicę suprascriptæ super sedem appellariam argenteam pensantem sing. lib. 120. Hic fecit in basilica suprascripta faros argenteos sex, pen. sing. lib. 30. qui sunt super trabos ad ingressum confessionis. Hic fecit in circuitu altaris basilicæ suprascriptæ tetrauila octo, quatuor

eiſo) totam Syriam peragrantes vltra ducenta mill ia barbarorum occiderunt & ſpoliis onuſti domum redierunt, hoſtem attamen nequaquam deuincere potuerunt.

Hic Pontifex calumniam paſſus diuinitus liberatur opera S. Aldhelmi Abbatis Benedictini ex Britania Cum enim vulgus vt fieri ſolet, puerum quendam ex inceſtu genitum Pontificis eum filium eſſe vano rumore ſpargeret Anxius ea de re S. Althelmus multũq dolens Pontificem ſanctiſs eiuſmodi infamia fædari, puerũ nonniſi nouem dies habentem e hiberi iubets eiq. in virtute & nomine Ieſu Chriſti imperat, vt edicat num Sergius Papa eo ſe ſcelere obſtrinxerit. Reſpondit infans abſolutiſsimo ſermone Pontificem nequaquam illi criminí affinem eſſe nihil eum cum femineo ſexu commercij habere. Sur die 25. Maij.

albos, & quatuor coccineos. Hic tectum & cubicula quæ circumquaque eiuſdem baſilicæ ſunt, quæ per longa tempora ſtillicidijs & ruderibus fuerant diſſipata, ſtudioſius innouauit ac reparauit. Hic muſiuum, quod ex parte in fronte atrij eiuſdem baſilicæ fuerat, dirutum innouauit. Similiter & ſpecula eiuſdem Eccleſiæ, quæ ſuper ſedem ſunt, vel regios arcus maiores, ſunt, renouauit. Hic corpus B. Leonis probatiſsimi Patris atque Pontificis, quod in abdito inferioris ſecretarij prædictæ baſilicæ poſitum fuerat, facta diligentius tumba in denominata baſilica publico loco (vt ſibi fuerat reuelatum) repoſuit, ac locum ipſum ornauit. Hic fecit patenam auream maiorem, habentem gemmas albas, & in medio ex hyacintho, & Smaragdo, Crucem penſantem lib. 20. Hic tectũ & cubicula vniuerſa in circuitu baſilicæ B. Pauli Apoſtoli, quæ longa per tempora vetuſtate confecta fuerant, ſtudioſius innouauit, ac reparauit. Similiter & trabes fecit de Calabria adduci, & quæ in eadem baſilica vetuſtiſsima inuenit, renouauit. Imaginem Apoſtolorum vetuſtiſsimam, quæ erat ſuper fores eiuſdẽ baſilicæ, mutauit. Hic fecit ambonem, & cyborium in baſilica SS. Coſmæ, & Damiani, vbi & multa dona obtulit. Trullum vero eiuſdem Eccleſię fuſis chartis plumbeis cooperuit atque muniuit. Hic cyborium baſilicæ S. Suſannæ, quod ante ligneum fuerat, ex marmore fecit: diuerſa quoque cymelia aurea, & argentea, vel immobilia loca, illic donauit. Hic baſilicam S. Euphemiæ, quæ per multa tempora fuerat detecta, cooperuit ac renouauit. Hic oratorium S. Andreæ Apoſtoli, quod ponitur via Lauicana à ſolo refecit.

Hic ſtatuit, vt tempore confractionis Dominici corporis, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis*, à clero populoque decantetur. Conſtituit autem vt diebus Annuntiationis, Natiuitatis Domini, & Dormitionis S. Dei Genetricis, ſemperq. Virginis Mariæ, ac Simeonis, quod hypapantem Græci appellant, litania exeat à S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat. Hic fecit in baſilica S. Laurentij Martyris, quæ appellatur titulus Lucinæ, arcus argenteos quatuor. Huius temporibus Aquileienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Synodus quę ſub eo congregata eſt, qui ſanctum quintum Vniuerſale Concilium, vtpote errantes ſuſcipere diffidebant, eiuſdem beatiſsimi Papæ monitis atque doctrinis, inſtructi, conuerſi ſunt idemque venerabile Concilium cum ſatisfactione ſuſceperunt. Et qui prius ſub erroris vitio tenebantur, doctrina Apoſtolicæ ſedis illuminati cum pace conſonantes veritati ad propria reuerſi ſunt.

Hic fecit coopertoria, vel vaſa aurea, & argentea plura per diuerſas Eccleſias, ad vſum, & ornatum Eccleſiarum Chriſti. Hic ordinauit Damianum Archiepiſcopum S. Eccleſiæ Rauennatis, atque Clementem Friſinorum. Hic ordinauit Berectualdum Britaniæ Archiepiſcopum. Hic ordinauit per diuerſas prouincias Epiſcopos 97. Fecit autem & ordinationes duas per menſem Martij, Presbyteros 18. Diaconos 4. Qui etiam ſepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum 5. Idus Septembr. Indict. 15. Tiberio Auguſto. Et ceſſauit Epiſcopatus, menſem vnum, dies 20.

Scripſit Epiſtolam vnam ad Ceoifridum Abbatem, qua Bedam ad ſe mitti poſtulat.

Primum Concilium ſub Sergio, Toletanum XV.

Epiſcoporum 61. Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis, in quorum medio humi proſtratus Rex Egica deuotiſſimus. orationibus illorum ſe commendauit, & ſufficiẽti exhortatione Concilium adloquens, innexa tomo ſui culminis vota tradidit relegenda. His lectis, ex more Patres de ijs quæ ad fidem Cat holicam ſpectabãt, agere agreſſi, ea quę ante biennium à Benedicto Romano Pontifice fuerant in ſuis ipſorum litteris adnotata examinantes, rectè pieque ex Patrum ſententia eſſe prolata docuerunt: nimirum duas in Chriſto fuiſſe naturas, diuinam & humanam: tres verò ſubſtantias, diuinam, carnem, & animam: Athanaſio atteſtante, qui ait, Sicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo; ita

Deus

Deus & homo, vnus est Christus. (Stephanus Eduensis episcop. in lib. de Sacram. altaris c. 17.) Quam declarationem Concilij Sergius Papa approbauit. *Baron. in anno 688.*

Secundum Concilium Cæsaraugustanum III.

Anno D. 695: sub die Kal. Decemb.

In quo præmissa fidei secundum Nicæni Concilij præscriptum confessione solemni, quinque capitula ad ædificationem plebis Patres conscripsere, in præsentia orthodoxi Regis Egicani.

Ann. D. 692.

Tertium Concilium Constantinopolitanum Pseudosextum seu Quinisextum appellatum. (Generale, sed Reprobatum)

Vide Notas in Conciliabulum istud Seuerini Binij, & Frontonis Ducæi Soc. Iesu, vel solum Baron. in an. 691.

In quo sub nomine Quintæ & Sextę Synodi Oecumenicæ, centum & duo Canones editi fuerunt An. Dom. 692. sub Pontificatu Sergij & imperio Iustiniani Iunioris, auctoritate Callinici Constantinopolitani Episcopi, quasi volens supplere, quod quintæ & sextæ Synodo deerat, quæ non conscripserant sacros Canones per quos populi à deteriore & abiectiore viuendi ratione recederent, & ad meliorem atque altiorem vitam se reducerent. Coeterum quia in his Canonibus multa reperiuntur ea, quæ sanctæ Ecclesiæ constitutionibus, ac Patrum antiquorum Regulis contratrariantur; ideo neque Sergius Papa per vim; neque Ioannes VII. & Constantinus Pontifices, per fraudem & blanditias ad confirmandos hos impios canones, prout Monothelitæ expetebant, ab Imperatore induci potuerunt.

Quartum Concilium Toletanum XVI.

Ann. D. 693. sub die 6. Non. Maias.

Episcoporum quinquaginta nouem, qui anno sexto inclyti Regis Egicani in Pretoriensi basilica Beatorum Petri & Pauli conuenientes (aderant cum Rege & Abbates 5. Vicarij absentium episcoporum tres, & Comites viri illustres numero 16.) tredecim Capitula pro retinenda Ecclesiastica disciplina conscripserunt. Eiectusque est à sede Toletana Sibertus, ob coniurationem factam aduersus Egicam Regem, & eius loco suffectus est Felix Hispalensis. *Vide Garsiam Loaisam in Notis.*

Quintum Concilium tempore Sergij Papæ Toletanum XVII.

Ann D. 694. 5. Id. Nouemb.

In Ecclesia gloriosæ Virg. & confessoris Christi sanctæ Leocadiæ. quæ est in suburbio Toletano, celebratum in præsentia religiosissimis Regis Egicani, præmissoq. fidei symbolo octo Capitula retinendę ecclesiasticæ disciplinæ sunt conscripta, atque statim Regio edicto promulgata.

Sextum Concilium Traiectense,

A. D. 697.

Auctoritate S. Villebrordi congregatum, in quo conclusum & definitum fuit, vt omnes primi prædicatores irent per diuersas prouincias prædicare Euanuangelium.

Septimum Conciliabulum Aquilense,

A. D. 698.

Contra quintam Synodum Oecumenicam habitum, quam schismatici respuendam esse decreuerunt, eo quod damnationem Trium Capitulorũ in quinta synodo factam, in odium & præiudicium Chalcedonensis Concilij contigisse, sinistrè interpretarentur. Sed salutaribus B. Sergij Papæ monitis instructi, cum coeteris ecclesijs Christi annuere consenserunt, prout & antea opera S. Gregorij ab eodem errore resipuisse leguntur in Actis Synodalibus Concil. Romani sub Agathone.

A. D. 701. 28. Octob. Pontifex in Ordine 85. Tiberij Absimari Imperatoris an. 6. quem Iustinianus ab exilio reuersus & per aquaductum clam vrbem ingressus post multa ludibria eidem illata, vita simul & imperio

IOANNES VI. Natione Græcus, sedit annos tres menses duos, dies 12. Fuit autem temporibus Tiberij Augusti, à quo missus Theophylactus Cubicularius Patricius, & Exarchus Italiæ, venit de parte Siciliæ in vrbem Romam. Cuius aduentum cognoscens militia totius Italiæ, tumultuose conuenit apud hanc Romanam ciuitatem, volens præfatum Exarchum tribulare: pro cuius persona, ne affigeretur, Pontifex sese medium dedit, portas ciuitatis clausit, sacerdotes apud fossatam

 in

in quo in vnum conuenerant, ad eos misit, & monitis salutaribus, tumultuosam eorum seditionem sedauit. Dum verò infames quędam personæ capitulare aduersus quosdam Romanæ vrbis habitatores fecissent. & prænominato Exarcho vt à proprijs substantijs denudarentur, tribuissent, hi iuxta sui operis mercedē, digna pœna mulctati sunt. Deinde verò, dum Gisulphus Dux gentis Longobardorum Beneuenti, cum omni sua virtute in Campaniam veniret, incendia & deprædationes multas exerceret, captiuosque non paucos eduxisset; & vsque in loco qui horrea dicitur, fossatum fieret, nullusque extitisset, qui ei potuisset resistere, denominatus Pontifex missis sacerdotibus, cum Apostolicis donarijs, vniuersos captiuos de eorum manibus redemit, & illum cum suo exercitu ad propria repedare fecit. Hic fecit in basilica B. Andreæ Apostoli, quæ ponitur infra Ecclesiam B Petri Principis Apostolorum, ambonem nouiter. Hic super altare Ecclesię S. Marci coopertorium fecit, & in basilica B. Apostoli Pauli, inter columnas altaris, dextra læuaque vela alba, Hic fecit ordinationem vnam, presbyteros 9. diaconos duos, Episcopos per diuersa loca 15. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum. Et cessauit episcopatus mensem vnum dies 18.

poliauit idque iusto Dei iudicio accidisse videtur, vt qui in Romanum Pontificem per Exarchum suum insurrexerat, à Iustiniano ob Sergij Papæ persecutionem naribus obtruncato, eademq. de causa à imperiali dignitate spoliato eãdem vitæ & imperij spoliationem sustineret.

Concilium sub Ioanne VI, vnicum tantum fuit, Toletanum XVIII.

Anno D. 701. in Ecclesia S. Petri in suburbijs Toletti.

Tempore VVitizæ Regis celebratum, præsidente Gunderico (vt Rodericus ait) Toletano Antistite sanctimonię dono illustri & miraculis claro, qui multa piæ institutioni & Ecclesiasticę disciplinę necessaria, cum Patribus ibi sanciuit, sed cum Sarraceni Regnum Hispaniarum breui post inuasissent, quę tunc erant pie sanctèque sancita, bellicis tumultibus dissipata, ipsaque Concilij Acta deperierunt.

An. D. 705. Iustiniani Iunioris iterum Imper an. I. qui in Chersona exul degens, magnis sumptis spiritibus amissum inuadit Imperiũ auxilio impetrato à Triballo Rege Bulgarorũ cuius sororem in vxorem statim acceperat. Cũq. Constantinopolim vadens in sũmo periculo esset in mari et quidã ex charis amicis ei dixisset. Domine ecce perimus omnes voue Deo pro salute tua vt si Deus imperiũ tuũ tibi reddiderit in nullũ tuorum vlciscaris inimicum. Respondit furore repletus Si pepercero cuiquã eorum in hoc loco me Deus demergat Igitur vrbe capta. & Leontium qui eũ detruserat, & Tiberiũ qui tunc imperabat & Senatũ vniuersũ atq. præfectos militiæ omnes supplicio affecit Alios illustres in Saccũ missos in mari demersit. & in ciues. militesque absq vllo respectu sæuijt. Cuius ingentẽ tyrannidem cum iam ferre populi non

IOANNES VII.

Natione Græcus, patre Platone, sedit annos duos, menses 7. dies 17. Fuit autem temporibus Iustiniani Iunioris iterum ab exilio imperantis, vir eruditissimus, & facundus eloquentia. Hic fecit oratorium Sanctæ Dei Genitr. intra Ecclesiam B. Petri Apostoli, cuius parietes musiuo depinxit: illicque auri & argenti quantitatem multam expendit, & venerabilium patrum, dextra lęuaque vultus erexit. Hic restaurauit basilicam Sanctæ Eugeniæ, quæ longo tempore detecta atque diruta fuerat. Laborauit autem & in cimiterijs beatorum Martyrum, Marcellini & Marci. Damasique sancti Pontificis. Fecit verò & imagines per diuersas ecclesias, quas quicunque nosse desiderat, in eis vultum ipsius depictum reperiet. Itemque basilicam S. Dei Genitr. quæ antiqua vocatur, pictura decorauit, illicque ambonem nouiter fecit, & super eandem ecclesiam Episcopium propter se construere voluit, & Pontificatus sui tempus illic expleuit. Hic fecit calicem pręcipuum aureum. pensantem libras viginti, quem & gemmis preciosis decorauit.

Huius temporibus Aripertus Rex Longobardorũ donationem Alpium Cotiarum patrimonij, quæ longa per tempora a iure ecclesiæ priuata fuerat, ac ab eadem gente detinebatur, in litteris aureis exaratam, iure proprio Beati Apostolorum Principis Petri reformauit. Huius temporibus Iustinianus Imperator, à partibus Chersonæ, per loca Bulgarię; auxilio Tribellij Bulgarorum Regis vsque ad regiam vrbem veniens, regnum proprium, de quo proiectus fuerat, adeptus est; Leontium & Tiberium, qui locum eius vsurpauerant cepit, & in medio circo coram omni populo iugulari fecit, & obtinuit principatum, de quo antea tumultuosè fuerat deiectus. Qui vt palatium ingressus est, propriumque adeptus est imperium, tomos quos antea sub Domno Sergio Apostolicæ mem. Pontifice, Romam direxerat, in quibus diuersa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos Metropolitanos episcopos demandauit, dirigens per eos & sacram, per quam denominatum Pontificem coniurauit ac adhortatus est, vt Apostolicæ ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæque ei visa essent,

sta-

ſtabiliret; & quæ aduerſa, renuendo excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hos nequaquam tomos emendans, per ſuprafatos Metropolitas direxit ad Principem, poſtque non diu in hac vita durauit. Hic fecit epiſcopos per diuerſa loca numero 18 Qui etiam ſepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum ante altare oratorij Sanctæ Dei Genitricis, quod ipſe conſtruxit, ſub die 15. Kal. Nouẽb. Indict. 6. Iuſtiniano Romanam Rempub. gubernante. Et ceſſauit Epiſcopatus menſes tres.

Poſſent Philippicum acclamarunt Imperatorem qui et imperium ſimul cum vita abſtulit, cum iam regnaſſet ab exilio reuerſus annos octo.

Ann. D. 705.

Primum Concilium Romanum.

Auctoritate Ioannis Papæ ad inſtantiam Iuſtiniani Imperatoris pro canonibus ſextæ Synodi confirmandis vel reprobandis indictum. Quos nec approbare Patribus viſum eſt, quia non in legitima Synodo ſanciti fuerant, ſed ſic eos remittere Imperatori, vt ſilentio inuoluantur. In eodem Concilio, confidentibus Epiſcopis pluribus cum Apoſtolico Papa Ioanne, à calumnijs obiectis abſolutus eſt S. VVilfridus Eboracenſis Epiſcopus. ſcriptumque eſt à præfato Papa Regibus Anglorum Edilredo, & Aldfrido vt eum in Epiſcopatum ſuum (eo quòd iniuſtè fuerit condemnatus) facerent recipi.

Secundum Concilium Anglicanum.

In reſtitutione S. VVilfridi anno eodem celebratum, cũ eius accuſator Rex Aldfridus intra paucos dies ab eius reditu obijſſet, & Oſredus filius pro eo iam reggnaſſet; Receptus itaque poſt aliquantum vtriuſq. partis conflictum cunctis fauentibus in præſulatum, & ſic quatuor annis vſque ad diem obitus ſui vitam duxit in pace.

SISINNIVS Natione Syrus, ex patre Ioanne. Sedit dies 20. Fuitque temporibus Iuſtiniani Auguſti. Qui vir podagrico humore ita tenebatur conſtrictus, vt ſibi cibum proprijs manibus exhibere non valeret. Erat tamen conſtans animo, & curam agens pro habitatoribus huius ciuitatis; qui & calcarias pro reſtauratione murorũ iuſſit decoquere. Verumtamen repentina morte defunctus eſt. Fecit autem Epiſcopum vnum in Inſula Corſica. Qui etiam ſepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum ſub die 7. Febr. Indict. 6. Et ceſſauit Epiſcopatus menſem vnum die 26.

Ann. D. 708. 15. Kal. Feb. Pontifex numero 86.

CONSTANTINVS Natione Syrus, ex patre Ioanne. Sedit annis ſex & menſem vnum. Fuit autem temporibus Iuſtiniani, Philippici, & Anaſtaſii Auguſtorum. Vir valde mitis, cuius temporibus in vrbe Roma fames facta eſt magna per annos tres. poſt quos tanta fuit vbertas, vt fertilitatis copia præteritæ ſterilitatis inopiam obliuioni mandaret Hic ordinauit Felicem Archiepiſcopum Rauennatem, qui ſecundum priorum ſuorum ſolitas in ſcripto noluit facere cautiones ſed per potentiam Iudicum expoſuit vt voluit. Cuius cautio à Pontifice in Sacratiſſima confeſſione B. Petri Apoſtoli poſita, poſt non multos dies tetra, & quaſi igni combuſta reperta eſt. Nam Rauennatium ciues elati ſuperbia, digna vltionis pœna mulctati ſunt. Mittens quippe Iuſtinianus Imperator Theodorum Patritium, & Primicerium exercitus Inſulæ Siciliæ, cum claſſe nauium Rauennam ciuitatem cœpit, præfatum Archiepiſcopum arrogantem in naui vinctum tenuit, & omnes rebelles, quos ibi reperit, compedibus ſtrinxit, diuitias eorum abſtulit & Conſtantinopolim miſit. Dei autem iudicio, & Apoſtolorum Principis ſententia, qui inobedientes fuerunt Apoſtolicæ Sedi, amara morte perempti ſunt, & idem Archiepiſcopus luminibus priuatus dignam factis recipiẽs pœnam exul in Pontificiam tranſmiſſus eſt regionem. Iiſdem temporibus miſit ſuprafatus Imperator ad Conſtantinum Pontificem ſacram, per quam iuſſit eum ad regiam aſcendere vrbem. Qui ſanctiſſimus vir iuſſis imperialibus obtemperans, illicò nauigia fecit parari, quatenus iter aggrederetur mari-

Ann. D. 708. 1. Martij Pontifex 87. Huius temporibus Hiſpania proditione Iuliani Comitis, euentu miſerabilẽ Sarracenorum imperio tota ſubiecta fuit haud dubie permiſſu Dei vindicis Roderici libidinem & VVitizæ Regis à Sede Apoſtolica defectionem vindicantis.

num; & egressus est à portu Romano die 5. Mens. Octob. Indict. 9. Et secuti sunt eum Nicetas Episcopus Syluæ candidæ, Georgius Episcopus Portuensis; Michael, Paulus & Georgius Presbyteri. Gergius diaconus, Georgius Secundicerius, Ioannes primus defensor, Cosmas Saccellarius, Sisinnius nomeclator. Sergius Scriniarius, Dorotheus & Iulianus Subdiaconi, & de reliquis gradibus non pauci clerici. Veniens igitur Neapolim, illic eum reperit Ioannes Patritius & Exarchus cognomento Rizocopus; qui veniens Romam, iugulauit Paulum Diaconum & Vicedominum, Petrum Arcarium, Sergium Abbatem presbyterum, & Sergium Ordinatorem. Pergensque Rauennam, pro suis nefandissimis factis, iudicio Dei, illic turpissima morte occubuit. Georgius verò presbyter Neapoli relictus est. & Pontifex cum suis Siciliam perrexit, vbi Theodotus Patricius & Straticus, languore detentus, occurrens Pontifici magnaque cum veneratione salutans atque suscipiens, medelam adeptus est celerem. Atque inde egrediens per Regium & Cottonam transfretauit Galliopolim, vbi mortuus est Nicetas episcopus. Dum verò Hydrunti moras faceret, eo quod hyems erat, illic sucepit sigillum imperiale per Theophanium Regionarium, continens ita, vt vbicunque denominatus contingeret Pontifex, omnes Iudices ita eum honorifice susciperent, quasi ipsum præsentialiter Imperatorem viderent. Vnde egressi, partes Græciæ contingentes in Insula quæ dicitur Coa, occurrit Theophilus Patricius & Strategus Carauisianorum cũ summo eum honore suscipiens & amplectens, vt iussio continebat, iter absoluit peragere cœptum. A quo loco nauigantes, venerunt à septimo milliario Constantinopolim; vbi egressus Tiberius Imperator, filius Iustiniani Augusti, cum Patricijs & omnibus Inclytis, & Cyrus Patriarcha cum Clero, & populi multitudine, omnes lætantes, & diem festum agentes Pontifex autem & eius primates cum sellaribus imperialibus, sellis & frœnis inauratis simul & mappulis, ingressi sunt ciuitatem. Apostolicus Pontifex cum Caumelauco, vt solitus est Romæ procedere à palatio egressus, in Placidias vsque vbi hospitaturus erat, properauit. Dominus autem Iustinianus Imperator audiens eius aduentum magno repletus gaudio, à Nicæa Bithyniæ misit sacram, gratiarum actione plenam. Et vt debuisset Pontifex occurrere Nicomediam, & ipse inuicem venire à Nicæa, quod & factum est. In die autem qua se mutuo viderunt Augustus Christianissimus cum regno in capite, sese prostrauit pedes osculans Pontificis. Deinde in amplexum inuicem corruerunt, & facta est lætitia magna in populo, aspicientibus tantam humilitatem boni Principis. Die verò Dominico missas Imperatori fecit, & communicans Princeps ab eius manibus, proque suis delictis vt deprecetur Pontificem postulans, omnia priuilegia Ecclesiæ renouauit, atque sanctissimum Papam ad propria reuerti absoluit.

Egressus igitur à Nicomedia ciuitate, crebtis valetudinibus Pontifex attritus, tandem sospitatem Deo tribuente, incolumis ad portum Caietæ peruenit: vbi sacerdotes, & maximam populi Romani reperit multitudinem, ac 24. die mensis Octob. Indict. 10. Romam ingressus est; & omnis populus exultauit, atque lętatus est. Hic fecit ordinationes Episcoporum in eundo & redeundo per diuersa loca, episcopos duodecim.

Post menses autem tres lugubre nũcium personuit, quod Iustinianus Christianissimus Imperator trucidatus est, & Philippicus hæreticus in imperiali promotus est arce; cuius & sacram cum praui dogmatis exaratione Constantinus suscepit, sed cum Apostolicæ Sedis consilio respuit. Huiusque rei causa zelo fidei accensus omnis coetus Romanæ vrbis, imaginem quam Græci pancaream vocant, sex continentem sanctas ac vniuersales Synodos, in Ecclesia B. Petri erexerunt. Hic refecit patenam aure am pensan. lib. 12. Eodem tempore Felix Archiepiscopus Rauennæ ab exilio reductus, pœnitentia motus, licet oculorum lumine priuatus, tamen ad propriam redijt sedem. Et solita, quæ ab vniuersis in scri-

nio Episcoporum fiunt indicula, & fidei expositionem & hic confessus est; sicq. reconciliationis promeruit absolutionem. Huius temporibus duo Reges Saxonum, ad orationem Apostolorum, cum alijs plurimis venientes, sub velocitate suam vitam vt optabant finierunt. Venit autem & Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis orationis voto, & suo se Pontifici præsentare. Altercauit verò & pro Ecclesia Ticinensi, sed victus est, eò quod à priscis temporibus Sedis Apostol. eiusdem Ticinensis Ecclesiæ Antistes ad consecrandum, pertinebat, atque pertinet. Ijsdem temporibus cum statuisset Populus Romanus nequaquam hęretici Imperatoris, nomen aut chartas, vel figuram solidi suscipere, vnde nec eius effigies in ecclesiam introducta est, nec suum nomen ad Missarum solemnia proferebatur. Contigit vt Petrus quidam pro ducatu Romanæ vrbis Rauennam dirigeretur, & præceptum pro huiusmodi causa acciperet; dumque innotuisset quod ad nomen hæretici Imperatoris sua promotione idem Petrus fuisset potitus zelo fidei accensa magna pars populi Romani, statuerunt nullo modo hũc Ducem suscipere. Et factum est, dum Christophorus, qui erat Dux, ob hanc causam cum Agathonę, & suis hominibus concertaretur, bellum ciuile exortum est, ita vt in via sacra ante palatium sese committerent, & ex vtrisque partibus amplius quam viginti quinque vulnerarentur atque interirent; donec Pontifex mitteret sacerdotes cum Euangelijs & Crucibus Domini, sicque partes sedarentur. Nam pars Petri ita Angustiata, vt nulla illi esset spes viuendi: verum ad Pontificis iussum pars alia, quæ & Christiana vocabatur, recessit; sicque defensoris hæretici pars valuit, ac si illa attrita recederet. Nõ post multos autem dies scripta venerũt a Siciliensi Insula, quæ nunciauerunt Philippicum hęreticum à principali vertice depulsum, & Anastasius orthodoxus sceptra regalia gubernanda suscepit. Tunc orthodoxis exultatio magna, tenebrarum autem dies cunctis hæreticis superfusa est. Post aliquod verò temporis Scholasticus Cubicularius Patricius & Exarchus Italiæ, detulit secum sacram Principis Anastasij, per quam verę se orthodoxę fidei prædicatorem, & sancti sexti Concilij confessorem esse omnibus declarauit, quam & Pontifici obtulit, & ita perrexit Rauennam. Dum autem hæc gererentur obtinuit Petrus ducatum vrbis, promittens quod nulli vnquam aduersari niteretur. Hic fecit ordinationem vnam, presbyteros 10. diaconos 2. Episcopos per diuersa loca numero 64. Qui etiam Sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum 5. Idus April. Indict. 13. Anastasio Augusto. Et cessauit Episcopatus dies 40.

Primum Concilium Constantinopolitanum,

A Ioanne Episcopo Monothelitarum antesignano indictum, quo innumera Orientalium Episcoporum multitudo congregata, Sextam Synodum Oecumenicam damnauit, tempore Constantini Papæ, & Philippici Imperatoris. Acta huius Concilij blasphemijs plenissimi, cum impio Imperatore sepulta, & perpetuo anathemati tradita sunt.

Secundum Concilium Londinense,

In quo de cultu Sacrarum imaginum, Authoritate Constantini Papæ, promulgatum est decretum, qui vna cum Euangelio iam diu ante in Anglia receptus fuerat, sed ex parte tunc vacillare cœperat.





LIBER XII.



MONOTHELITARVM hęresi irerum compressa & annihilata, cum omnes pacem desideratam prospicerent, ecce turbo nouus Ecclesiam Dei peruastauit, hæresi noua Iconomachorum excitata, bellisque acerrimis contra Imperium Romanum per Saracenos, & Longobardos commotis. Quibus malis, vt eo facilius Pontifices Romani, Petri Apostolorum Principis successores mederi possint, cum nobilissimæ Francorum gentis Principibus pacta inierunt, qui postmodum gloriosissimi monstrorum domitores, cultores iustitiæ, quietis publicæ fundatores, fidei Christianæ propagatores, atque religionis illibatæ custodes, præcipuè verò sanctæ Romanæ Ecclesiæ potentissimi, atque promptissimi defensores fuerũt. Horum motuum initia statim in vita Gregorij II. videbimus, qui ob impietatem Imperatorum Romanorum ab eis defecit, & pacto cum Francis inito; tributa Leoni Isauro negauit, cum eum, ab hæresi scriptis doctissimis epistolis suis, ad Catholicam fidem reuocare non potuit.

Anno D. 714. Anastasij Imper. an. 2 die 28. Maij. Hic Pontifex perperam à Gracis, & Latinis, quibusdam Dialogus cognominatur, cum à scriptis dialogorum libris hoc soli Gregorio Primo cognomen conueniat. Hic autem plenus eruditione scripsit alia opuscula doctissima, nimirum. Ad interrogata Iustiniani responsionum librum unum. Contra Leonē Augustum librum unum, Ad Ioan. Episc. Constantinop. librum unum. Epistolarum ad diuersos librum unum.

GREGORIVS II.

Natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annos 16. menses 8. dies 20. Fuit autem temporibus Anastasij, Theodosij, Leonis, atq. Constantini Augustorum, Hic à parua ætate in patriarchio nutritus, sub S. memoriæ Domno Sergio Papa, Subdiaconus, atque Sacellarius factus bibliothecæ simul curam suscepit: deinde ad Diaconatus ordinem prouectus est. Et cum viro sancto Constantino Pontifice ad regiam profectus est vrbem, atque à Iustiniano Principe inquisitus de quibusdam capitulis, optima responsione soluit vnamquamque quæstionem. Erat enim vir castus, diuinæ scripturæ eruditus, facundus loquela, & constans animo, Ecclesiasticarum rerum defensor, & cōtrariorum fortissimus impugnator, Hic exordio Pontificatus sui calcarias decoqui iussit, & a porta S. Laurentij inchoans, huius ciuitatis muros restaurare decreuerat: & aliquam partem faciens, emergentibus incongruis variisque tumultibus, præpeditus est, Huius temporibus Ioannes Constantinopolitanus Antistes Synodicam ei misit, atque ad eum rescriptis idem vsus est Pontifex. Hic maximam partem basilicæ B. Pauli Apostoli, quæ ceciderat, allatis de Calabriâ trabibus cooperuit, & altare à nouo fecit, & ciborium argenteum, quod fuerat ruina quassatum restituit. S. Laurentij pariter Ecclesiam foris muros sitam, quę trabibus confractis, ruinę iam erat vicina, reparauit, atque aquam fistulis compaginatis post multum tempus in eandem Ecclesiam redauxit, diuersasq. Ecclesias in ruinis positas innouauit, quas per ordinem dicere longum est. Hic in Germania per Bonifacium Episcopum verbum salutis prędicauit, & gentem illam sedentem in tenebris doctrina lucis conuertit ad Christum, Hic monasteria, quę circa basilicam S. Pauli erant ad solitudinem deducta, innouauit, atque ordina-

dinatis seruis monachis, congregationem post longum tempus constituit, vt ibidem die noctuque redderent Deo laudes. Hic Gerontocomium quod post absidam Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe situm est, monasterium instituit. Atque monasterium S. Andreæ Apostoli,(quod Barbaræ nuncupatur)ad nimiam deductum desertionem, in quo nec vnus habitabat monachus, adscitis monachis, ordinauit, vt vtraque monasteria ad S. Dei Genitricem singulis diebus atq. noctibus Deo laudes canerent. Eo tempore Luitprandus Rex donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quam Aritpertus Rex fecerat, hicque repetierat, admonitione tanti viri, vel increpatione redditam confirmauit. Huius temporibus signum in luna factum est Indictio. 14. & visa est cruentata vsque ad mediam noctem. Eo itaque tempore Teudo seu Theodorus Dux gentis Boioariorum ad Apostoli B. Petri limina primus de gente eadem occurrit orationis voto. Huius temporibus Anastasius Imp. classem nauium præparatam in partibus Alexandriæ, dixerit contra à Deo destruendos Agarenos, qui ad aliud versi consilium, antequam peruenissent ad destinatum locum, ab itinere medio, ad regiam regressi sunt vrbem, Theodosium Orthodoxum inquirentes Imperatorem, quem elegerunt atque coactum in solio Imperij confirmauerunt. Anastasius itaque cum ciuibus, vel quibus potuit de exercitu, munitam ciuitatem Nicæam perrexit. illic cum classe in qua Theodosius fuerat Imperator dimicauit; & ferè septem millia exercitus sunt interempta. Quare Anastasij pars superata, verbum iam immunitatis expetijt, datoque sibi Sacramento Clericus factus, atque presbyter est consecratus. Protinus etiam vt ingressus est memoratus Theodosius regiam vrbem, imaginem illam venerandam, in qua sanctæ erant sex Synodi depictæ, & à Philippico nec dicendo fuerat deposita, in pristino erexit loco, ita vt huius fidei feruore omnis ab Ecclesia cessaret quæstio. Eo autem tempore fluuius, qui appellatur Tyberis, alueum suum egressus sese per campestria dedit. intumuit etiā inundatione aquarum multarum, & per portam quæ Flaminia dicitur ingressus est, Transcendit interea aliquibus in locis, & muros vrbis, atque vltra basilicam S. Marci per plateas se extendit, ita, vt in via lata ad vnam & semis staturā aqua eiusdem fluminis excreuisset, atque à porta B. Petri Apostoli vsque ad pontem Miluium aquæ se distenderent, & iuxta remissa eiusdem fluminis se dederint. Domos itaque euertit, agros dissipauit, eradicans arbusta & Segetes. Nam nec serere ipso potuit tempore pars maxima Romanorum, vnde imminebat tribulatio magna. Per dies autem septem aqua Romam tenebat peruasam. A Domno itaque Papa Lætaniæ crebro fiebant: cumque in oratione & Lætanijs persisteret, post octauum iam diem misertus Deus amouit, & fluuius ad proprium regressus est alueum per 15. Indictionem. Cumanum etiam castrum ipso fuerat tempore à Longobardis pacis dolo peruasum: quo audito omnes sunt redditi tristes. Adhortans etiam Sanctissimus Pontifex, & commonens Longobardos vt redderent, qui si non acquiescerent, in iram se diuinam incidere pro dolo, quem fecerant, suis scriptis protestabatur: nam & numera eis dare, vt restituerent, voluit multa. Sed illi turgida mente neque monita audire, nec reddere sunt passi: Vnde nimis idem Sanctus indoluit Pontifex, seseque spei contulit diuinæ, atque in munitione Ducis Neapolitani & populi vacans; Ducatum eis qualiter agerent quotidie scribendo præsentabat. Cuius mandato obedientes consilio inito mænia ipsius castri virtute sub nocturno ingressi sunt silentio, Ioannes scilicet Dux, cum Theodimo Subdiacono & Rectore, atque exercitu; & Longobardos pene trecentos cum eorum Castaldo interfecerunt, viuos etiam amplius quingentos comprehendentes Neapolim duxerunt. Et sic castrum receperunt, pro cuius redemptione septuaginta auri libras ipse Sanctissimus Papa sicut promiserat antea dedit. Hic Hierusalem Ecclesiam Sanctam, quæ multo fuerat detecta tempore, & circumquaque porticus vetustate quassatas trabibus deductis cooperuit, & reparauit. Ambonem etiam marmoreum in eadem Ecclesia

De rebus à S. Bonifacio, Germaniæ patre, martyre præclare gestis vide doctissimum virum Nicolaum Serrarium Soc. Iesu in Historia Moguntiaca lib. 3.

fecit, eamque diuersis ditauit linteis, atque ministerijs. Eodem tempore nefanda Agarenorum gens, cum iam Hispaniarum prouinciam per decem tenerent annos peruasam, vndecimo anno Rhodanum fluuium conabatur transire, ad occupandum Franciam, vbi Eudo præerat. Qui facta Francorum generali expeditione contra Saracenos, eos circundantes interfecerunt. Trecenta enim septuaginta quinque millia vno sunt die interfecti, vt eiusdem Eudonis Francorum Ducis missa Pontifici epistola continebat. Mille tantum quingentos ex Francis fuisse mortuos in eo prælio dixerunt; adiiciens, quod anno præmisso, in benedictionem à prædicto viro Sanctissimo ex directis eis tribus spongijs, quæ ad vsum mensę Pontificis apponuntur, in hora qua bellum committebatur, idem Eudo Aquitanię Princeps, populo suo per modicas partes distribuens diuisit; & qui vel modicum sumpserunt de eis, nec vulnerati sunt, nec mortui in prælio. Eo quoque tempore in Campaniæ partibus combustum triticum, hordeum & legumina; quasi pluuia enim in loco quodam ignis æstus è coelo missi sunt. Hic quadragesimali tempore, vt in quinta feria ieiunium, atque missarum celebritas fieret in Ecclesijs, quod non agebatur, instituit. Oratorium quoque in Patriarchio in nomine B. Petri Apostoli diuersis ornatum metallis à nouo refecit, & circumquaque altaris parietes deargentauit, ac depinxit duodecim Apostolos, qui pens. lib. 180.

Illis interea diebus Constantinopolis est biennium ab Agarenis obsessa: sed Deo eis contrario maxima illic eorum parte fame ac bello interempta confusi recesserunt, Leone Principe strenue vrbem defendente; quamuis & eiusdem ciuitatis populum trecenta millia diuersi sexus & ætatis, pestilentia & varijs incommoditatibus dicant interijsse. Eo etiam tẽpore moribus honesta & nomine digna Pontificis mater ex hac vita subtracta est: post cuius obitũ Gregorius Papa domũ propriam in honorem Sanctæ Christi martyris Agathæ, additis à fundamento coenaculis, vel quæ monasterio erant necessaria à nouo construxit; prædiaque illic vrbana & rustica pro monachorum obtulit necessitate. Fecit autem in eadem Ecclesia B. Agathę ciborium ex argento, quod pens. lib. 720. arcus argenteos sex pens. sing. lib 15. canistra decem, pens. sing. lib. 12. & alia dona multa largitus est. Eo tempore castrum Narniæ à Longobardis est peruasum. Rex verò Longobardorum Luitprandus generali motione facta Rauennam progressus est, atque illam obsedit per dies aliquot, & castrum peruadens classes captas abstulit plures, & opes abstulit innumeras.

Post aliquod tempus Basius Dux, Iordanes Chartularius & Ioannes subdiaconus, cognomento Lurion, consilium inierunt vt Pontificem interficeret. Quibus assensum Martinus Imperialis Spatarius, qui Romanum Ducatum tenebat, regia missus vrbe, Imperatore mandante hoc præbuit; sed tempus inuenire non potuerunt: Quia Dei iudicio dissolutus, & contractus est, & sic à Roma recessit. Postmodum Paulus Patricius & Exarchus in Italiam missus est, qui denuo vt hoc scelus perficerent meditabatur. Quorum consilium Romanis patefactum est, qui moti cuncti Iordanum interficerent & Ioannem Lurionem, nisi aufugissent; Basilius verò monachus factus, in loco quodam intrusus vitam finiuit. Paulus verò Exarchus Imperatoris iussione eundem Pontificem conabatur interficere, (eoque censum in prouincia ponere præpediebat, & cogitabat suis opibus Ecclesias denudare, sicut in coeteris actum est locis) atque alium in eius loco ordinare. Post hunc Spatharius cum iussione missus est alter, vt Pontifex à sua sede amoueretur. Atque denuo Paulus Patricius ad perficiendum tale scelus, quos seducere potuit ex Rauennatibus, cum suo Comite, atque ex castris aliquos misit. Sed motis Romanis atque Longobardis vndique pro defensione Pontificis, in Salario ponte Spoletini, atque hinc inde Duces Longobardorum circumdantes fines Romanorum, hoc præpedierunt. Iussionibus itaque postmodum missis decreuerat Leo Imperator, vt nulla imago cuiuslibet

San-

Sancti, aut Martyris, aut Angeli, vbicunque haberetur, sed omnes deponerentur & igni incenderentur: maledicta enim omnia asserebat. Et si acquiesceret in hoc Pontifex, gratiam Imperatoris haberet; si verò hoc fieri præpediret, à suo gradu deijceretur. Respiciens ergo pius vir profanam Principis iussionem, iam contra Imperatorem, quasi contra hostem se armauit, renuens hæresim eius, scribensque vbique cauere se Christianos ab impietate tali quæ orta esset. Igitur permoti omnes Pentapolenses, atque Venetiarum exercitus, contra Imperatoris iussionem restiterunt, dicentes, nequaquam se in eiusdem Pontificis condescendere necem, sed magis pro eius defensione viriliter decertare. Itaque anathemati Paulum Exarchum, qui illud edictum direxerat, eiusq. consentaneos summittunt, spernentes ordinationem eius; atque sibi omnes vbique in Italia duces eligunt, & sic de Pontificis deque sua immunitate cuncti student. Cognita verò Imperatoris nequitia, omnis Italia consilium inijt, vt sibi eligerent Imperatorem & Constantinopolim ducerent. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conuersionem Principis. Ipsis interea diebus Exhilaratus Dux Neapolis, deceptus diabolica instigatione, cum filio suo Adriano, Campaniæ partes tenuit, seducens populum, vt obedirent Imperatori & occiderent Pontificem: tunc Romani omnes surgentes comprehenderunt eum, & cum filio suo interficerent. Post hunc & Petrum Ducem dicentem se contra Pontificem Imperatori scripsisse, turbauerunt. Igitur dissensione facta in partibus Rauennæ, alij consentientes impietati Imperatoris, alij cum Pontifice, & fidelibus tenentes, mota contentione inter se Paulum Patricium occiderunt. Lõgobardis vero, Aemiliæ castra (Ferrorianum, Montebello, Veralbum cum suis oppidis Buxo & Pernicteta, Pantapolim quoque & Auximanam ciuitatem) tradiderunt.

Cum Imperator pijs monitis Pontificis non modo non obtemperaret, sed potius eam Tyrrannidem, quam hic Anastasius describit in Oriente contra Orthodoxos exerceret, Pontifex eum velut impenitentem hæreticum, anathemati subiecit. omnesque Imperij subditos in Italia ab eius obedientia recedere adhortatus est. Qui Pontificis vitæ aliquoties frustra insidiatus est, Pontifexque consulens sibi & Ecclesiæ cum Carolo Martello Francorum Rege tale fœdus inijt, vt si opus foret, contra Imperatorem Romanæ Ecclesiæ defensionem præberet, accepturus Consulatum in vrbe.

Post aliquod verò tempus Euthychium Patritiũ Enuchum, qui dudum Exarchus fuerat, Neapolim misit Imperator, vt illud perficeret Ille, quod Exarchus Paulus, Spatarij quoque, & cœteri malorum consiliatores, facere nequiuerunt. Sed ne sic; annuente Deo, latuit miserabilis dolus, sed mox claruit cunctis pessimum consilium, quia Christi violare conabantur Ecclesias, & perdere cunctos, atque omnium diripere bona. Cumque mitteret hominem proprium Romam cum scriptis suis, in quibus continebatur, vt Pontifex occideretur cum optimatibus Romæ, protinus agnita crudelissima insania ipsum Patritium missum occidere voluerunt, nisi defensio Pontificis nimia præpedisset. Verum eundem Euthychium Exarchum anathematizauerunt, constringentes sese magni cum paruis Sacramento, nunquam Pontificem Christianæ fidei zelotem, & Ecclesiarum defensorem, se permittere noceri, aut amoueri, sed mori pro illius salute. Munera tunc inde Ducibus Longobardorum & Regi pollicens plurima, vt ab iuuamine desisterent Pontificis, per suos legatos Patritius ille suadebat. Qui ex scriptis detestandam viri dolositatem despicientes, vna se, quasi fratres, fidei catena constrinxerunt cum Romanis, desiderantes potius mortem pro defensione Pontificis sustinere gloriosam, quam permittere illum pati aliquam molestiam pro fide vera & Christianorum salute. His ita se habentibus, elegit maius præsidium Papa, scilicet distribuere pauperibus largissima manu, quæ reperiebat; incumbensque orationibus & ieiunijs & Lætanijs, Deum quotidie deprecabatur, Et spe ita manebat semper fultus plusquam huminum: gratias tamen voluntati populi referens pro mentis proposito, blando sermone, vt bonis in Deum proficerent actibus, & in fide persisterent rogabat. Sed ne desisterent etiam ab amore, vel fide Romani Imperij, abmonebat. Sicque cunctorum corda molliebat. Eodem tempore per II. Indict. dolo à Longobardis peruasum est Suriense Castellum, quod per centum, & quadraginta dies ab eisdem possessum est; Sed Pontificis continuis scriptis, atque commonitionibus ad Regem missis, multis etiam datis muneribus, tandem omnibus suis nudatum opibus, donationem Beatissi-

mis Apostolis Petro, & Paulo antefactam emittens Longobardorum Rex restituit & donauit. Eo quoque tempore indict. 12. mense Ianuario, per decem, & amplius dies, stella quæ antifer vocatur, cum radijs in cælo apparuit occiduo, cuius radij partes Aquilonis respiciebant, & vsque ad medium cælum se extendebant. Eo verò tempore sæpius dicti Eutychius Patritius, & Luitprandus Rex inierunt consilium nefarium, vt congregatis exercitibus, Rex subijceret Duces, Spoletanum, & Beneuentanum, & Exarchus, Romam; & quæ pridem de Pontificis persona iussus fuerat impleret. Qui rex Spoletum veniens, susceptis ab vtrisq. Ducibus sacramentis atque obsidibus, cum toto suo exercitu in Neronis campum secessit: ad quem egressus Pontifex, eique præsentatus, studuit vt potuit eius mollire animum, commonitione pia, ita, vt se prosterneret eius pedibus, & promitteret se nulli inferre læsionem: atque sic ad tantam compunctionem pijs monitis flexus est, vt quæ fuerat indutus, exueret, & ante corpus Apostoli poneret, Mantum, Armillas, Balteum, Spatam, atque ensem deauratum; nec non coronam auream, & crucem argenteam. Post orationem factam obsecrauit Pontificem, vt memoratum Exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur, quod & factum est. Et sic recessit Rege declinante à malis consilijs quæ inierat cum Exarcho. Igitur Exarcho Romæ moranti, venit in partibus Tusciæ in Castrum Manturianense quidam seductor Tiberius nomine, cui cognomen erat Petasius, qui sibi regnum Romani Imperij vsurpare conabatur, leuiores ita decipiens, vt Mantuarianenses, Lunenses, atque Bletani eisacramenta præstitissent Exarchus igitur hæc audiens turbatus est, quem sanctissimus Pontifex confortās, & cum eo proceres Ecclesiæ mittens, cum exercitu proficisci iussit. Qui eo venientes, in Matuariensi Castello Petasium interimerunt. eiusque caput abscisum Constantinopolim ad Principem miserunt. Et ne sic tamen Romanis plenam gratiam largitus est Imperator: Sed magis post hæc claruit eius malitia qua persequebatur Pontificem adeo, vt compelleret omnes Constantinopoli habitantes, tàm vi, quàm blandimentis imagines deponere vbicunque haberentur, tam Saluatoris, quàm Genitricis eius sanctæ, & omnium sanctorum, easque in medio ciuitatis, quod dicere crudele est, igni crem arent; & omnes dealbaret depictas Ecclesias. Et quia plerique ex eiusdem ciuitatis populo, tale scelus fieri præpediebant, aliquanti capite truncati sunt, alij in aliqua parte corporis excisi pœnam pertulerunt. Pro qua causa etiam Germanum S. Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistitem, eo quod consensum ei præbere noluisset, Pontificatu priuauit, & in eius locum complicem sibi Anastasium presbyterum constituit. Qui missa Romam Sydonica dum tali hæresi eam repleret, vir sanctus non censuit eum fratrem, aut consacerdotem solito vocari, sed rescriptis commonitorijs, nisi ad Catholicam conuerteretur fidem, etiam extorrem à sacerdotali officio esse mandauit. Imperatori quoque suadens salutaria, vt à tali execrabili miseria declinaret, scriptis commonuit.

Hic constituit vt tẽpore quadragesimæ quinta feria ieiuniũ & celebritas missarum in Ecclesia fieret, quod nondum factum antea.

Idem interdixit presbyteram Diaconam (hoc est vxorem eius qui ea relicta ex mutuo consensu in presbyterum, aut Diaconum ordinatus est) monacham & commatrem spiritualem sibi matrimonio iungere.

Hic fecit calicem aureum præcipuum diuersis ornatum lapidibus preciosis; pens. lib. 30. similiter, & patenam auream pen. lib. 28. & semis. Hic dimisit omni clero, monasterijs, Diaconiæ, & mansionarijs solidos duo millia centum sexaginta. Et ad luminaria B. Petri Apostoli solidos mille. Hic fecit ordinationes quinque, quatuor per mensem Septembrem, & vnam mense Iunio, presbyteros 35. Diaconos 4. Episcopos per diuersa loca 150. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum, sub die 3. Idus Februarij indict. 14. Leone, & Constantino Imperatoribus. Et cessauit Episcopatus dies quinque, mensem vnum.

Scripsit epistolas complures ad diuersos, sed quarum hæ præcipue habentur. I. Ad Turpinum Rhemensem Episcopum, qua res à Carolo Martello Francorũ Rege, contra S. Rigobertum Episcopum gestæ irritæ redduntur. II. Ad Bonifacium Germaniæ Apostolum, cui dat prædicandi Euangelij potestatem. III. Ad Carolum Martellum Regem Francorum vt S. Bonifacio patrocinium suum præbeat.

beat. IV. Ad Boreales Episcopos & Duces, vt B. Bonifacium humaniter excipiant. V. Ad vniuersum Clerum, & populum per Germaniam, & Franciam, vt S. Bonifacium Episcopum ad prædicationem Euangelij missum vbique adiuuent. VI. Ad nobiles confessores Thuringos, vt in Christi confessione constanter perseuerent. VII. Catechistica ad populum nondum Christianum, qua hortatur recedere ab idolis, & sacrum baptismum suscipere. VIII. Ad omnes antiquos Saxones, siue Gentiles, siue iam Christianos. IX. Ad S. Bonifacium, vt in messe sibi commissa alacriter laboret. X. Ad S. Germanum Constantinopolitanum Patriarcham, qua gratulatur de eius victoria contra hæreticos: & sacras imagines venerandas esse demonstrat. XI. Ad Vrsum Ducem Venetiarum, pro Rauenna à Longobardis defendenda. XII. Ad Leonem Isaurum Imperatorem, de sacris imaginibus venerandis. XIII. Ad eundem, in eadem materia. XIV. Ad S. Bonifacium, qua respondet ad consultationes sibi ab eo propositas. XV. Ad Serenum Foroiuliensem Episcopum, de Gradensi Ecclesia non inuadenda. XVI. Ad Donatum Gradensem Patriarcham, eiusque subditos, significans de inuadendis alienis Prouincijs, Foroiuliensi Episcopo interdictum esse. Denique scripsit instructionem, seu Capitulare, datum Martiniano Episcopo, Georgio Presbytero, & Dorotheo subdiacono, in Bauariam ablegatis.

Luitprandus Longobardorum Rex in sacrilego Imperatore detestatus quod Saluatoris imaginē venerandā deturbasset, bellum in eum mouit & Rauennā armis occupauit, sed Pōtifex cupiens Imperatorem beneficijs ab errore auocare rogauit Venetos, vt Rauennam Imperatori recuperarent, quod & fecerunt strenue.

Primum Concilium Romanum I.

A. D. 721. Ipsis nonis Aprilis.

Habitum sub Gregorio II. aduersus illicita coniugia, conuocatis Episcopis viginti duobus, qui 17. Canones conscripserunt. In hoc Coucilio subscripserunt etiam Presbyteri. 14. & Diaconi quatuor. Inter Episcopos verò subscripsit Sinedrus Toletanus Archiepiscopus, qui ciuitate à Sacenis tunc excisa, ad Romanam Eccleuam, totius religionis Christianæ asylum confugerat.

Secundum Concilium Romanum II.

Ann. D. 724.

In causa S. Corbiniani Frisigensis Episcopi celebratum, qui ad pedes Pontificis prostratus, amore quietis dimissionem ab Episcopatu petijt, sed patres congregati, vna voce eum reuerti debere proclamabant, multis testimonijs scripturarum id confirmantes. Benedictionem igitur accepta, valefaciens omnibus tristis recessit.

Tertium Concilium Romanum III.

Anno D. 726.

Quo Iconoclastarum hæresis est condemnata, vsusque sacrarum imaginum confirmatus.

GREGORIVS III.

Anno D. 731. Die 16. Febr. Leonis Isaurici ann. 16. Hunc Pontificem B. Bonifacius Germanorū Apostolus semel per legatos, semel proprio ad Vrbem, accessit de rebus fidei contra gentiles, & hæreticos propagandis consulturus.

Natione Syrus, ex patre Ioanne. Sedit annos decem, menses 9. dies 12. vir mitissimus, & valde sapiens, in diuinis scripturis sufficienter instructus, Græca Latinaque lingua eruditus. Psalmos omnes memoriter per ordinem retinens, & in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus. Lingua quoque in lectione polita, exhortator omnium bonorum operum, plebiq. florentissimæ salutaria prædicans, fidei Catholicæ, & Apostolicæ immutilatæ conseruator, perenniter suis monitis corda fidelium corroborans, Orthodoxæ fidei æmulator, ac defensor fortissimus; paupertatis amator, & erga inopes prouisor non solum mentis pietate, sed studij sui labore sollicitus: Captiuorum redemptor, Orphanorum quoque, & viduarum largitor necessaria tribuens; amator religiositatis in Christiana norma, & religiosè volentibus viuere, & Dei timorem habentibus, in suis præcordijs dilector existens, Deo fauente peruenit ad sacrum ordinem presbyteratus. Quem viri Romani, seu omnes populi à magno vsque ad paruum, diuina inspiratione permoti, subito eum, dum eius decessor de hoc sæculo migrasset, dumque ante feretrum in obsequio sui antecessoris esset intentus, vi abstollentes in Pontificatus ordinem elegerunt. Fuit autem temporibus Leonis, & Constantini Imperatorum, ea persecutione grassante, quæ per ipsos mota est ad depositionem, & destructionem sacrarum imaginum Domini nostri Iesu Christi,

&

& sanctæ Dei Genitricis, sanctorum Apostolorum, omniumq. Sanctorum & Confessorum: pro quibus idem Sanctissimus vir, vt ab hoc resipiscerent, ac se remouerent errore, commonitoria scripta, vigore Apostolicæ sedis, quemadmodum, & sanctæ memoriæ decessor ipsius direxerat, misit per Georgium presbyterum. Qui humano ductus timore, non eadem scripta Imperatori porrexit, rediensq; Romam ipse hoc sanctissimo Pontifici patefecit & confessus est faciens se reum culpæ. Quem magna commotione Pontifex voluit ordine sacerdotali priuare, sed obsecrante tam Concilio, quam Optimatibus, vt non deponeretur, imposita ei digna pœnitentia, iterum eum cum eisdem literis ad regiam Vrbem direxit. Sed nequiter augmentata dispositio eorundem Imperatorum, eadem venerabilia scripta in Siciliæ Insula retinere fecit, nec ad Vrbem regiam pertransire permisit; eundemque portitorem pœne per annum integrum in exilium relegauit. Vnde maiori fidei ardore permotus Pontifex, Synodale decretum cum sacerdotali conuentu, coram sacrosancta confessione sanctissimi corporis B. Petri Apostoli, residentibus cum eodem summo, & venerabili Papa, & Archiepiscopis, id est, Antonio Gradensi Archiepiscopo, Ioanne Episcopo Rauennate, cum cæteris Episcopis istius Hesperiæ partis numero 93. & præsbyteris huius sanctæ Apostolicæ Sedis; astantibus Diaconibus cum cuncto clero, nobilibus etiã Consulibus, & reliquis Christianis plebibus, decreuit, *vt si quis deinceps antiquæ consuetudinis: & Apostolicæ Ecclesiæ tenentes fidelem vsum contemnens, aduersus eandem venerationem sacrarum imaginum. videlicet Dei, & Domini nostri Iesu Christi & Genitricis eius semper virginis immaculatæ atque gloriosæ Mariæ, Beatorum Apostolorum, & omnium sanctorum depositor, atque destructor, & prophanator, vel blasphemus extiterit, sit extorris à corpore, & Sanguine Domini nostri Iesu Christi, vel totius Ecclesiæ vnitate atque compage;* quod & subscriptione sua solemniter vniuersi firmauerunt. Et inter cætera instituta probabilium prædecessorum, Orthodoxorum Pontificum annectenda sanxerunt. Post peractum igitur hoc memoratum superius Synodale constitutum, iterum misit alia similia scripta commonitoria pro erigendis sacris imaginibus per Constantinum defensorem, quæ similiter vt anteriora detenta sunt: & portitorem eorum fortissima custodia constrinxerunt pœne per annum integrum: post modum autem vi auferentes ei, ipsa scripta, & cõminantes ei, post tanti temporis custodiam, cum iniurijs eum remiserunt. Nam & cuncta generalitas istius prouinciæ Italiæ similiter pro erigendis imaginibus supplicationis scripta vnanimiter ad eosdem Principes direxerunt, quæ & ipsa similiter vt anteriora ablata sunt à Sergio Patritio, & Stratego ipsius insulæ Siciliæ: ac ferè per octo menses detenti, remissi sunt similiter cum exprobrationis iniuria portitores. Et iterum faciens exhortatorias Domnus Papa, pro erigendis suprascriptis sacris imaginibus, & Orthodoxæ fidei firmitate direxit per Petrum defensorem ad regiam Vrbem, tam Anastasio inuasori sedis Constantinopolitanæ, quamq. Principibus, Leoni & Constantino. Hic concessas sibi columnas sex onychinas volubiles, ab Eutychio Exarcho, duxit eas in Ecclesiam B. Petri Apostoli, quas statuit circa presbyterium ante confessionem, tres à dextris, & tres à sinistris, iuxta alias antiquas sex pgylopareas; super quas posuit trabes, & vestiuit eas argento mundissimo. In quibus sunt expressæ ab vno latere effigies Saluatoris & Apostolorum; & ab alio latere Dei Genitricis, & sanctarum Virginum. Posuitq. super eas lilia & pharos argenteos pens. vnumquemque lib. septuaginta. Hic fecit oratorium intra eandem basilicam iuxta arcum principalem parte virorum, in quo condidit in honorem Saluatoris Regis sanctæq. eius Genitricis, reliquias sanctorum Apostolorum, & diuersorum Martyrum, ac Confessorum, aliorumq. iustorum in diuersis orbis partibus requiescentium. Quorum festa vigiliarum à monachis trium monasteriorum illic seruientium, quotidie per ordinem, atque natalitiorum missas, in eodem loco celebrare instituit, adiecitque in canone missæ ita à sacerdote dicendum. *Quorum solemnitas*

nitas hodie in conspectu tuæ maiestatis celebratur Domine Deus noster in toto orbe terrarum. Quam institutionem in eodem Oratorio tabulis lapideis conscribere fecit: in quo faciens pergulam, contulit dona diuersarum specierum, id est, gabathas aureas duas, alias saxicas numero quinque, cruces pendentes quatuor, item cruces dissimilis laboris num. 10. Amulas superantatas paria duo pendentes, fibulatoria numero quinque. Coronam auream pendentem gemmis ornatam super altare, patenam, & calicem aureum cum gemmis paratum. Aquamanile argenteum par vnum, & imaginem sanctæ Dei Genitricis, diadema aureum habentem cum gemmis, & collare aureum cum gemmis pendentibus, inaures habentes hyacinthinas sex. Et faciem altaris, & confessionem cum regulis vestiuit argento, & in tribus lateribus altaris posuit cruces argenteas tres pen. in vnum lib. 36. canistra argentea duo; calicem argenteum quotidianum: Coronulas argenteas numero quinque, & calicem argenteum vnum, qui pendet in abside ipsius oratorij: & super eandem absidem cruces argenteas tres, & cætera, quæ in ornamento pergulæ, seu ad vestes altaris ordinatæ sunt. Hic fecit in Eccle. S. D. Genitricis ad Præsepæ per circuitum super columnas regulare candelabrum, ad instar Ecclesiæ B. Petri Apostoli. Fecit, & ibidem in Oratorio sancto, quod Præsepe dicitur, imaginem auream Dei Genitricis, amplectentem Saluatorem Dominum Deum nostrum, ornatam gemmis diuersis pen. lib. quinque. Hic renouauit tectum S. Chrysogoni Martyris, & cameram, parietumq. picturas, Ciborium autem de argento, & arcus quinque, pensan. in vnum lib. 220. vbi obtulit coronas argenteas quatuor, farocanthara duo, patenā argenteam vnam, calicem argenteum vnum, tum etiam vestes altaris, nec non & vela serica alba, ornata biatto circumquaque pendentia. Construxitq. monasterium erga eundem titulum sanctorum Martyrum Stephani, Laurentij atque Chrisogoni, constituens ibidem Abbatem, & monachorum congregationem ad persoluendas Deo laudes in titulo, diurnis atque nocturnis temporibus, ordinatam ad instar officiorum Ecclesiæ B. Petri Apostoli, segregatā vero à iure potestatis presbyteri prædicti tituli. In quo monasterio pro sustentatione ibidem, ipse idem sanctissimus vir prædia, & dona, atque familiam largitus est. Et diuersi alij fideles, & amatores Domini nostri Iesu Christi, in eodem monasterio sanctorum Stephani, Laurentij, & Chrisogoni prædia, & dona deuotissime contulerunt. Simili etiam modo renouauit monasterium sanctorum Ioan. Euangelistæ, Ioan. Baptistæ, & S. Pancratij, secus Ecclesiam Saluatoris antiquitus constructum, quod ab omni ordine monastico extiterat nimia incuria destitutum. In quo prędia, & dona contulit, & quæ inuenerat de ipso monasterio alienata, reddito precio, in eundem locum restituit, vbi & congregationem monachorum & Abbatem constituit, ad persoluenda quotidie sacra officia laudis diuinæ, in basilica Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur iuxta Lateranum, diurnis nocturnisq. temporibus ordinata, ad instar officiorum Ecclesię B. Petri Apostoli. Item imaginem S. Dei Genitricis antiquam deargentauit, ac innestiuit argento mundissimo pen. lib. 50. Item fecit patenam auream magnam cum diuersis lapidibus pen. lib. 26. & calicem similiter cum gemmis pen. lib. 34. Similiter, & Euangelia aurea cum gemmis pe. lib. 14. Fecit autem & tectum nouiter, simul & cameram S. Andreæ Apostoli, ad S. Petrum Apostolum, quam depinxit, & fecit in eadem basilica imaginem auream cum gemmis B. Andreæ Apostoli pen. lib. 8. & intra confessionem vestiuit argento, quod deaurauit auro purissimo. Hic etiam basilicam S. Calixti Pontificis & martyris poenè à fundamentis dirutam nouis fabricis cum tecto construxit, ac totam depinxit: vbi contulit patenam argenteam, simul, & calicem, & vestes altaris. Item tectum basilicę sanctorum Processi & Martiniani à nouo construxit, suppositis pila fabricis fortissimis, post eorundem sanctorum veneranda corpora, ad firmamentum murorum basilicę sanctæ. Item in Ecclesia B. Genesij martyris tectum nouiter instaurauit, vbi & altare

Anno D. 684. Ann. Gregorij Papæ 10. *Ingens terremotus Constantinopolim vexauit, quo perterrefactus impius Iconoclasta Leo Imper paucos post menses ex hac vita sublatus est, cū regnasset annos 25. Quo terremotu multæ ciuitates in Thracia, Grecia & Bithinia ceciderunt, in ipsaq. vrbe regia corruerunt Ecclesiæ, & monasteria, populusque multus extinctus est muri que vrbis ceciderūt & mare multis in locis fugit à terminis suis. Durauit autem motus ille terræ mēsibus 11. Quare Imp. Leo cladem tantam in suum lucrum conuertere cupiens, pro murorum instauratione tributum indixit, vt à singulo aureo nummus argenteus solueretur. Quod & in posteros propagatū tradunt. In Romanos verò impius Imper. concitauit Longobardos, quos & filius eius Cōstantinus perniciosissimus homo, armare non desistebat ipse magicis maleficijs luxurijs, cruentisque sacrificijs deditus. Quare Artabasdus Curopalata gener Leonis Imp. occisis quibusdam amicis Constantini inuaserat ipse Imperium & Constantinopolim iam cum acclamationibus populi ingressus fuerat vbi filios Constantini captos cæsos & tonsos carceri mancipauerat. Sed Constantinus collecto in Armenia exercitu vicit prælio Artabasdū & filium eius Nicetam & vtrumque occidit.*

erexit in nomine Saluatoris nostri, in quo cōtulit patenā argēteā & calicē, & coronā argenteam cum delphinis sex, nec non & coronulā aureā cū cruce, pendentem super altare. Item in basilica S. Dei Genitricis, quæ ad martyres dicitur, tectū nouiter renouauit, & cartis plumbeis contexit. Item basilicam Sanctæ Dei Genitricis, quæ in Aquiro dicitur, in qua antea Diaconia, & paruum oratorium fuit, eam à fundamentis longiorem & latiorem construxit, atque depinxit. Item Diaconiam S. Sergij & Bacchi, sitam ad B. Petrum Apostolum, in qua pridem paruum oratorium erat, à fundamentis ampliori fabrica dilatauit: & concedens omnia, quæ in vsum Diaconiæ existunt, statuit perpetuo tempore pro sustentatione pauperum in Diaconiæ ministerio deseruire. Item in cimiterio S. Petronillæ stationem annuam dari instituit, vbi obtulit coronam auream, calicem & patenam argenteam, aliaque diuersa ad ornatum Ecclesiæ pertinentia, Item mansiones & cubicula quæ sunt ad B. Petrum, in ruinis posita, à fundamentis nouiter restaurauit atque depinxit. Item Basilicam S. Marci sitam foris muros huius ciuitatis Romanę via Appia, eius tectum dirutum à nouo refecit. Item in Ecclesia B. Pauli Apostoli mutauit trabes numero quinque, atque totum eiusdem Basilicæ tectum, ab arcu altaris, vsque ad regias resarciuit ac restaurauit. Mutauit autem trabes in Sancta Dei Genitrice ad Præsepe numero quinque. Fecit verò à nouo Ecclesiam Sanctorum Marcelli & Petri iuxta Lateranam, & cimiterium Beatorum Martyrum Ianuarij, Vrbani, Tiburtij, Valeriani & Maximi, & tecta in ruinis posita à nouo refecit.

Huius temporibus plurima pars murorum huius ciuitatis Romanæ restaurata est; alimoniam quoque artificum; & precium ad emendam calcem de proprio tribuit. Huius temporibus Galliensium Castrum recuperatum est, pro quo quotidie expugnabatur ducatus Romanus, à ducatu Spoletino, dans pecunias non paruas Trasimundo Duci eorum, vt cessarent bella, & quæstiones, possitque causa finiri, & in compage sanctæ Reipublicę, atque in corpore Christo dilecti exercitus Romani annecti. Hic fecit vestes ad altaria in Ecclesijs, Saluatoris, Dei Genitricis, Sanctorum Apostorum Petri & Pauli, Atque Andreæ, & cæterorum in diuersis Ecclesijs. Nam & in Centumcellensium ciuitate muros dirutos pœne à fundamentis fortissime construi fecit; & hoc constituit, vt secundum constitutum, quod à collegio sacerdotum coram sacro corpore B. Petri factum est, pro celebrandis solemnijs vigiliarum, atque missarum Christi Domini nostri, sanctæq. eius Genitricis, sanctorum Apostolorum, & omnium Sanctorum Martyrum, ac Confessorum, perfectorumque iustorum toto in orbe terrarum requiescentium, vt in Oratorio nomini eorum dedicato, intra Ecclesiam B. Petri Apostoli sub arcu principali à monachis vigilię celebrarentur, & à Presbyteris Hebdomadarijs, missarum solemnia: ijsdemque institutis disposuit, vt in cœmiterijs circumquaque positis Romæ in die natalitiorum eorum, luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarētur ad celebrandas missas, per quem prouideret Pontifex, qui pro tempore fuerit, sacerdotem. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decemb. Presbyteros 24. Diaconos 3. Episcopos per diuersa loca 80. Qui etiam venerabilem Vulcarium in partibus Franciæ, in ciuitate Vienna, dato ei pallio Archiepiscopum constituit. Qui Sepultus est in basilica B. Petri Apostoli 4. Kal. Decemb. Et cessauit Episcopatus dies 4.

Scripsit hic Pontifex ad Leonem Imp. & eius filium libros tres pro cultu sacrarum imaginū. Et Epistolarum librum vnum, sed his omnibus caret. mus.

Scripsit Epistolas ad diuersos numero septem. I. Ad Bonifacium Germaniæ Apostolum, qua respondet ad consultationes illius. II. Ad omnes Episcopos, Abbates, & Principes Germaniæ III. Ad Optimates & populos prouinciarum Germaniæ IV. Ad omnes Episcopos Boioarię & Alemanniæ V. Ad supradictum Bonifacium, qua gratulatur multos ad fidem conuersos, respondetque eius consultationibus, & iubet vt Concilium celebret, atque in fidei prædicatione persistat. VI. & VII. Ad Carolum Martellum Francorum Principem, vt Romanę Ecclesiæ contra Longobardos Italiam deprædantes auxilium ferat.

Scri-

Scripſit etiam excerptum quoddam, ex Patrum dictis, canonumque ſenten. tijs collectum, in 33. capita diuiſum, quo doctrinam tradit ſufficientem, de diuerſis criminibus, & remedijs eorum: quam libellum pœnitentialem rectè quis appellare poterit. *Anno D. 679.*

Primum Concilium Romæ ſub Gregorio III. celebratum,

In cauſa Gregorij presbyteri legati Sedis Apoſtolicæ ad Leonem Imper. quod metu perculſus litteras Pontificias Imperatori non reddidiſſet, quibus eum Pontiſex ab hæreſi Iconoclaſtarum auocare conabatur.

Secundum Concilium Romanum, *Ann. D. 682.*

Pro imagínum ſacrarum cultu 93. Epiſcoporum, quibus cum Gregorius Papa, primum ad confirmandas antiquas Patrum traditiones, de vſu ſacrarum imaginum Coſtitutum edidit, eoſque diro anathemate percuſſi t, qui huic decreto aduerſarentur. Deinde ad eundem Imperatorem commonitoriam epiſtolam mittendam eſſe decreuit.

A.D. 741. 31 Decemb. quo tempore terræmotus per loca facti ſunt adeo vehementes, vt montes vnirentur ad inuicem per eremum Saba, & Caſtella in terrã immergerentur abſorta.

ZACHARIAS Natione Grecus, ex patre Polychronio. Sedit annos 10. menſes 10. dies 14. Vir mitiſſimus atq. ſuauis, omnique bonitate ornatus, amator cleri, & omnis populi Romani tardus ad iraſcendum, & velox ad miſerandum; nulli malum pro malo reddens, neque vindictam ſecundum meritum tribuens, ſed pius ac miſericors à tempore ordinationis ſuæ omnibus factus. etiam & his, qui ante ſui fuerant perſecutores, bona pro malis teddidit, eoſque honoribus promouens ſimul & facultate ditauit. Hic inuenit totam Italiæ prouinciam valde turbatam, ſimul & ducatum Romanum proſequendo Luitprando Longobardorum Rege, ex occaſione Traſimundi Ducis Spoletani, qui in hac Romana vrbe eodem Rege proſequente refugium fecerat. Et dum à prædeceſſore eius beatæ memoriæ Gregorio Papa, atque ab Stephano quondam Patritio & Duce, omnique exercitu. Romano, prædictus Traſimundus redditus non fuiſſet, obſidione facta pro eo, ab eodem Rege ablatæ ſunt à Romano ducatu ciuitates quatuor, id eſt, Ameria, Ortas, Polimaetium & Blera. Et ſic idem Rex ad ſuum palatium reuerſus eſt, per menſem Auguſtum Indict. 7. Traſimundus verò Dux, habito conſilio cum Romanis, collectoque generali exercitu ducatus Romani, ingreſſus eſt per duas partes in fines ducatus Spoletani. Qui continuo timore ducti præ multitudine exercitus Romani, eidem Traſimundo ſe dediderunt, Marſicani, & Forconini, Valuenſes atque Prinenſes. Deiende ingreſſi per Sabinenſe territorium, venerunt in Reatinam ciuitatem, quę itidem ſe dedidit. Inde pergentes ingreſſi ſunt Spoletum, per menſem Decembrem prædicta Indictione. Eratque magna turbatio inter Romanos & Longobardos, quoniam & Beneuentani & Spoletani cum Romanis tenebant. Sed dum idem Tranſimundus Stephanus Dux noluit implere, prædicto Pontifici & Patricio, ſimulque & Romanis quod promiſerat, pro recolligendis quatuor ciuitatibus, quæ propter eum perierant & alijs, quæ ſpoponderat capitula: & prænominatus Rex ad expeditionem contra ducatum Romanum ſe præpararet, in his prædictus beatæ memoriæ Gregorius Papa diuina vocatione ex hac luce ſubtractus eſt; & diuino nutu prænominatus ſanctiſſimus Zacharias in Pontificatnm eſt electus, cui omnipotens Deus tantam contulit gratiam, vt etiam pro ſalute populi Romani ſuam ponere animam non dubitaret. Miſſa igitur legatione ad prædictum Regem Longobardorum, ſalutaria illi prædicauit. Cuius Sancti viri admonitionibus inclinatus, prænominatas quatuor ciuitates, quas à Ducatu Romano abſtulerat, reddere promiſit. Dumque expeditione militum facta ad cõprehendendum Traſimundum Ducem Spoletanũ, coniugeret ſe, exhortatione viri ſancti, exercitus Romanus exercitui prædicti Regis, Traſimundus deceptum ſe eſſe videns, egreſſus è Spoletana ciuitate vltrò ſe ſe prædicto Regi tradidit. Dumque Rex differret iuxta ſuam promiſſionem factam

reddere quatuor ciuitates Romanis, prænominatus Pontifex, vt verus pastor populi sibi à Deo crediti, spem ponens in cælo, egressus ex vrbe Romana cum Sacerdotibus & clero, perrexit audacter vsque in locum Interamnensium vrbis, vbi tunc in finibus Spoletinis residebat ipse Rex. Qui dum in Ortanam peruenisset ciuitatem, ipseque Rex eius cognouisset aduentum, misit Grimoaldum missum suum, qui ei obuiam factus perduxit eum vsque ad Narnensem ciuitatem. Ad cuius sancti viri aduentum, misit Luitprandus Rex obuiam Duces & Satrapas suos, multumque exercitum, & à Narniensium ciuitate octauo ferè milliario ipse eum suscepit. Sextæ verò feriæ die, perduxit eum ad Basilicam B. Valentini Episcopi & Martyris, sitam in prædicta Interamnensium vrbè ducatus Spoletani; Ante cuius basilicæ fores, idem Rex cum reliquis optimatibus & exercitu suo Sanctum virum excepit: factaque mutuò oratione & salutatione, dum diuinis eum fuisset commonitus Pontifex colloquijs, impensaque charitate ab eadem egressus Ecclesia, in eius obsequium Rex dimidium ferè milliario perrexit, & sic in suis tentorijs vterque, eadem feriæ sextæ die sunt morati. Sabbato verò iterum conuenientes diuina perfusus gratia, Deo placitis admonitionibus eum est allocutus, suadens ab hostili motione & sanguinis effusione quiescere: & ea quæ pacis sunt semper sectari. Cuius pijs eloquijs flexus, & constantiam Sancti viri admiratus, omnia quæcunque ab eo petijt facere promisit, & prædictas quatuor ciuitates, quas ante biennium sub tempus obsidionis Romanæ Vrbis pro prædicto Trasimundo Duce Spoletano, abstulerat, eidem Sancto viro cũ habitatoribus redonauit. Quas & per donationem firmauit in Oratorio Saluatoris, sito intra Ecclesiam B. Petri Apostoli. Nam & Sabinense patrimonium, quod per annos propè triginta fuerat ablatum, atque Narniense etiam & Auximanum, atque Anconitanum, nec non & Numanatense, & vallem, quæ vocatur magna, sitam in territorio Sutrino per donationis titulum ipsi B. Petro Apostolorum Principi reconcessit, & pace cum Ducatu Romano idem Rex in viginti confirmauit annos. Sed & captiuos omnes, quos detinebat ex diuersis prouincijs Romanorum, missis literis suis tàm in Tusciam quàmque trans Padum vna cum Rauennatibus captiuis, Leonem, Sergium Victorẽ, et Agellum viros Consulares, prædicto beatissimo Pontifici redonauit. In prædicta verò basilica B. Valentini per eiusdem Regis petitionem in locum Consentini Episcopi, qui transierat alium ordinauit Episcopum. in cuius consecratione, dum adesset ipse Rex cum suis, iudicibus, compunctione inspirationis diuinæ, plurimi ex Longobardis ad lachrymas sunt permoti præ orationis dulcedine, cum virum sanctum conspicerent fundere preces ad Deum.

Eodem verò die Dominico, post peracta Missarum solemnia, ad prandium eundem Regem, & Apostolicam benedictionem suscipiendam, ipse beatissimus Pontifex initauit. Vbi cum tanta suauitate esum sumpsit, et hilaritate cordis, vt diceret Rex nunquam se meminisse tantum à se conmesum. Alia verò die, quæ fuit secunda feria, valefaciens ei ipse Rex, misit in eius obsequium Aldeprãdum Ducem Clusinum nepotem suum, et Taciperdum Castaldium, atque Raningum Castaldum Tuscanensem cum Grimoaldo, qui eidem sancto viro vsq. ad prædictas ciuitates obsequium facerent, easdemque cum suis habitatoribus traderent, quod et factum est. Inprimis Amerinam ciuitatem, deinde Hortanã: dumque in Polimartio castro conuenissent, eumque recepissent, et fuisset itineris longitudo per circuitum finium Reipublicæ eundi vsque ad Bleranam ciuitatem, quam ipsi sancto viro prænominatus Ramingus Castaldus, et iam dictus Grimoaldus missus contradiderunt; deducentes illum ad eam per partes Sutrinę ciuitatis, et per fines Longobardorum Tusciæ, id est per castrum Viterbium, quia de propinquo erat. Et sic regressus est Deo propitio cum victoriæ palma in hanc vrbem Romam; vbi omnem populum aggregans, allocutus est eos, vt ad persoluendum omnipotenti Deo gratiarum actiones ab Ecclesia Dei Genitricis,

quæ vocatur ad Martyres, egressi omnes cū Lætania generaliter properarent ad B. Principem Apostolorum, et ita factum est. His autem expletis, 10. Indictione, subsequenti 11. Indict. dum nimium opprimeret prędictus Rex prouinciam Rauennantium, fuissetque prępáratus ad expeditionem faciendam, et obsidendum Rauennantium vrbem, cognita expeditione eiusdem Regis, Eutychius excellentissimus Patritius et Exarchus, vna cum Ioanne Archiepiscopo Ecclesiæ Rauennatis, atque vniuerso populo prædictæ ciuitatis, ac ciuitatum Pentapolios, et Æmiliæ, facta in scriptis obs cratione prædicto Sancto, miserunt viros petentes, vt pro eorum liberatione curreret ad Regem. Qui Sanctus vir missa legatione et muneribus ad obsecrandum eundem Regem, per Benedictum Episcopum et Vicedominum, atque Ambrosium Primicerium Notariorum, petijt vt ab expeditione bellica cessaret, et Cesenatense Rauennatibus redderet Castrum; sed passus non est. Cuius cum duram perseuerantiam conspicetet iam nominatus Sanctissimus vir, tropheo fidei munitus, relicta Romana vrbe iam dicto Stephano Patritio et Duci ad gubernandum, non sicut mercenarius, sed sicut verè pastor relictis ouibus, ad eas quæ periturę erant redimendas occurrit. Quo ingresso itinere, dum se orationibus commendaret B. Apostolorum Principi Petro, cum suis sacerdotibus et clero, atque viatoribus, nutu omnipotentis Dei, vt non calore vrerentur per diem vsque ad locum, vbi tentoria figebant, nubes eos tegebat, quę ad vesperum recedebat: Alio autem die in eorum protectione erat, diuinitus instituta. Cui obuiam occurrit denominatus excellentissimus Eexarchus, vsq. ad basilicam B. Christophori, positam in loco qui vocatur ad Aquilam quinquagesimo fere milliario à Rauennatium vrbe. Ipsa verò nubes cum eis vsque ad basilicam S. Apollinaris in Rauennatium vrbem còuiauit tegendo. Exinde factum est signum, vt Sanctum Pontificem, quo erat iturus in Ticinensium vrbem, acies igneæ in nubibus præcederent. Egressus autem de ciuitate Rauennatensi, viri. ac mulieres diuersi sexus et ætatis, agentes gratias omnipotenti Deo profusis lachrymis eundem Sanctum susceperunt Pontificem, clamantes atque dicentes. Bene venit Pastor noster, qui suas reliquit oues, et ad nos qui perituri eramus liberandos occurrit. Ex eadem quoque Rauennatium vrbe, misit Papa ad prænominatum Regem, Stephanum presbyterum, et Ambrosium Primicerium, qui annunciarent ei suum aduentum. Qui viri ingressi fines Longobardorum in ciuitatem quæ vocatur Imola, cognoscentes quod præpeditionem nitebantur facere sancto viro, ne illuc iret per epistolam nocturno tempore nunciarunt. Quo cognito Pontifex, lucescente die Sabbatho, non mortis timore perterritus, sed Christi fretus auxilio, audacter egressus de Rauennatium vrbe, fines Longobardorum ingressus, sesquipes factus est suis missis. Quos quidem præcedentes ante eum, iam dictus Rex dolore perculsus suscipere noluit. Ipse verò Summus Pontifex 28. die mensis Iunij ad Padum conuenit: vbi et ad suscipiendum eum ipse Rex suos misit Optimates. Cum quibus Ticinum veniens, vbi ipse residebat Rex, foris muros eiusdem ciuitatis pertransiens ad horam orationis nonam pro vigiliarum B. Apostolorum Principis Petri celebrandis solemnijs Missarum, in basilicam eius quæ vocatur Coelum aureum, perrexit; et post completam oblationem, in eandem vrbem ingressus, moratus est. Alio quoque die, pro natali celebrando ipsius Principis Apostolorum in prædicta Ecclesia à prænominato Rege inuitatus, missarum solemnia celebrauit. Ibique mutuo se inuicem salutantes, susceperunt cibos, et sic in prænominatam ciuitatem regressi sunt. Quem sanctum virum alio die idem Rex per optimates suos, ad suum palatium procedere inuitauit: et ab eodem Rege. nimis honorificè susceptus, salutaribus eum monitis allocutus est, obsecrans ne amplius Rauennatium prouinciam opprimeret bello, led potius ablatas ciuitates restitueret simul et castrum Cesanense. Qui prædictus Rex post multam duritiam inclinatus fines Rauennatium ita possidere, sicut primitus detinebantur; et duas partes territorij Cesa-

netensis ad partem Reipublicæ restituit: tertiam verò partem per es se retinuit, donec eius missi à regia reuerterentur vrbe, qui dum redirent & castrum & tertiã partem territorij Reipublicæ restitueret, quam nunc pignoris causa apud se detinebat. Post hæc autem idem Rex egressus Ticinio, vsque ad Padum eundem sanctum virum conuians deduxit: in quo loco ei valefaciens cum digna ordinatione cum repedandum absoluit, dans in obsequium eius duces & optimates suos. Sed & alios viros, qui sæpedicta Rauennatium territoria, & castrum Cæsenæ redderent: & ita factum est. Operatus est autem Deus mirabiliter, & Rauennatium atque Pentapolensium populos ab oppressione & calamitate, qua detinebantur liberauit, & saturati sunt frumento, vino et oleo. Regressus autem in vrbem Romanam cum omnibus qui secum erant, gratias agens Deo, denuo natale BB. Principum Apostolorum Petri et Pauli cum omni populo celebrauit, et sese orationibus dedit, petens ab omnipotenti Deo misericordiam et consolationem fieri populo Rauennatensi et Romano, ab insidiatore et persecutore illo Luitprando Rege. Cuius preces non despiciens clementia diuina, eundem Regem, ante diem superius constitutum, de hac subtraxit luce, et quieuit omnis persecutio. Factumq. est gaudium non solum Romanis et Rauennatibus, sed etiam genti Longobardorum, quoniam et Alteprandum nepotem suum, quem ipse reliquerat Regem, maleuolum proiecerunt de regno, et Rachisium qui fuerat Dux elegerunt sibi in Regem. Ad quem missa legatione Beatissimus Pontifex ad viginti annorum spatium pacem conclusit, atque ita vniuersus Italię quieuit populus.

Hic Lateranensi Patriarchio ante basilicam beatæ memoriæ Theodati Papæ à nouo fecit triclinium, quod diuersis marmoribus et vitro, metallis atque musiuo, et picturis ornauit; sed et sacris imaginibus tam oratorium B. Syluestri, quàmque et porticum decorauit, Vbi etiam et omnem substantiam suam per manus Ambrosij Primicerij Notariorum introduci mandauit. Fecit autem à fundamentis ante scrinium Lateranense porticum atque turrim, vbi et portas ęreas, atque cancellos instituit, et pergulam Saluatoris ante fores, ornauit. Et per ascendentes Scalas in superioribus, super eandem turrim triclinium, et cancellos æreos construxit, vbi et orbis terrarum descriptionem depinxit, atque diuersis versiculis ornauit: et omne patriarchium pene à nouo restaurauit. In magna enim penuria locum eundem inuenerat. Hic in Ecclesia Apostolorum Petri et Pauli, pendentia vela inter columnas ex pannis sericis fecit; in eademque Ecclesia omnes codices domus suæ proprios, qui in circulo anni leguntur ad matutinum, in armarij opere ordinauit. Hic domum cultam Lauretum nouiter ordinauit, adijciens et massam Fronteianam, quæ cognominatur Pannaria.

Hic viginti auri libras pro emendo oleo annuè, vt de lucro eorum in luminaribus Apostolicis proficiat, instituit: & constitutum sub anathematis vinculo obligauit. Hic fecit vestem super altare B. Petri ex aureo textam, habentem Natiuitatem Domini, gemmis pretiosis ornatam, & vela serica alithyna quatuor, quæ ornauit rosis & floribus varijs auro textis. Item fecit coronam de argento purissimo cum delphinis ex proprio suo, pens. lib. 120. Hic beatissimus vir iuxta ritum Ecclesiasticum, & fidei suæ sponsionem orthodoxam, Synodicam misit Ecclesiæ Constantinopolitanæ, simul, & aliam suggestionem dirigens Serenissimo Constantino Principi. Et pergentibus Apostolicæ Sedis responsalibus ad regiam Vrbem, inuenerunt intra palatium regiæ potestatis inuasorem quendam, & rebellem Artaustum nomine. Dum enim Imperator ad dimicandum contra Agarenorum properasset gentem, illico præfatus Artaustus datis populo qui in regia remanserunt vrbe præmiis, Imperiale arripuit solium. Et postmodum aggregãs oriẽtalium exercituum multitudinem præfatus Constantinus Princeps, pergensq. Constantinopolim, eandem viriliter expugnauit, atque extrinsecus circumuallans

lans comprehendit, & pristinum regni sui adeptus est fastigium. Statimq. dicti Artausti, eiusq. filiorum eruit oculos, & plures ex suis rebellibus, exules à propriis fecit habitaculis. Post hæc requirens missos Apostolicæ Sedis, quos in tempore perturbationis contigerat eò aduenisse, audiuit & ad sedem absoluit Apostolicam, iuxta quod beatus Papa postulauerat, donationem in scriptis de duabus massis, quæ Nymphas & Normias appellantur, iuris existens publici, eidem sanctissimo Papæ, & sanctæ R.E. iure perpetuo direxit possidendas.

Huius temporibus Carlomanus filius Caroli Francorum Regis præsentis vitæ relinquens gloriam, atque potestatem terrenam, ad B. Petrum Apostolorum Principem deuotus cum aliquantis suis aduenit fidelibus, seseq. eidem commendans in speciali habitu promittens se permansurum, clericatus iugum ab eodem sanctissimo suscepit Pontifice. Et inter alia multa dona obtulit B. Petro Apostolo ante confessionem arcum argenteum maiorem pens. lib. 70. Et post aliquantum temporis, ad Diui Benedicti, quod in Aquinensium finibus situm est, profectus monasterium, vitam professus est monasticam. Porro eodem tempore contigit plures Venetorum hanc Romanam aduenisse in vrbem negotiatores, & mercimonii nundinas propagantes, multitudinem mancipiorum sexus vtriusq. emere visi sunt, quos in Africam ad paganos nitebantur deducere. Quo cognito idem sanctissimus Pater fieri prohibuit, iniustum esse iudicans, vt Christi abluti lauacro, gentilibus deseruirent. Datoq. eisdem Venetis precio, quod in eorum emptione se dedisse probati sunt, cunctos à iugo seruitutis redemit, & libertate donauit. Ipsis itaque temporibus Racchisus Longobardorum Rex ad capiendam ciuitatem Perusinam, sicut cætera Pentapoleos oppida, vehementi profectus est cum indignatione, quam & circundās expugnabat fortiter. Quod audiens sanctissimus Pontifex, continuò, spe diuina fretus, assumptis aliquantis ex suo clero cum optimatibus, quanto opus ad eandem peruenit ciuitatem: impensisq. eidem Regi pluribus muneribus, atque oppido eum deprecans, opitulante Domino, ab obsidione ipsius ciuitatis eum amouit. Cui & salutifera prædicans, Deo auctore, valuit animum eius in speciali studio inclinare. Et post aliquantos dies idem Racchisus Rex, relinquens regalem dignitatem, decorè, cum vxore et filiis ad B. Petri Principis Apostolorum peruenit limina, acceptaq. à præfato sanctissimo Papa oratione, clericusq. effectus, monachico indutus est habitu cum vxore, & filiis. Huius denique temporibus, magnum thesaurum Dominus Deus noster in hac Romana vrbe, per eundem almificum Pontificem propalare dignatus est. In venerabili itaque Patriarchio, sacratissimum B. Georgii martyris caput, in capsa reconditum idem sanctissimus Papa reperit, in quo et pitacium inuenit literis exaratum Grecis ipsum esse significantibus; Vnde lætus et hilaris aggregato Romanæ vrbis populo, cum hymnis et canticis spiritualibus, in venerabili diaconia eius nominis sita, in hac Romana ciuitate, regione secunda, ad velum aureum illud deduci fecit. Vbi immensa miracula et beneficia Omnipotēs Deus, ad laudem nominis sui, per eundem sacratissimum martyrem operari dignatus est.

Initio Pontificatus Zacharia Papa, defunctus est Carolus Martellus, cui successerat Carolomannus qui, transacto regno biennio, relicto saeculo, monasticam vitā amplexus est. Nam illis temporibus Frācorum Reges qui à Meroueo Rege Merouingi appellabantur, mollitie luxu & ignauia sic difluxerant, vt sensim præter cassum & inane nomen regis, nihil haberent sed omnia pro imperio, & summa sua potestate obtinerent & administrarent qui maiores domus dicebantur. Cum autem Chilpericus vltimus de illa familia ignauia omnes ante se priores superaret, visum est pŭpulo regnum in Pipinum transferre qui maior domus tunc erat.

His temporibus defunctus Theodorus maior filius Magisti Cataxanti, ob veniam suorum delictorum prædium, quo ex hæreditate fruebatur paterna, situm quinto ab hac Romana vrbe milliario, via Tyburtina, in quo et oratorium S. Cęciliæ esse dignoscitur, B. Petro reliquit. Quod ipse beatissimus Papa magnæ constructionis fabricis atque picturis decorauit, ampliauitq. in eo fines ex omni parte. Data enim digna recompensatione his, qui in vicino eiusdem loci possessiones habebant, amica pactione, vt condecet Patri, iusto pretio persoluit. Et domum cultam B. petro eodem in loco statuit, quæ vsque in hodiernum diem Sanctæ Cæcilię domus vocatur. Construxit quoque in ea Oratorium S. Abbatis Cyri, vbi multas sanctorum condidit reliquias. Hic constituit aliam domum cultam in decimo quarto milliario ab vrbe, patrimonio Tusciæ, et constitutionibus obligauit vsui Ecclesię perpetuo, etiam loca, quę ab Anna relicta quodam

Per domum cultam intellige latifundiū cui ad culturam adscripta sunt familiæ colonorum quorum domus non ornatum sapiunt, sed vtilitatem, cum sint omnibus ad cultum agri iumentis rusticis instrumētis necessariis aliisq. vtensilibus ad cultum agr. spectantibus bene referta & composita.

Aga-

Agathoni Primicerii B. Petro videntur esse concessa. Hic massas, quę vocantur Antrus et Formias suo studio iure B. Petri acquisiuit, quas et domos cultus statuit Et de omnibus superius adnexis domibus cultis Apostolicę exarationis constituta faciens, atque Sacerdotale collegium aggregans, sub anathematis interdictionibus statuit: Nulli quomodo successorum eius Pontificum, vel alii cuilibet personæ, licere ipsas domos cultas ab vsu Ecclesię quoquomodo alienare. Hic fecit vestem super altare B. Andreę Apostoli ad B. Petrum nimis optimam. Hic beatissimus Papa statuit, vt crebris diebus alimentorum sumptus, qui vsque nunc eleemosyna appellatur, de venerabili Patriarchio à paracellarijs, pauperibus & peregrinis, qui ad B. Petrum morantur, deportari eisq. erogari. Necnon & omnibus alijs inopibus & infirmis per vniuersas regiones vrbis constitutis distribui, Huius temporibus contigit, tegumen tituli B. Eusebij martyris subito cadere, quod sanctiss. vir optimè sicut antiquitus fuit, statim restaurauit, multaq. alia loca sanctorum in meliorem statum perduxit: & vestes optimas super altaria earundem Dei Ecclesiarum fecit. Hic dilexit clerum suum valde, atque presbyteria eis annue duplo & amplius tribuit; omnes vt pater & bonus Pastor amplectens & viriliter fouens, & penitus quempiam minime tribulari permittens. Huius itaque temporibus in magna securitate, & lætitia populus à Deo illi commissus degens vixit. Hic etiam prudentissimo studio, quos beatæ recordationis Gregorius Papa fecit quatuor dialogorum libros. de latino in Græcum transtulit eloquium, & plures qui Latinam ignorant lectionem, per eiusdem lectionis illuminauit historiam. Hic fecit ordinationes tres per mensem Martium; & creauit presbyteros 30. diaconos 5. Episcopos per diuersa loca. 85. Qui sepultus est ad B. Petrum Apostolum idib. Martij Indict. 5. et cessauit Episcopatus dies 12.

B. Bonifacius audita electione Zacharia Pontificis, gratulatus est ei Pontificatum & petijt ab eo confirmationem Episcoporum à se ordinatorũ potestatemq. celebrãdi Synodum in Francia, & de varijs cum rebus consuluit. Vide hanc Epistolam apud Serar, nu. 131.

Scripsit epistolas 14. Primam ad Bonifacium Germaniæ Apostolum, qua confirmat tres Episcopos ab eo ordinatos: facit potestatem congregandæ Synodi, eiusq. consultationibus respondet. II. ad Vittam Episcopum ecclesiæ Barbarenæ, qua constitutam eius sedem confirmat, & aliqua ad eandem pertinentia præscribit. III. Ad omnes fideles Germaniæ, vt Bonifacio obediant, & sacerdotes, reliquiq. clerici se rectos Dei ministros exhibeant, & Synodum quotannis celebrent. IV. Ad eundem Bonifacium, qua gratulatur de fructu eius prædicationis. Pallia et confirmationem tribuit Metropolitanis ab eo ordinatis, vsumq; pallij docet: Laudat condemnationem quorundam hæreticorum, et pœnam illis inflictam, illorumq. hæreses narrat. V. Ad eundem, vt sibi significet, cur ante pallia pro tribus Archiepiscopis petierit, et modo pro vno tantum petat: dona sancti Spiritus se non vendere, sed vendentes anathematizare: præterea iubet vt sacerdotio suspendat falsum quendam sacerdotem; iusque prędicandi ei confirmat. VI Ad eundem similiter; non esse iterandum baptismum, cuius congruè forma prolata fuit. VII. Ad Pipinum Regem et Episcopos Frãcorum qua respondet consultationibus ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus 27. capitibus, VIII. Iterum ad Bonifacium, qua eum monet, vt 27. capitula pręcedentis epistolę diligenter obseruari procuret, IX. Ad eundem, qua Synodi ab eo celebratę in Francia acta confirmat, et eius petitionibus satisfaciens iniungit, vt singulis annis Synodum celebret. X. Ad eundem, gaudet de eius prędicatione, ad nonnulla eius capitula respondet, iubens, vt Episcopos et alios adhortetur, vt sibi aduersus hęreticos auxilium ferant. XI. Ad omnes Episcopos Catholicos, vt in pace et charitate perseuerent, et hęreses fugiant. XII. Consultationibus Bonifacij respondet. XIII. A eundẽm Bonifacium, qua Ecclesiam Moguntinam Metropolitanam creat, prouinciamq. ei assignat. Vltima Monasterium Fuldense ab eo constructum, nullius iurisdictioni subijci decernit.

Primum Concilium sub Zacharia Papa Ratisbonense.

Ann. D. 742. Authoritate Sancti Bonifacij celebratum, permissu Carolomanni Regis: *Vide Serar. lib. de S. Kiliano cap. 9. & Othlonum lib. 1. cap. 39. in vita S. Bonifacij,*

Se-

Secundum Concilium Liptinense.

Eiusdem S. Bonifacij authoritate, ad firmandam in vinea noua, disciplinam ecclesiasticam congregatum. *Vide Benedictum Leuitam in exordio lib 5. Capitularium Regum Francorum.* A. D. 743. Kal. Mart.

Tertium Concilium Romanum.

A Zacharia Papa congregatum, anno tertio Artabasdi, & Luitprandi Regis an. 32. in quo 14. capitula stabiliendæ Ecclesiasticæ disciplinæ conscripta sunt, cum omnibus Episcopis, presbyteris, & diaconibus in basilica B. Petri Principis Apostolorum. A. D. 743. Indict. 11.

Quartum Concilium Suessionense.

Sub Childerico Rege, & Duce Pipino, à tribus Episcopis celebratum, in quo sanctorum veterum Patrum exemplo ea, quæ ad firmitatem Orthodoxæ fidei, & statum Ecclesiæ pertinebant, obseruandum esse decreuerunt. A. D. 744. 6. Non. Mart. Childerici Regis anno 2.

Quintum Concilium Moguntinum.

Auctoritate S. Bonifacij congregatum, in quo Aldebertus & Clemens hæretici, secundo damnati sunt, & post Geruilium Moguntiæ Episcopum, ob crimen homicidii depositum, S. Bonifacius iubente Carolomanno Rege, factus est primus Archiepiscopus Moguntinus, qui ad Zachariam Pontificem legauerat Denearдum presbyterum cum literis & actis suorum Conciliorum, petens ea Apostolica auctoritate confirmari, præsertim quæ contra Aldebertum & Clementem hæreticos definiuisset. Ann. D. 745.

Sextum Concilium Romanum II.

Contra Aldebertum & Clementē sacerdotes hæreticos à S. Bonifacio condemnatos, à Zacharia Papa celebratum anno Domini 745. Constantini Copronymi anno 26. mense Octob. die 25. Indict. 14. in Patriarchio Lateranen in basilica, quæ appellatur Theodori. Vbi lecta epistola S. Bonifacij, & erroribus eorum perpensis diligenter, eo quod in custodiam retrusi, non agerent pœnitentiam, vt iudicatum erat, sed è contrario adhuc populum seducerent dicentes, *Non esse opus confessione, quia peccata vestra scimus diuina reuelatione, ideo ea vobis dimittimus, securi & absoluti reuertimini ad domos vestras cum pace*, iuxta dictum Apostoli, traditi sunt Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.

STEPHANVS II. Natione Italus, patria Romanus, anno 752. mense Martio in locum Zachariæ, ex presbytero ad ordinem Pontificatus à cuncto populo electus, & in Lateranense Patriarchium introductus, biduo ibi mansit, tertia verò die postquā surgeret à somno, & sedens familiares causas disponeret, subitò alienatus obmutuit, & sequenti die defunctus est. Ac propterea à pluribus scriptoribus è serie Romanorum Pontificum dimittitur, quod ante adeptam consecrationem sublatus esset. Ann. D. 752. 20. Mart. *Huius Pontificis mentionem facit Anastasius in vita Stephani Papæ III. quod vir ingentis spiritus, & animi fuerit.*

STEPHANVS III. Natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos quinque, dies 28. Hic post patris sui transitum paruus derelictus, in venerabili cubiculo Lateranensi, pro doctrina Apostolicæ traditionis, sub prædecessoribus beatæ memoriæ Pontificibus permansit, quem sigillatim per Ecclesiasticos ordines promouentes, ad diaconatus gradum eum ordinauerunt. Defuncto verò intra quatriduum Stephano II. quem in locum Zachariæ Papæ cunctorum consensus substituerat; vniuersus populus Dei congregatus est intra venerabilem basilicam Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe, omnesq. misericordiam Domini petentes, & intercessionem Dominæ nostræ semper Virginis Mariæ, bono animo, & consona voce, prædictum beatissimum Virum elegerunt Pontificem. Quem omnes sincera mente, cum laudis præconijs in basilicam Saluatoris, quæ appellatur Constan- Anno D. 752. 27. Martij. Constantini Copronymi an. 12 In ordine Pontifex. 95.

tiniana

tiniana deportauerunt, & exinde in Patriarchium iuxta morem intromiserunt. erat enim idē Beatissimus Papa, amator Ecclesiarum Dei, traditionem Ecclesiasticam firma stabilitare conseruans: pauperum Christi velox subuentor. verbi in magna constantia prædicator: viduas & pupillos eleemosyna subleuans: fortissimus etiam ouilis sui cum Dei virtute defensor. Qui mox restaurauit, antiquitus sita in hac vrbe Romana quatuor Xenodochia, diuturnitate temporis collapsa & destituta; & in eis ordinauit omnem languentibus & egenis commoditatem; multaq; contulit dona, quæ per priuilegij etiam paginam sub anathematis interdicto cōfirmauit. Et à nouo fundauit Xenodochiū in Plataria, cētū paupetū Christi prouisionē in eo & victū quotidianū decernēs. Et secus basilicam B. Petri, foris muros huius ciuitatis, duo fecit Xenodochia, quibus & plura contulit bona & sociauit venerabilibus diaconijs, illic foris existētibus vt perēnarent. Id est, Diaconiæ, S. Dei Genitricis, & B. Syluestri duæ, & priuilegijs Apostolicis perenniter permanenda muniuit. Inter hæc verò, cum magna persecutio à Longobardorū Rege Aistulpho in hac Romana vrbe, & subiacentibus ei ciuitatibus extitisset, vehemensque eiusdem Regis sæuitia immineret, illico idem beatiss. Papa tertio Apostolatus sui mense, disponens suum germanum, scilicet Paulum Diaconum, atque Ambrosium Primicerium, plurimis cum muneribus, ad eundem Longobardorum Regem Aistulphum ad pacis confirmandæ fœdera misit. Qui ad eum venientes, pacis fœdus in annos quadraginta cum eo concluserunt. At ille antiqui hostis versutia inuasus, naturaque sua proteruus, post quatuor pœnè menses, in periurij incidens reatum disrupit, multas præfato viro sanctissimo, cunctoque populo Romano inferens iniurias, multasque ingerens ruinas ac contumelias; cupiensque cunctam prouinciam inuadere, & vrbi Romanæ tributum imponere, solidum aureum scilicet in singula capita annuè, indignanter asserebat palam se breui posse Romanam vrbem, cum subiacentibus ei castris subdere sibi. Quod tenens sanctissimus Papa, misit ad eum Abbates religiosos monasteriorum S. Vincentij, & S. Benedicti, obnixe petens quietem, & fœderum pacis confirmationem. Quorum ille spreuit monita, & ipsos contemptui habens ad propria absoluit monasteria, & ad suæ detrimentum animæ sine effectu causæ minimè eos iussit ad Sanctissimum Papam declinare. Quod audiens ipse, omnipotenti Deo suam populique sibi commissi contulit causam, & hanc lugubrem eius diuinæ maiestati insinuauit lamentationem. Dumque hæc agerētur, peruenit Romam Iannes Imperialis Silentiarius, deferens eidem Sanctissimo Pontifici Regiam iussionem, simulque & aliam ad nomen prædicti Regis impij detulit adhortationis annexam iussionem, vt Reipublicæ loca diabolico ab eo vsurpata ingenio, proprio restitueret dominio. Quem videlicet Imperialem missum confestim Sanctissimus Papa cum suo germano prædicto Paulo Diacono misit ad eundem Aistulphum Regem Rauennam. Quibus susceptis cum inani eos absoluit responso, adiungens eidem Imperiali misso, quendam propriæ gentis nefarium virum. ad regiam vrbem profecturum. Reuersi itaque legati Romam, enarrauerunt Sanctissimo Papæ, nihil se penitus egisse. Tunc ille agnito maligni Regis consilio, misit in regiam vrbem suos missos & Apostolicos affatus, vnà cum Imperiali præfato misso, deprecans Imperialem clementiam, vt iuxta quod ei sæpius scripserat, cum exercitu ad tuendas has Italiæ partes modis omnibus adueniret, & de iniquitatis filij morsibus Romanam hanc vrbem, & cunctam Italiæ prouinciam liberaret.

Inter hec verò permanens in sua malitia præfatus Rex Longobardorum, minas Romanis dirigere non desinebat, omnes vno gladio iugulari promittens, nisi sese suæ subderent ditioni. Quare congregato vniuerso Romanorum coetu Papa, paterno eos amore admonuit: Filioli, inquiens, charissimi, pro delictorum nostrorum magnitudine Domini imploremus clementiam, & ipse adiutor nostrū erit, liberabitque nos sua prouidentissima misericordia a persequentiū manibus. Cuius

Hic Pontifex ob insignes virtutes & publicam vniuersorum lætitiam, à populo post electionem in ædem Saluatoris Lateranam deportatus, dedit successoribus occasionem vt humeris hominum circumferantur. Polid. de Inuent. lib. 4. c. 10.

In Oriente Constantinus tunc Imper. inchoato. 14. anno Imperij sui Pseudo synodum aduersus cultum sanctarum imaginum celebrauit. quæ sex mensiū spacio perdurauit. 338. Episcopis aduocatis. Qui Dei Genitricis hostes dū quadam die in eius templum in Blachernas conuenissent, Constantinus Imper. in ambonem tenens Constantinū Monachum hæreticum, qui fuit Sylæi Episcopus perorauit ad clerum, & pronunciauit dicens, Constantino, vniuersali Patriarchæ multos annos. Deinde cum eodem scelerato Præsule & reliquis Episcopis ascendit ipso forum pronuncians scilicet eum à se esse promotum. Et exclamauerunt suam diuulgantes cacodoxam fidem in conspectu totius plebis, anathematizūtes Germanum sāctiss. Patriarcham & Georgium Cyprium & Ioannem Chrysorroam Damascenum nepotem Mansur, viros sanctos & reuerendos magistros Catholicæ fidei. Quare à pietatis amatoribus alijsque monastici ordinis viris reprehensus atque cōuinctus. implacabile aduersus eos bellum excitat, præclàram illum habitum, tenebrarum indumentum vocans eosque ipsos idololatras ob venerandam imaginem

Cuius salutiferis admonitionibus cunctus obediens populus, congregati vnanimiter omnes lachrymis fusis Omnipotentem deprecati sunt. In vna verò dierũ, cum multa humilitate sanctissimus Pontifex procedens nudis pedibus, ipse facratissimam Saluatoris nostri imaginem, quæ Acheropeta, id est, non manu facta nuncupatur, proprijs humeris gestauit, posito in omnium populorum capitibus cinere, cum maximo vlulatu plebis vniuersæ, Litanias decantauit, ad Ecclesiam S. Dei Genitricis ad Presepe incedentes; connectensque & alligans adorandæ Cruci Saluatoris nostri pactum illud, quod nefandus Rex Longobardorum disrupit, misericordissimum Dominum deprecati sunt.

Hic beatissimus Papa, omnes suos sacerdotes & clerum in Lateranen Patriarchio congregans, admonebat diuinam scrutari scripturam & in lectione vacare, spirituali, vt efficaces inuenirentur in omni responsione & assertione aduersariorum Ecclesiæ Dei. Similiter & cunctum populum incessanter admonebat sobriepieque agere, atque ab omni prauitate sese custodire. Item pro salute prouinciæ, & omnium Christianorum, omni Sabbato die Litanias fieri statuit; vna hebdomada ad S. Dei Genitricem ad Præsepe: altera verò ad B. Petrum Apostolum, & altera ad B. Paulum Apostolum.

Hic beatissimus Papa, restaurauit basilicam S. Laurentij super sanctum Clementem sitam, regione tertia, quæ à diuturnis temporibus diruta manebat. Restaurauit & tegumen Cœmiterij S. Sotheris, quod ceciderat. Dumque prefatum Longobardorum Regem immensis vicibus innumerabilia tribuens munera, deprecaretur pro greg bus sibi à Deo commissis, & perditis iam ouibus, scilicet pro vniuerso Exarchatu Rauennæ, quem ille iam possederat, & cuncto Italiæ populo: & nihil ab eo hac in re obtineret, cernens præsertim ab Imperiali potentia nullum adesse subsidium; tunc quemadmodum prædecessores eius, beatæ memoriæ, Dominus Gregorius, & Gregorius alius, & Dominus Zacharias, beatissimi Pontifices, Carolo excellentissimæ memoriæ Regi Francorum direxerunt, petẽtes sibi subueniri propter oppressiones ac inuasiones, quas & ipsi in hac prouincia Romanorum à Longobardorum gente perpessi sunt: ita modo & ipse venerabilis Pater, diuina gratia inspiratus, clam per quendam peregrinum suas misit literas Regi Francorum, nimio dolore huic prouinciæ inhærenti conscripras. in quibus non omisit rogare vt suos hic Romam mitteret missos, per quos eum ad se accersiri fecisset. Et cum valde ab eodem Rege Longobardorum prouincia Romana & ciuitates opprimerentur, subito peruenit missus Regis Francorum, nomine Rodigandus Abbas, per quem misit in responsis omnem voluntatem ac petitionem predicti sanctissimi Papę se adimplere. Et postmodum alius missus familiaris eius superuenit, eadem ipsa annuncians. Cumq. à Longobardis, vt præfatum est. antiqua Romana vrbs, & castra vniuersa distringerentur, ita etiam vt Ciccanense Castellum, quod colonorum sanctæ Dei Ecclesię Dei existebat, vsurparet, illico à regia vrbe venit supradictus Ioannes Imperialis Silentiarius, cum missis ipsius sanctiss. Pontificis, deferens secum, & quæ deportauerat iniqui Longobardorum Regis missus, simul & iussionem Imperialem, in qua erat insertum, ad Longobardorum Regem eundem sanctiss. Papam properare ad recipiendam Rauennatium vrbem, & ciuitates ad eam pertinentes. Pro quo de pręsenti starim Stephanus Papa direxit ad eũdem Regem suum missum, pro sua, & qui cum eo ituri erant, indemnitate. Ipsoque reuerso extemplo, missi iamfati Pipini Regis Francorum, Rodigandus Abbas, & Autcharius Dux coniunxerunt se, quatenus prædictum sanctissimum Papam (iuxta quod petendo miserat) ad suum Regem in Franciam deducerent; quem etiam paratum inuenerant ad prædictum Longobardorum Regem properare, pro recolligendis vniuersis Dominicis ouibus perditis. Tunc inuocans Omnipotentis Dei nostri misericordiam idem beatiss. Papa, egressus est ab hac Romana vrbe ad B. Petrum Apostolum 14. die mensis Octob. Indict. 7. secutique sunt eum plures Romanorum, & cœterarum

adorationem omnes nuncupans Conuocataque multitudine plebis afferri iussit venerandum lignum Crucis, vna cum diuinis Dominici corporis & sanguinis mysterijs atque omni labe puris Euangelijs, in quibus Dei filius Christianis ne iurent prorsus interdicit. vniuersos per ea iureiurando obstrinxit nunquam se diuinas imagines adoraturos quin ea potius idola vocaturos: ac nec quidem communionem à monachis accepturos nec salutantibus quicquam humanitatis vicissim exhibituros. Verum si quisquam eorum monachum aliquem vspiam ebuiam habuisset, tenebricosum eum, & immemorandum & idolorum cultorem appellaturos, ac demum lapidibus ipsum appetituros.

ciuitatum populi flentes eiulantesque qui eum abire nequaquam sinebant. Qui tamen sese commendans protectioni S. Dei Genitricis, & beatorum Principum Apostolorum, costanter pro salute omnium, licet infirmitate corporis debilitatus, laboriosum aggressus est iter, confidensque in virtute Dei, & assumens secū ex huius Sanctæ Ecclesiæ clero quosdam sacerdotes, nec non & ex militiæ optimatibus nonnullos, cœptum prosecutus est iter, magnam illi cæli serenitatem in itinere Domino tribuente. Igitur perueniente illo in Longobardorum fines, quadragesimo ferè milliario, in vna noctium signum in cœlo magnum apparuit, quasi globus igneus ad partem australem declinans à Galliç partibus in Longobardorum partes. Itaque vnus ex eisdem missis Francorum, scilicet Autcharius Dux quantocyus præcedens Ticinum, eum præstolatus est. Cum verò appropinquasset iam fatus beatiss. Papa ad ciuitatem Papiam, direxit ad eum Aistulphus Rex missos suos, obtestans eum nulla penitus ratione audere verbum illi dicere petendi Rauennatium ciuitatem, & Exarchatum ei pertinentem, vel de reliquis Reipub. locis, quæ ipse, vel eius prædecessores Longobardorum Reges inuaserant. Ille verò ita ei misit in responsis asserens, quod pro nullius trepidatione terroris sileret ab eiuscemodi causa. Veniente autem eo in ciuitatem, & Rege salutato, plurima ei obtulit munera, & nimis eum obsecratus est, atque lachrymis profusis petiuit, vt Dominicas quas abstulit oues redderet, & propria proprijs restitueret. Sed nullo modo apud eum hæc impetrare valuit. Quem & Imperialis missus simili modo petijt, & imperiales litteras tribuit, & nil obtinere potuit. Prædicti verò Francorum missi imminebant fortiter apud eundem Aistulphum, vt prefatum Sanctiss. Papam in Franciam pergere relaxaret. Ad hæc, aduocans, iam dictum beatiss. virum, interrogauit, si ei in Franciam properandi esset voluntas? Quod videlicet ille nequaquam siluit, sed suam illi propalauit voluntatem: vnde vt leo dentibus fremebat, proquo & diuersis vicibus suos satellites ad eum clam misit, vt eum quoquo modo à tali intentione declinaret. Iterumque præsente Podingando Abbate beatiss. Papam interrogauit, si vellet in Franciam ire? & cum respondisset se velle illo relaxante. Tunc absolutus est ab eo: & assumens ex huius Sanctæ Dei Ecclesiæ sacerdotibus & clericis, præcipuè Georgium Episcopum Ostiensem, Villarium Episcopum Numentanum, Leonem, Philippum, Georgium & Stephanum Sacerdotes: Theophylactum Archidiaconum, Pardum & Gemulum diaconos, Ambrosium Primiceriū Bonifacium secundum Leonem & Christopherum Regionarios secum, & cæteros sæculares 15. die mensis Nouembr. prædictæ septimæ Indictionis, a ciuitate Papia mouens, suum in Franciam prosecutus est iter. Et post eius absolutionem adhuc nitebatur suprascriptus Longobardorum Rex, à prædicto itinere eum deuiare, quod minimè ipsum sanctiss. virum latuit. Vnde & cum nimia celeritate Deo preuio ad Francorum peruenit clausas, quas ingressus cum his qui cum eo erant, confestim laudes Deo omnipotenti reddidit. Et cæptum gradiens iter, ad monasterium Christi Martyris Mauritij peruenit, in quo constitutum erat pariter secum Francorum Regem conuenire. In quo aliquot diebus demorantes, conuenerunt eum Fulradus Abbas & Rothaldus Dux directi à Pipino Rege, petentes eundem Sanctiss. Pontificem vlterius ad suum progredi Regem: quem & cum magno honore cum omnibus qui cum eo erant, ad eum deduxerunt. Audiens verò idem Rex beatiss. Pontificis aduentum, nimis festinanter in eius occursum processit, vnà cum coniuge, filijs & Proceribus suis, pręmittens ferè ad centum milliaria filium suum nomine Carolum cum aliquibus optimatibus. Ipse autem in palatio suo. in loco qui vocatur Ponticone, ad trium fere millium spatium descendens de equo suo cum magna humilitate terrę prostratus, vna cū sua coniuge & reliquis filijs & Proceribus Pontificem sanctiss. suscepit. Cui & vice stratoris vsque in aliquantum locum iuxta eius sellarem properauit. Tunc prædictus almificus vir, cum omnibus suis intensa voce gloriam, & incessabiles

lau-

laudes omnipotenti Deo referens, cum hymnis & canticis ſpiritualibus vſque ad præfatum palatium, pariter & cum Rege omnes profecti ſunt, 6. die Ianuarij, in apparitionis Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Sacratiſſima ſolemnitate: ibique intus oratorium pariter conſedentes, mox idem beatiſſimus Papa prædictum Chriſtianiſſimum Regem lachrymabiliter deprecatus eſt, vt per pacis fædera cauſam B. Petri, & Reipub. Romanorum diſponeret. Qui de præſenti iureiurando eidem beatiſs. Papæ ſatisfecit, omnibus mandatis eius & admonitionibus ſeſe totis viribus obedire, & vt illi placitum fuerit, Exarchatum Rauennæ, & Reipub. iura ſeu loca reddere modis omnibus. Sed quia tempus imminebat hyemale, eundem Sactiſs. Papam cum ſuis omnibus, Pariſios apud venerabile monaſterium S. Dionyſij ad hybernãdum pergere curauit. Quo peracto, & Pontifice in eodem venerabili monaſterio cum Rege Papino coniungente, poſt aliquantos dies idem Chriſtianiſsimus Rex à Sanctiſs. Papa, Chriſti gratia, cum duobus filijs ſuis Reges vncti ſunt Francorum. Poſt hæc Papa beatiſs. præ nimia itineris fatigatione, atque temporis inęqualitate grauiter infirmatus eſt, vt omnes ferè de ejus vita deſperarent. Sed ineffabilis diuina clementia adiuuit eum, ita vt dum eum mane mortuum inuenire ſperarent, ſaluum inopinatò repererunt. Pipinus verò Rex, cum admonitione, gratia, & oratione ipſius dimiſſus, in loco qui Pariſiacus appellatur, congregans cunctos proceres Regni ſui, & eos tanti Patris admonitione imbuens, ſtatuit cum eis omnia perficere, quæ Chriſto fauente cum eodem beatiſs. Papa decreuerat. Interea nefandiſsimus Aiſtulphus Rex Carolomannum monachum fratrem Pipini Regis è monaſterio B. Benedicti Caſſinenſi, in quo per non exiguum tempus religiosè degebat, diabolicis ſuaſionibus euocat, & in Franciam ad perturbandum negotium Eccleſiæ & Reipub. Romanorum dirigit: quam ille cauſam omnino ſubuertere et perturbare, veniens in Franciam, nitebatur, iuxta quod ab Aiſtulpbo informatus fuerat. Sed propitiante Domino minime valuit fratris Pipini in hoc firmiſsimum cor inclinare, qui cognita nequiſsimi Aiſtulphi verſutia in hoc, potius tota ſe virtute pro cauſa Sanctæ Dei Eccleſiæ decertare profeſſus eſt, ſicut iam præfato beatiſs. Pontifici ſpoponderat. Tunc pari conſilio idem Sanctiſs. Papa conſilio cum Rege Pipino inito, Carolomannum qui ſe Deo denouerat monachicam degere vitam, in monaſterio eum Viennæ illic in Francia collocauerunt. vbi & poſt aliquantos dies diuina vocatione de hac luce migrauit Anno Dom, 755. Porro Pipinus Rex vt verè Beati Petri fidelis, & ſalutiferis beatiſs. Pontificis monitis obtemperans, direxit ſuos miſſos Aiſtulpho Regi propter pacis fædera, & præfatæ Sanctæ Dei Eccleſię ac Reipub. reſtituenda iura, atque bis & tertio iuxta Papæ ad monitionem eum precatus eſt, & plurima ei pollicitus eſt munera, vt tantummodo pacificè propria reſtitueret proprijs Sed ille peccato obcæcatus, obedire diſtulit. Cernens itaque Francorum Rex, quod nequaquam poſset Saxeum Aiſtulphi emollire cor, generalem contra eum facere decreuit expeditionem; dumque iam medium itineris ſpatium confeciſsent eius exercitus, iternm Pontifex precatus eſt Pipinum Regem vellet Aiſtulpho per ſuos legatos ſuadere, quatenus abſque humani effuſione ſanguinis redderet quę poſſederat Romanis iniuſte. Et ita factum eſt à Chriſtianiſsimo Rege; adiũxitq. beatiſs. Papa, vt vere Pater & bonus Paſtor ſuas literas, per omnia ſacra & futuri iudicij diſtrictionẽ obteſtãs Aiſtulphũ, vt pacifice, & abſq. sãguinis Chriſtiani effuſione, aliena reſtitueret iura: ſed obſtinate, nequaquam acquieſcere voluit. Imò potius è contrario minas & indignationes præfato Pontifici & excellentiſſimo Pipino Regi, cunctiſque Francis dixerit. Tunc fiſus in omnipotentis Dei miſericordia antefatus Francorum Rex iter ſuum proſecutus eſt, præmittẽs ante ſuum aduentum aliquos ex ſuis proceribus exercitatos bello viros, ad cuſtodiendum proprias Francorum Clauſas; quo illi peruenientes Regis ſui præſtolabantur aduentum. Aiſtulphus audiens paucos eſſe illos Francos, qui ad cuſtodiam aduenerant clauſarum, fidens in ſua feroci-

Anno Chriſti 754. Egrotauit Stephanus Papa vsq: ad mortem, ſed apparente ſibi S. Petro et Paulo Apoſtolis, ſanctoque Dionyſio diuinitus in craſtinum conualuit & iuſſũ eorum altare in templo S. Dionyſij inter miſſarum ſolemnia conſecrauit Regemque Pipinum cum Carolo & Corolomanno filijs in Reges inunxit, Sed & Betradam coniugem Pipini indutam cycladibus Regijs gratia Septiformis Spiritus conſecrauit et Proceres benedictione ſantificans obligauit authoritate B. Petri & obteſtatus eſt vt nunquã de altera ſtirpe Regem ſuper ſe praſumant conſtituere. niſi de eorum progenie. quos diuina prouidentia ad Sanctiſs. Sedem Apoſtolicam tuendã dignata eſt in Regiam poteſtatem ſublimare. Peridem quoquo tempus Eccleſia Gallicana per Romanos Clericos in cãtu ſacro edocta eſt, cuius vſus deinde longe atque inualuit.

ci-

citate, subito in eos irruit cum pluribus exercitibus suis diluculo aperiens clausas. Sed iustus Deus paucissimis illis Francis tribuit victoriam, & multitudinem illam Longobardorum superantes ita trucidauerunt, vt ipse Aistulphus vix ab eorum manibus fuga euadere potuisset, & vsque in Papiam ciuitatem citatissimo cursu absque armis sese proripuisset. Ipsi verò Franci introeuntes clusas, cunctum fossatum Longobardorum, post peractam cædem, abstulerunt, spolia multa auferentes. Veniens vero Francorum Rex mox insecutus est Aistulphum & vna cum beatissimo Papa vsque ad muros ciuitatis Papiæ peruenit. Quem obsidentes per aliquot dies viriliter ciuitatem ipsam constrinxerunt. Tunc beatiss. Papa, benignissimum Regem Pipinum rogauit, vt pacificè causa finiretur, amplius Christianum sanguinem non fundens. Quod Pipinus benigne auscultans, re ipsa adimpleuit fœdera partium scripto firmans inter Romanos, Francos & Longobardos. Aistulphus enim datis obsidibus, promisit sub iureiurando redditurum se illico ciuitatem Rauennam cum alijs diuersis ciuitatibus, quo Pipinus contentus in sua abijt statim, Aistulphus verò solitum in periurij reatum incidens, quod iureiurando promisit reddere distulit. Dumq. præfatus beatiss. Papa pertingeret Romam, post aliquantum temporis spatium, furore vehementi repletus cum vniuerso Longobardorum populo contra Romanam venit Vrbem, quam per trium mensium spatium obsidens, atque ex omni circundans parte fortiss. quotidie oppugnabat: omnia quæ erant extra Vrbem ferro & igni deuastans, atque funditus demoliens: multaque corpora sanctorum effodiens cimiteria violauit, & sacra pignora abstulit. Hæc itaque impie ab eodem Aistulpho gesta vt insonuerunt auribus Regis Francorum, (sed & Papa per viam maris miserat suos missos ad eum, vna cum quodam religioso viro Varnero nomine, qui ab eodem Francorum Rege huc Romã directus fuerat) mox fidei feruore motus generalem iterum expeditionem in Italiam suscepit, & in Longobardorum partes peruenit. Cumque primum ad eorum clusas peruenisset, & custodias eorum dissipasset, & & iam versus Papiam exercitum suum direxisset, venerunt interea ad vrbem Romanam imperiales missi Gregorius videlicet Proto à secretis & Ioannes Silentiarius, directi ad prædictum Francorum Regem. Quos suscipiens beatiss. Papa, nunciauit eis de suscepto iam bello à Rege Francorum. De quo cum illi dubitarent, nec credere vellent Papæ, additis suis missis, direxit eos in Franciam per mare: qui Marsiliam aduenientes dedicerunt iam prædictum Regem Francorum fines Longobardorum ingressum fuisse, iuxta promissionem suam, quam hortatu Papæ, B. Petro iureiurando obtulerat. Quod Imperiales missi cognoscentes tristes effecti sunt, nitebanturq. dolose missum sedis Apostolicæ Massiliæ detinere, vt minime posset ad Regem properare. Sed interueniente B. Petro eorum callida versutia ad nihilum redacta est. Itaque vnus ex ipsis Gregorius videlicet Proto à secretis, præcedens Apostolicæ sedis missum, celeriter prænominatum Regem assecutus est, non procul à Papia Longobardorum ciuitate, nimisque eum precatus est, plurima ei spondens tribui imperialia munera, vt Rauennatium Vrbem, ceterasq. eiusdem Exarchatus ciuitates & castra imperiali concederet ditioni. Sed nequaquam valuit firmissimum Regis inclinare animum, quod nulla penitus ratione eas ciuitates à potestate B. Petri, & iure Ecclesiæ Romanæ alienari se velle assereret; quodq. bellum hoc præsens non alia de causa suscepisset, nisi pro venia delictorum suorum, & amore B. Petri Apostoli: alias per nullius hominis fauorem sese certamini sæpius dedisset, nullaq. thesauri copia se abduci pateretur, vt quod semel B. Petro obtulit, propter alicuius suasionem auferret. Et hæc prædicto imperiali misso reddens in responsis, continuò eum ad propria remeandum per aliã viam absoluit, qui & sine effectu Romam coniunxit. Dum verò Rex Pipinus, Papiam obsidione stringeret, tunc Aistulphus periurus Longobardorum Rex, vt veniam illi tribueret, & ab obsidine cessaret, quas prius conscripserat fœderis conditiones, se modis omnibus præstiturum professus est. Et

denuo

denuo confirmato anteriore pacto, addidit restituturum se quoque castrum cognominatum Comaclum. De quibus omnibus receptis ciuitatibus, donationem in scriptis à B. Petro, atque à Sancta Romana Ecclesia, & omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ sedis misit possidendam, quæ hactenus vsque in Archiuo sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur. Ad recipiendas verò ipsas ciuitates, misit Rex Christianissimus suum consiliarium, venerabilem Fulradum Abbatem, & presbyterum; & ipse continuo cum suis exercitibus in Franciam fæliciter repedauit. Prænominatus autem Fulradus coniungens se cum Aistulphi Regis missis, per singulas ingrediens ciuitates, tàm Rauennatium partes, quàm Pentapoleos & Æmiliæ, easque recipiens, & obsides de vnaquaque tollens, atque primates secum, vna cum clauibus portarum ciuitatum deferens Romam coniunxit. Et ipsas claues tàm Rauennatium Vrbis quamque diuersarum ciuitatum ipsius Exarchatus vna cum suprascripta donatione de eis à suo Rege emissa, in confessione B. Petri ponens, eidem Apostolo, & eius vicario sanctiss. Papæ, atque omnibus eius successoribus Pontificibus perenniter possidendas atque disponendas tradidit. Hoc est, Rauennam, Ariminum, Pisaurum, Fanum, Cesenas, Senogalliam, Esium, Forum Pompili, Forum Liuij cum castro Sussubio, Monteferetri, Acerragio, Montem Lucari, Serram, Castellum S. Mariani, Bobrum, Vrbinum, Callium, Lucolos, Eugubium seu Comiaclum. Nec non & ciuitatem Narniensem, quæ à Duce Spoletano à parte Romanorum, pereuoluta annorum spatia, fuerat inuasa. Dum ergo hæc agerentur, ipse infelix Aistulphus, quodam loco in venationem pergens diuino ictu percussus, defunctus est. Tunc Desiderius quidam Dux Longobardorum, qui ab eodem Aistulpho in Tusciæ partes erat directus, audiens præfatum obijsse Aistulphum, illicò aggregans Tusciæ vniuersæ exercitus, Regni Longobardorum arripere nixus est fastigium. Cuius personam despectui habens Radechisus dudum Rex & postmodum monachus, germanus præfati Aistulphi, sed & alij plures Longobardorum Optimates cum eo, eundem Desiderium spernentes, plurimam transalpium multitudinem Longobardorum aggregantes ad dimicandum contra eum profecti sunt.

Summum iudicium Lutetiæ, quod Parlamentum vocant, sub id fere tempus à Pipino Rege constitutum est

Quapropter præfatus Desiderius obnixè beatiss. Pontificem precatus est auxilium sibi ferre, quatenus ipsam regalem valeret assumere dignitatem, spondens iureiurando omnem præfati beatiss. Pontificis adimplere voluntatem; Insuper & Reipub. se redditurum professus est ciuitates, quæ remanserant, imo & copiosa daturum munera. Tunc Pontifex inito consilio cum præfato Fulrado consiliario Christianissimi Regis Pipini, misit suum germanum Paulum Diaconum videlicet, atque Christophorum Consiliarium vna cum præfato Fulrado in partes Tusciæ ad Desiderium, cum quo loquentes, per scriptam paginam, terribili iuramento idem Desiderius cunctam professus est superius annexam sponsionem adimplere. Post hæc verò peracta, statim suũ missum, venerabilem Stephanum presbyterum, cum Apostolicis exhortatorijs literis ad Radechisum cunctamque gentem Longobardorum direxit, properans & prædictus Fulradus cum aliquantis Francis in auxilium Desiderij, sed & plures exercitus Romanorum si necessitas exigeret in eius disposuit mittere adiutorium. Et suffragantibus prædicti sanctiss. Pontificis Deo acceptis precibus, ita omnipotens Dominus disposuit, vt sine vlla animarum periclitatione, antefatus Desiderius, quam ambiebat assumeret regalem dignitatem. Dum verò hęc agerentur, direxit missum suum sanctiss. Pontifex, & abstulit de ipsis ciuitatibus, quas Desiderius Rex reddere promiserat beatissimo Papæ Fauentiam cum castro Tiberiano, & Caballo, & vniuersum ducatum Ferratiæ ex integro. Et annuente Deo Rempub. dilatans, & vniuersam Dominicã plebem eruit, vt bonus pastor, ab insidijs inimicorum; cursumq. consummans, & omnia vtiliter perficiens, Dei vocatione vitam finiuit, & ad æternam migrauit requiem. Qui fecit ordinationem vnam per Mensem Martium presbiteros 2. Diaconos 2. Episcopos per diuersa loca 20. Et cessauit Episcopatus

tus dies 35. Sepultus est in basilica B. Petri Principis Apostolorum 6. Kal. Maij Idict. 10.

Scripsit epistolas quinque. I. Ad Hilduinum, qua enarrat, quomodo in Gallijs per S. Dionysium à graui morbo sanatus fuerit. II. Ad Pipinum Regem, & Carolomannum fratrem eius, de Aistulphi iterata perfidia vindicanda. III. Ad Pipinum, Carolomannum, & omnes fideles, qua contra Aistulphum Romam obsidentem auxilium petit. IV. Sub nomine Petri Apostoli & suo, ad eosdem Francorum Reges, Duces, Episcopos, Abbates, Presbyteros, Monachos, Nobiles, Comites & vniuersum exercitum, pro subsidio contra Lõgobardos. V. Ad Pipinum Regem, de regno Longobardorum Desiderio Tusciæ Duci tradito.

Ann. D. 754.

Primum Concilium sub Stephano Papa. III. Constantinopolitanum Pseudoseptimum vniuersale & reprobatum.

Acta huius conciliabuli sexta actione Concilij Niceni Secundi refutantur.

Episcoporum, 338. A Constantino Copronymo, aduersus cultum sanctarum imaginum congregatum in palatio Hieriæ. Cui non modo Romanus Pontifex non interfuit, sed neque etiam vllus Patriarcha per se, vel per legatos suos. Sed primus inter illos erat Ephesinus Episcopus, filius Absimari qui Imperium sub Copronymo inuaserat, & Pastillus Pregensis, qui apud se quæ visa fuerunt dogmatizarunt. Et non tantum sacrarum imaginum cultum damnarunt, sed etiam S. Germanum Constantinopolitanum Patriarcham, Georgium Cyprium, Ioannẽ Damascenum, aliosq. omnes sacrarum imaginum cultores anathematizauerunt, & Idololatras vocauerunt: sãctorumq. Martyrum reliquias igne & aqua perdiderunt: per lignum S. Crucis, perq. corpus ac sanguinem Domini in Sacramento Eucharistiæ iuratam exegerunt à suis professionem, se nunquam imagines culturos, sed potius easdem velut Idola execraturos, nunquam inuocaturos esse.

Ann. D. 756. Pipini Regis ann. 4. Quinto Idus Iulij

Secundum Concilium in Palatio Vernis.

Sub Pipino Rege Francorum habitum, recuperare cupiens instituta Canonica ad mortalium correctionem prolata, quæ negligentia fuerunt iam intermissa. Itaque pro emendatione disciplinæ Ecclesiasticæ conscripserunt ibi capitula. 26. valde temporibus illis necessaria.



LIBER XIII.



VCTIS opibus & auctoritate Ecclesiæ per Stephanum Papam III. successerunt statim turbulenta tempora ob ambitionem Pontificatus, & Regum temeritatem, qui suæ factionis Antistites habere voluerunt. Itaque Constantinum, & Philippum pseudopapas Roma tempore illo passa est; Rauennatensisq. Ecclesia Shismate diuisa fuit. Longobardi non semel bellis vexarunt Italiam, Francorumq. Reges Ecclesię fauentes, ab Ecclesia contra fas, & decorum, matrimonia iniusta poposcerunt. Imperatores Ecclesiasticis rebus sese immiscentes, hæresi fœdissima contaminati, in Occidente Imperium amiserunt, vt ex vitis subsequentium Pontificum videre licebit.

Ann. D. 757. die 28. Maij,

PAVLVS I.

Natione Romanus, ex patre Constantino. Sedit annos decem, mensem vnum. Hic ineunte ætate in Lateranensi Patriarchio cum proprio seniore germano Stephano prædecesso-

cessore suo, pro eruditione Ecclesiasticæ disciplinæ traditus est temporibus Gregorij II. Pontificis. Et postmodum à beatiss. Zacharia Papa in Diaconij ordine pariter cum antefato suo germano consecratus est, Nam dum eius germanus & antecessor Pontifex ad extremum pertingeret vitæ, illico & populus cum eo Romanus diuisus est: & alij cum Theophilacto Archidiacono tenentes, in eius domo congregati residebant: alij verò eidem beatissimo concordabant Paulo Diacono, plurima pars iudicum, & populi cum eo tenentes, qui à Lateranensi Patriarchio nequaquam recessit, sed cum cęteris fidelibus, suo ægrotanti germano & prædecessori Pontifici perseueranter famulabatur. Dum verò de hac vita migrasset, eoq. cum ingenti honore in basilica B. Petri sepulto, continuo eadem populi congregatio, quoniam validior & fortior erat, eum in Pontificatus culmen elegerunt; & illi qui cum præfato Archidiacono congregati erant, dispersi sunt. Et ita Deo annuente hic sanctiss. vir in Apostolicam B. Petri sedem consecratus est, temporibus Constantini Copronymi. Erat autem mitis atque valde misericors, nulli vnquam malum pro malo reddens. Et si pro modico quenquam per iniquos satellites tribulatos audiebat, protinus pietate motus consolationis illis inferebat misericordiam. Hic vt multi testati sunt, nocte persemetipsum cellas pauperum infirmorum, qui ex suis nequaquam assurgere valebant lectulis, nec non & aliorum inopum, cum suis familiaribus circuibat silentio, amplissime illis ministrans alimoniam, atque subsidij inferens opem. Sed & carceres & alia claustra, per eadem noctium secreta visitabat. Sed et plures qui debitis obligati, atque afflicti à suis fœneratoribus opprimebantur, reddito ipso debito, à iugo redimebat seruitij, et si quos ob scelera reperiebat retrusos in carceres, redimens à mortis periculo liberos ire relaxabat. Viduis et pupillis omnibusq. egentibus opē ferens. Præterea fortissimus erat Orthodoxæ fidei defensor: vnde sæpius suos missos cum Apostolicis obsecratorijs atque admonitoriis literis, ad Constantinum Augustum direxit, pro restituendis in pristinum venerationis statum imaginibus sacris. Et cum primis sollicitudinis curam erga Sanctorum cimiteria habuit, cernésq. plurima iam vicina ruinæ esse, sanctorum corpora inde transportauit in vrbem cum hymnis et canticis spiritualibus, per titulos, ac diaconias, seu monasteria, et reliquas Ecclesias ea decenti cum studio et honore recondens. Hic sanctiss. Pręsul, in sua propria domo, monasterium à fundamentis in honorem S. Stephani Martyris et Pontificis, nec non et beati Syluestri Papæ et Confessoris Christi construxit: vbi et Oraculum in superioribus eiusdem Monasterij mœnijs ædificans, eorum corpora magna cum veneratione condidit. Infra claustra verò ipsius Monasterij Ecclesiam miræ pulchritudinis à fundamentis nouiter construxit. quam Musiuo et marmoribus decorans et omnem illius ornatum in auro, argentoque ac diuersis speciebus largiens, ciborium ibidem ex argento puro fecit: illicque innumerabilium Sanctorum corpora, quæ de præfatis demolitis abstulit cimiterijs, maximo venerationis condidit affectu. In eodem quoque monasterio, plurima contulit prædia ac possessiones & loca vrbana, abundanter ditans omnibus vtilitatibus; Vbi monachorum congregationem faciens Græcę modulationis psalmodiæ cœnobium esse decreuit, atque Deo Omnipotenti, & requiescentibus ibidem sanctis indesinenter laudes statuit persoluendas. Hic fecit nouiter Ecclesiam infra hanc ciuitatem Romanam, in via sacra, iuxta templum Romuli in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, vbi ipsi propria genua flectere visi sunt, tempore quo pro Christi nomine martyrium subituri preces fundebant ad Deum: in quo loco vsque hactenus eorum genua pro testimonio omnis in postremo venturæ generationis, in quodam fortissimo silice noscuntur designata. Nam & infra Ecclesiam B. Petri Apostoli foris muros huius ciuitatis Romanę nouiter oraculum in honorem S. Dei Genitricis construxit, iuxta oratorium Sancti Leonis Papæ, secus fores introitus Sanctæ Petronellæ, atque B. Andreæ Apostoli, musiuo & diuersis metallis eum adornans. Vbi et effigiem S. Dei

Constantini Copronymi an. 17. Qui in hæresi sua perseuerãs transgressores Pseudosynadalis Decretalios relegando alios supplicio vitæ afficiendo persequeantur præcipue monachos aduersus debacchantem heresim suam forti semper consistentem animo

Ann. 760. Turca gens Scytica cum Saracenis & Arabibus in eadem lege Machometana consentiunt. Eutrop. lib. 22.

Dei Genitricis in statua ex argento deaurato, quæ pensat libras centum constituit: in quo oraculo, & sepulturam sibi construxit. Hic dum in Ecclesia B. Pauli Apostoli æstiuo tempore pro valido feruore caloris demoraretur, corporali præoccupatus ægritudine illic vitam finiuit. vbi & sepultus est, Illicque fore trium mensium spatio humatum permansit funus: postmodum verò congregati omnes ciues, & aliæ nationes, eius corpus per flumen Taberis nauicula transfretantes ad B. Petrum cum psalmodiæ honore deportauerunt, & in præfato ab eo constructo oratorio eum sepelierunt. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembr. presbyteros 12. diaconos 2. Episcopos per loca 3. Et cessauit Episcopatus annum vnum, & mensem vnum.

Scripsit Epistolas plures, sed non extant; nisi argumenta epistolarum 29. ad Pipinum Regem Francorum, quodam indiculo conscripta habentur. Et diploma pro immunitate monasterij Sancti Hilari Galiatensis sub Rauennate Ecclesia positi; & constitutum de Ecclesia ac monasterijs à se erectis in paternis ædibus, sub titulo SS. Stephani Papæ Martyris, & Syluestri Papæ Confessoris, ad Ioannem Abbatem directum.

A.D. 759.

Primum Conciliabulum Germaniæ,

In quo Othmarus Abbas monastrij S. Galli ob crimen impudicitiæ iniustè cõdemnatus est, & in carcerem intrusus, sine alimento corporis relictus famè interijt. Vuarinus etenim & Ruithardus Fisci procuratores, res Ecclesiæ inuaserunt auaritia ducti. eaque de causa ab Othmaro semel accusati, cum acriter à Rege ad desistendum moniti non obtemperassent, & Othmarus iterum Regem adire vellet, ex itinere eum viri nequissimi retraxerunt, & per subornatum & conductum accusatorem monachum nomine Lambertum, impacto illi impudicitiæ delicto in vincula coniecerunt, & innocentiæ suæ Deum testem inuocantem, iniqua sententia facto Conciliabulo condemnarunt. *Vualfridus in vita S. Galli apud Surium to. 4. die 16. Nouembr.*

Ann. D. 764. 4. Non. Iunij.

Secundum Concilium Romanum,

In causa immunitatis & priuilegiorum Ecclesijs & monasterijs à Paulo Papa erectis concessorum, habitum conuocato vniuerso Clero Romano & Episcopis viginti duobus. Anno Constantini Copronymi 41. ex quo cum patre regnare cœpit; & post Consulatum eius anno 21. Indict. decimaquarta.

Concilium Tertium Gentiliacense

(Sic dictum à villa Gentiliace nominata) de cultu Sanctarum imaginum, & de Sanctissima Trinitate celebratum in Gallia, propter impietatis zizaniam exstirpandam, seminatam tunc in aula Pipini Regis à legatis Constantini Imperatoris, pro confœderatione contra Longobardos ineunda missis. Qui etiam Latinis vitio vertebant quod Spiritum Sanctum assererent, non à Patre solum, sed à Filio quoque procedere, *vt tradit Ado Viennensis in Chron.*

STEPHANVS IV.

Natione Siculus, ex patre Oliuo, sedit annos tres, menses 5. dies 28. Vir strenuus & diuinis scripturis eruditus, atque Ecclesiasticis traditionibus imbutus. in earum obseruatione constantissimus perseuerator. Hic dum à Siciliensi insula in hanc aduenisset Romanam vrbem, tradidit eum Domnus Gregorius sanctæ recordationis III. Papa, in monasterio Sancti Chrysogoni, quod tunc nouiter fundabat; illicque Clericus, atq. monachus est effectus. Quem postmodum Domnus Zacharias Papa ex ipso auferens monasterio. in Lateranensis Patriarchij cubiculo esse præcepit: eumque postmodum presbyterum in titulo Sanctæ Ecclesiæ consecrauit. Quem tamen pro eius castitatis modestia in suo officio Lateranensis Patriarchij detinuit. Sed & reliqui, scilicet Domnus Stephanus, & Paulus, beatissimi Pontifices, eundem sanctiss. Stephanum pro eius pijs conuersationibus in suo seruitio similiter detinuerunt. Dum verò prædecessor eius Do-

A.D. 768. Copronimi Imperan. 28. qui amplio. ri infamia vsus grauissimam in monachos persecutionem excitauit. & quicunque sacras imagines in veneratione habebant eos ligatis pedibus per plateas trahere & in mare proijci iussit Alios etiam in

Domnus Paulus Papa, æstiuo tempore in Ecclesia B.Pauli demoraretur,& valida ibidem ægritudine præoccuparetur, de qua & vitam finiuit,die,noctuque idem beatifs. Stephanus in eiusdem sui prædecessoris Pontificis perseuerans seruitio, nullo modo ab eius lectulo, donec spiritum emitteret, recessit. At verò Paulus Papa in ægretudine positus, cum nondum adhuc spiritum exhalaret, illico Toto quidam Dux Nepesinæ ciuitatis dudum habitator,cum suis germanis Constantino,Passiuo, & Paschale aggregantes,tam ex eadem Nepesina, quamq. ex alijs Tusciæ ciuitatibus multitudinem exercitus, atque rusticorum,ingrediensque per portam B.Pancratij in vrbem, atque in domo antedicti Totonis armati assistentes,elegerunt ibidem subito Constantinum fratrem eiusdem Totonis laicum existentem. Quem cum armis plurimi eorum loricis induti, latrocinãtes,in Lateranense Patriarchium introduxerunt. Et ascendentes cum eo in Vicedominio,continuo accersito Gregorio Episcopo, compulerunt eum, vt orationem clericatus eidem Constantino tribueret. Ipse verò omnino hoc renuebat facere, corruensq. in terram, prostrauit se pedibus eius, adiurans eum per omnia sacra, vt locum daret rationi, & ab eiusdem impiæ præsumptionis proposito recederet, ne per eũ talis inaudita nouitas in Ecclesia Dei fieret. Et dum huiusmodi adiurationis proferret verba,concitati plurimi ex ipsis malignis, qui eandem impiam electionem fecerant, insurgentes super eum, atque fortiter comminantes ei; timore correptus orationem illi clericatus tribuit: & ita clericus effectus Latetanense inuasit Patriarchium. Alia verò die, illucescente secunda feria, subdiaconus atq. diaconus ab eodem Episcopo. in Oratorio S.Laurentij contra Sanctorum Canonum instituta consecratus est. Sicque vniuersum populum sibi Sacramentum præbere fecit, & adueniente Dominico die, rursum cum multitudine armatorum; in basilicam B.Petri properans, Pontifex ab eodem Gregorio Episcopo Prænestino, & alijs duobus Episcopis Eustratio Albanense, & Citomalo Portuense consecratus est. Et per anni spatium, & mensem vnum sedem Apostolicam inuasam detinuit. Hoc verò cernens Christophorus Primicerius cum Consiliarijs zelo fidei, vnà cum suo filio, Sergio tunc Sacellario existente, maluerunt mori magis, quã talem impiam nouitatem, & iniquam præsumptionem in Sedem Apostolicam perpetratam conspicere; & quotidie in fletu & lachrimis perdurantes, simulauerunt se monachos fieri, sesque absolui ab eodem Constantino petierunt,ad monasterium Saluatoris proficisci, asserentes illic monachos fore suscepturosque habitum. Susceptoque ab eodem Christophero Primicerio Sacramento, ita illis credens,eos absoluit. Quibus properantibus, & in fines Longobardorum coniungentibus, velletque Abbas loci eos in monasterium recipere sciscitantibus,declinauerunt ab itinere ad Theodocium Ducem Spoletanum,coniurantes eum firmiter, vt eos trans Padum ad Desiderium Regem suum deduceret, nitentes ab hoc redemptionem Sanctæ Dei Ecclesiæ perficere. Itaque Dux Spoletanus deduxit eos ad Regem suum; cuius obtutibus cum præsentati fuissent, obnixe eum deprecati sunt auxilium sibi tribui, vt talis nouitatis error ab Ecclesia Dei amputaretur. Dum verò prænominatus Christophorus Primicerius,& Sergius eius filius apud præfatum demorarentur Regem,fecit prędictus Constantinus Apostolicę Sedis inuasor ordinationem presbyterorum & Diaconorum, illos octo, hos verò quatuor. Episcopos quoque illius anni circulo fecit per diuersa loca numero octo.

sacris vincies & lapidibus aggrauans cruens oculos. nares abscindens flagellis excommunicatorias & omnem tormentõ speciem aduersus eos qui pie viuebant excogitans interficiebat. Ipse verò Cythara delectabatur sonitu atque conuiuijs, turpibus sermonibus & saltationibus & luxuria Dei Genitricis venerandum nomen omnibus modis ab Ecclesiã expellere studuit, eiusq intercessiones, per quas mundus consistit ne nominari quidem voluit

Antedictus verò Gregorius(vel vt alij,Georgius) Prænestinus, qui eum diacoconem & Pontificem consecrauit, non post multos dies consecrationis ipsius Cõstantini, valida ac pessima ægritudine præoccupatatus, immobilis factus est, & postmodum missarum solemnia nequaquam celebrauit, quia manus eius dextra aruit, atque contracta est; quam nec ad os suum afferre valuit: sicque tremens ac languens vitam finiuit. Dum verò hæc agerentur, coniunxerunt antefatus Christopherus & Sergius in ciuitatem Reatinam dimissi à Longobardorum Re-

ge. Et præcedentes Sergius & Valdipertus presbyter cum Reatinis, & Forconinis, atque alijs Longobardis Ducatus Spoletani coniunxerunt subitò, & repente in Romanam vrbem 28. die Mensis Iulij Indict. 6. vespere in ipso crepusculo noctis, in Vigilia beatorum Martyrum Abdon & Sennen, peruenerunt occupantes pontem Salarium. Alia verò die transientes per pontem Miluium venerunt ad portam B. Petri; & deinde pergentes appropinquauerunt ad portam B. Pancratij. Quidam verò propinqui iam fati Christophori ac Sergij, ipsam portam obseruantes ac custodientes, cum vidissent ipsum Sergium ad eandem portam appropinquasse, annuerunt ei, & protinus ipsam aperuerunt. Sicque iam dictus Sergius & Valdipertus cum Longobardis Romanam vrbem ingressi sunt, & per muros ciuitatis cum flammula ascendebant, metuentes Romanum populum, & nequaquam de Ianiculo ipsi Longobardi ausi sunt descendere, sed cum nimio tremore ibidem assistebant. Hoc autem audiens Toto, & Passiuus germani fratres Constantini, ingnorantes ingenium & dolum, quod proditores inierunt, concurrerunt cum aliquantis ad prædictam portam; cum quibus & Demetrius Secundicerius, & Gratiosus tunc Chartularius, postmodum Dux, properauerũt: qui & ipsi in consilio erant cum præfatis proditoribus. Et appropinquantes ad eosdem Longobardos, obuiauit Totoni Duci ex eisdem Longobardis, qui bellator prę omnibus apparebat, Recipertus nomine, & impetum fecit super Totonẽ, super quem idem Toto irruens, atque fortiter percutiens eum, interfecit. Quod aspicientes Longobardi, in fugam conuersi, nitebantur euadere, sed Demetrius Secundicerius, & Gratiosus post tergum supradicti Totonis assistentes, eum in deorsum lanceis percusserunt & interfecerunt. Passiuus verò in Lateranense fugit Patriarchium, annuncians suo germano Constantino, quæ gesta fuerant. Quo audito Constantinus fugit cum præfato Passiuo & Theodoro Episcopo, & Vicedomino suo in basilicam Saluatoris, & descendentes ad fontem in Ecclesia S. Venantij aliquantulum ibidem resederunt; & considerantes melius se posse saluari, in vestiarium ascenderunt. Illuc intus oratorium Sancti Cæsarij ingredientes, clausisque super se ianuis ibidem residebant. Et post aliquot horas venientes Romanæ militiæ iudices, eos ex ipso oratorio eiecerunt, & sub cautela munierunt. Alio verò die Dominico congregans Valdipertus presbyter (ignorante autem prędicto Sergio) aliquantos Romanos, pergentesque in monasterium S. Viti, abstulerunt exinde Philippum presbyterum, quem eligentes, & cum gaudio vocibus acclamantes. *Philippum Papam S. Petrus elegit*, in basilicam Saluatoris more solito deduxerunt. Illicque oratione ab Episcopo data, iuxta antiquitatis morẽ, tribuentemque pacẽ omnibus, in Lateranenſę introduxerunt Patriarchiũ. Et ibidem similiter in sella Pontificali sedens, tribuensque denuo, vt mos est pacem: ascendit sursum, & mensam, vt assolent Pontifices, tenuit. Sedentes cum eo aliquanti ex primatibus Ecclesiæ, & optimatibus militiæ, audiunt post paululum temporis aduenisse sæpefatum Christophorum Primicerium. Qui cognita electione Philippi, magna succensus ira, iureiurando affirmauit coram omnibus Romanis dicens, se Romam minimè ingressurum, quousque Philippus Presbyter de Lateranensi expulsus non fuisset Patriarchio. Tunc properans antedictus Gratiosus, cum aliquantis Romanis expulerunt eum de Patriarchio; qui per scalam quæ ducit ad balneum descendens, cum magna reuerentia ad suum reuersus est monasterium. Sicque præfatus Christophorus Primicerius alia die aggregans sacerdotes ac Primates cleri, & optimates militię, atque vniuersum exercitum, & ciues honestos, & omnẽ populi Romani cœtum, à magno vsque ad paruum, pertractantes pariter concordauerunt omnes vna mente, vnoque consensu in personam prefati beatiss. Stephani, Pergentesque in titulo beatæ Cæciliæ, in quo presbyter erat, eum Pontificem elegerunt, quem & cum vocibus acclamationum ac laudibus, in Lateranense deportauerunt Patriarchium: & post omnia ritè in eius electione peracta, Deo auctore, Pontificatus assumpsit culmen. Dum verò ad-

Dum hæ turbæ in vrbe Romana peragerentur Constantinus Copronymus relicta cura occidentis ex humana felicitate beatitudinem suam ponderauit eodemque an. 8. Imperij sui coronauit Eudoxiam vxorem suam Kalen. April, filios vero suos ex ipsa procreatos (hæc autem illi tertia coniunx erat Christophorum & Nicephorum, postera die qua sanctum celebratum est Pascha Cæsares ordinauit, Patriarcha Nicetа hæretico orationem faciente & Imperatoribus chlamides & Cæsareas galeas imponentibus. Pari modo & Nicetæ nouissimo fratri eorum nobilissimo facto, superposuit ei Chlamydem & aureum coronam et ita processerunt. iactantibus Imperatoribus hyppatia & trimissa & semissa. & numismata noua vsque ad magnam Ecclesiam.

adhuc electus extitisset idem sanctiss. vir, congregati aliquanti peruersi, Deum præ oculis non habentes, nec metuentes terribile iudicium futurum, summissi à quibusdam pestiferis malorum auctoribus, quibus & digna factis retribuit Dominus, comprehendentes Theodorum Episcopum Vicedominum Constantini, quod & dici impium est, oculos ei eruerunt, & linguam crudeliter amputauerunt. Sed & Passiui similiter oculos eruere nisi sunt, & tantam impietatem in eisdem monstrauerunt quod nec ad proprias domos eos deportatari permiserunt, vt illis cura à suis hominibus exhiberi possit. Sed ablatis omnibus eorum rebus & familijs, ac possessionibus, vnum ex eis, Theodorum scilicet Episcopum in monasterio Cliui Scauri retrudi fecerunt, vbi fame & siti cremans, clamansque aquam, ita exhalauit spiritum. Passiuum verò in monasterium S. Syluestri direxerunt. Constantinus verò inuasor Sedis Apostolicæ, dum in medium productus esset, & magna pondera pedibus eius imposita essent in sella muliebri sedere eum super equum fecerunt; & in monasterium Cellanouas coram omnibus deportatus est. Sabbato verò die diluculo, ante vnam diem ordinationis præfati beatiss. Papæ Stephani; aggregati aliquanti Episcoporum, ac presbyterorum, & Clerici in basilica Saluatoris, præfatum Constantinum iterum in medium produxerunt, lectisque sacris Canonibus ita depositus est. Accedens ad eum Maurianus subdiaconus orarium de eius collo abstulit, & ante pedes eius proiecit, & compages eius abscidit. Sicque alio die Dominico antedictus beatissimus Stephanus consecrationem suscepit Pontificatus; factaque ab vniuerso populo Romano pœnitentiæ, confessionisque deprecatione apud Diuinam clementiam, per quam se omnes peccasse in prædicti Constantini inuasoris Apostolicæ sedis impia ordinatione confessi sunt, pro eo, quod non restiterũt ei, ita excelsa voce in ambone B. Petri basilicæ à Leontio Scriniario, eadem relecta est confessio. Posthæc vero aggregati vniuersi exercitus Romanæ ciuitatis, & Tusciæ, & Campaniæ, pergentes Alatrum partis Campaniæ, vbi erat Gracilis Tribunus, consentaneus iam dicti Constantini Apostolicæ Sedis inuasoris, per quem plura mala in Cãpaniæ parte perpetrata sunt, constringentesque fortiter eandem ciuitatem, ipsum exinde abstulerunt, & Romam perductum, arcta custodia per aliquot dies detinuerunt. Postmodum verò quidam iniqui Campani, qui huc Romam aduenerant, adhortati ab alijs nequioribus se eundem Gracilem ex custodia auferentes, & quasi eum in monasterium deportantes, dum ad Colosseum aduenissent, oculos ei eruerunt & linguam resecarunt. Porrò aliquãtis post hæc præteritis diebus, dum Tuscani, & Campani hic Romæ aggregati fuissent, inito consilio cum præfato Gratioso, & fortioribus eius, per quorum auctoritatem tanta mala operabantur, Deum non metuentes perrexerunt cum cuneo militum Tusciæ & Campaniæ primo diluculo in monasterium Cellanouas, vbi Constantinus antedictus Apostolicæ Sedis inuasor retrusus erat, oculos eius eruerunt, & cœcum in platea iacentem reliquerunt.

His itaque gestis, peractisque insurrexerunt quidam dicentes, quod antedictus Valdipertus præsbyter Longobardorum genere ortus, consilium cum Theodocio Duce Spoletano, & aliquibus Romanis inijsset, ad interficiendum præfatum Christophorum Primicerium, & alios Romanos primates, & ciuitatem Romanam Longobardorum genti tradendam. Vnde directus est quidem Christophorus Vicedominus cum multitudine populi ad eum comprehendẽdum. Ipse verò hoc agnito, fugit in Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, quæ vocatur ad Martyres: quem ex inde prædictus Vicedominus abstraxit, portante eodem Valdiperto imaginem ipsius Dei Genitricis, eumque in teterrimam retrudi fecerunt custodiam, quæ vocatur Ferrata, in cellario maiore. Et post modicos dies ipsum de eadem custodia educentes, oculos eius effoderũt, & linguam crudeliter abscinderunt: dirigẽtesq. illum in Xenodochiũ Valerij, omnium inopem reliquerunt, vt breui miseria oppressus vitam finiret. Itaque in

 exor-

exordio ordinationis suæ, idem sanctiss. Præsul, legationem in Franciæ partes direxit, ad excellentes viros, Pipinum Regem, & filios eius Carolum & Carolomanum patricios Romanos, Sergium antedictum Secundicerium, & Nomenclatorem illo in tempore existentem, deprecans atque exhorrans eorum excellentias per suas Apostolicas litteras, vt aliquantos Episcopos gnaros, & in omnibus diuinis scripturis, atque sanctorum Canonum institutionibus eruditos ac peritissimos dirigerent, ad faciendum in vrbe Romana Concilium pro eadem impia noui erroris ac præsumptionis temeritate, quam antefatus Constantinus Apostolicæ Sedis inuasor ausus est perpetrare. Et properante antedicto Sergio in Erancorum regiones, iam inuenit de hac luce migrasse Christianissimum Regem Pipinum: & cœptum iter gradiens, peruenit ad eius filios Carolum & Carolomannum germanos fratres, Reges Francorum, & patricios Romanorum. Quibus Apostolicas tribuens literas, benignè ab eis susceptus est, & dignam illi impendentes humanitatem, cuncta nihilominus, pro quibus missus est, ab eorum excellentia impetrauit; dirigentes ipsi Christianissimi Principes duodecim Episcopos ex eisdem Francorum regionibus, nimis diuinis scripturis, & sacrorum Canonum cæremonijs doctos, ac probatissimos viros. Eisq. in hanc Romanam Vrbem coniungentibus mense Aprili, Indict. 7. protinus antedictus Stephanus Papa congregans diuersos Episcopos Tusciæ atque Campaniæ ac totius Italiæ, Concilium peregit in basilica Saluatoris. Considentibusq. cum beatiss. Papa omnibus Episcopis adductus est in medium Constantinus Apostolicæ Sedis inuasor iam excecatus oculis & subtilius exquisitus cur præsumpsisset Apostolicam Sedem laicus existens inuadere, & talem iniquæ nouitatis errorem in Ecclesia Dei perpetrare? Ita coram omnibus fassus est, vim se à populo pertulisse, & per brachiũ populi fuisse electum atque coactum in Lateranense Patriarchium deductum, propter grauamina ac præiudicia illa, quæ Romano populo ingesserat Domnus Paulus Papa, & corruens in terram, manibus extensis in pauimento, se reum ac super numerum arenæ maris peccasse flebat, petens misericordiæ veniam ab eodem sacerdotali consequi concilio. Quem à terra eleuare facientes, ipso die nullam de eo protulerunt sententiam. Alia verò die afferentes eum denuo, atque interrogantes de eadem impia nouitate, respondit, nihil noui se fecisse dicens. Quia & Sergius Archiepiscopus Rauennatium, laicus existens, Archiepiscopus factus est; & Stephanus Neapolitanæ ciuitatis & ipse laicus repente Episcopus consecratus est. Dum vero talia idem Constantinus persequeretur, illico irati zelo Ecclesiasticæ traditionis vniuersi sacerdotes, alapis eius ceruicem cædere facientes, eum extra eandem Ecclesiam eiecerunt.

Pipinus Rex Francorum ob prestantiã rei militaris. & insitum eius animo religionis cultum laudatiss. Caroli Magni pater, ex ac vita decessit an. Christi 768. d. 8. Idus Augusti, ad proximũ se parans obitum orationis causa inuisit sepulchrum S. Martini Turonis, inde reuersus Parisios ad S Dionysium reddidit Deo spiritum. Qui à tempore quo à Stephano Papa coronatus est. annos regnauit quatuordecim.

Tunc detectis omnibus combustisq. eius rationum gestis, simul, & Concilio illo quod in scriptis de eius quasi confirmatione editum fuerat, igne combusserunt in medio presbiterij ipsius Ecclesiæ. Et hoc facto, proijciens se in terram sanctiss. Stephanus Papa, cum vniuersis sacerdotibus, & populo Romano, clamãtesq. Kyrieeleyson, cum ingẽti fletu peccasse se omnes professi sunt, pro eo, quod de manibus ipsius Constantini communionẽ suscepissent: sicq. ex hoc omnibus indicta est pœnitentia. Tunc allatis sacratissimis Canonibus, eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem sacerdotali Concilio, ne vllus vnquam præsumat laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus aut presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Põtificatus honorem possit promoueri. Et alia plura, quæ de eo canonica indigebant correctione, in eodem Concilio statuerunt emendanda. De Episcopis vero, atque presbyteris, & Diaconibus, quos ipse Constantinus consecrauerat, ita in eodem Concilio promulgatum est, vt Episcopi illi, si aliquis eorum presbyter, aut Diaconus fuerit, in pristinum honoris sui gradum reuerterentur. Et si placabiles fuissent coram populo ciuitatis suæ, denuo facto decreto electionis, more solito cum clero & plebe, ad Apostolicam aduenissent sedem, & ab eodem sanctiss. Stephano Papa benedictio-

In Oriente tunc aduersus Monachos an. 771. Constantinus Imp. maioribus augmentis seuijt non in ipsos tantum sed & in eorum domicilia venundabat siquidẽ omnia monasteria virorum ac mulierum. & omnia vasa sacrata & libros & pecora. Quotquot autem libros reperit, in quibus vitæ erãt sanctorum descriptæ omnes igne combussit et sicubi lipsanũ hoc est venerandas reliquias Sancti cuius quã inuenire poterat igni tradebat, eum. vero qui habebat ... vt impie agen-

dictionis suscíperent consecrationem. Presbyteri verò illi, ac Diaconi, ab eodem Constantino consecrati, simili modo in eo quo prius existebant habitu reuerterentur. Et postmodum si qui eorum placabiles extitissent, antefatus beatiss. Pontifex, presbyteros eos, aut Diaconos consecraret. Statuens vt hi, qui ex eis consecrandi erant, nequaquam ad altiorem honorem ascenderent, nec ad Pontificatus promouerentur culmen, ne talis impius nouitatis error in Ecclesia Dei pullularet. Ipse verò antefatus beatiss. Stedhanus Papa coram omni sacerdotali collegio clara voce clamauit dicens: Nullo modo se immitti, aut penitus declinare in eorundem presbyterorum, aut diaconorum consecrationem. De laicis verò, qui ab eodem Constantino, presbyteri, aut diaconi consecrati sunt, ita promulgatum est, vt in religioso habitu cunctis diebus eorum vitæ, siue in proprijs domibus, vel vbi fuissent, permanere deberent. Huiusmodi verò promulgatis sententiis, illicò Episcopi illi, qui ab eodem Constantino ordinati sunt, reuertentes iuxta eiusdem Concilij sententiam in pristino gradu honoris, electi denuo à clero, & plebe, factoq. solito decreto, ad Sedem Apostolicam properantes, ab eodem sanctiss. Papa consecrati sunt. Nam presbyteri & diaconi illi vsque ad mortem ipsius Pontificis sic remanentes, nequaquam sunt ab eo consecrati. Ita enim in eodem Concilio constitutum est, vt omnia, quæ idem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis ac diuino cultu egit, iterari debuissent, præter sacrum baptisma atque sanctum Chrisma. Hæc verò omnia promulgata continuo, & diuersa sanctorũ Patrum testimonia, de sacris imaginibus, in eodem allata sunt Concilio: & subtilius multa perindagantes, statuerunt magno honoris affectu, ab omnibus Christianis, ipsas sacras venerari imagines, sicuti ab omnibus prædecessoribus, huius Apostolicæ sedis Pontificibus, & cunctis venerabilibus patribus, vsque hactenus de earum honore, obseruatum, effectum, & cunctis ad memoriam piæ compunctionis est traditum: confundentes, atque anathematizantes execrabilem illam Synodum, quæ in Greciæ partibus nuper facta est, pro disperdendis ipsis sacris imaginibus. Expletis verò omnibus, quæ in eodem Concilio promulganda erant, tunc idem beatiss. Pontifex aggregans vniuersos sacerdotes, atque clerum, & cunctum populum, profecti sunt ad B. Petrum Principem Apostolorum, cũ hymnis & canticis spiritualibus, nudis pedibus incedentes, illicque in ambonem ascendens Leontius Scriniarius, cuncta quæ in eodem peracta sunt Concilio extensa voce legit populo. Sed & tres Episcopi; id est, Gregorius Syluæ Candidæ, Eustratius Albanus, & Theodosius Tyburtinus, in eodem præfatæ Ecclesiæ ambone ascendentes, anathematis obligationẽ protulerunt, si quisquam præsumat quoquo tempore transgredi quippiam de omnibus, quæ in eodem Concilio statuta sunt. His verò peractis contigit post aliquantum temporis migrasse Sergium Archiepiscopum ciuitatis Rauennatium; & continuo surgens Michaël Scriniarius ipsius Ecclesiæ, qui nullo sacerdotali fungebatur honore, profectus Arimino ad Mauritium Ducem Ariminensem, qui congregans exercitum vna cum concilio Desiderij Longobardorum Regis, properauit, atque ingressus est Rauennam. Et brachio forti elegit prædictum Michaëlem, & in Episcopium Rauennatis Ecclesiæ introduxit. Et Leonem Archidiaconum, qui electus erat in Archiepiscopatus ordinem, Ariminum deportans, ibidem arcta custodia mancipatum, idem Mauritius detinere fecit. Tunc direxit quantocyus, prædictus Michaël atque Mauritius, & iudices Rauennatium, ad præfatum beatiss. Pontificem, promittentes ei copiosa munera, vt Michaëlẽ prędictum in Archiepiscopum consecraret. Sed Pontifex nullius dationis promissione potuit ad consecrandum eum inclinari, eo quod nullo Sacerdotij honore præditus existeret. Ideoque & literas obtestationis & missos ad eundem Michaëlem direxit, vt ab iniusto proposito suo recederet: sed ille nullo modo Apostolicis admonitionibus acquiescere voluit. Danique plurima munera Desiderio Longobardorum Regi, & cymelia, & ornatus ipsius Ecclesiæ; cum alijs diuersis speciebus, brachio forti

tem puniebat & multos quidem monachorũ interfecit verberibus quosdam etiam gladijs trucidauit innumerabiles oculorum vsibus priuauit. Et quarundam barbas cera & Oleo perungens succẽdebat igni. & post alios cruciatus exilijs destinabat.

forri per vnius anni circulum, & eo amplius, ipsius Episcopium peruasum detinuit; denudans atque in magnam paupertatem eum redigens.

Sed dum nullo modo firmissimam mentis constantiam ipsius sanctiss. Pontificis flectere potuerunt, nequissimi consentanei ipsius Michaelis, tunc, dum missi excellentissimi Caroli Regis Francorum, & patritij Romanorum, personaliter adessent, dirigens ipse beatiss. Præsul suos missos vna cum missis Francorum, & omnes Rauennates admonens, (qui statim insurrexerunt super ipsum Michaelem) eum cum opprobrio de ipso Episcopio eiecerunt, & vinctum Romam dirigentes, elegerunt suprafatum Leonem Archidiaconum ipsius Ecclesiæ, qui ad hanc Apostolicam sedem properans cum sacerdotibus, & clero ipsius Rauennatis ecclesiæ in Archiepiscopatus honorem, ab eodem sanctiss. Papa Stephano ordinatus consecratusq. est.

Erat enim idem prædictus beatiss. Præsul ecclesiasticæ traditionis obseruator, vnde & pristinum Ecclesiæ in diuersis clericatus honoribus renouauit ritum. Hic statuit vt omni Dominico die à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadarijs, qui in Ecclesia Saluatoris obseruant missarum solemnia, super altare B. Petri celebraretur, & *Gloria in Excelsis Deo*, diceretur. Fecit enim & tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad altare, vbi imagines in frontispicio constitutæ sunt. Vnum quidem in basilica B. Petri Apostoli, & alium in basilica B. Pauli, & alium ad B. Andream Apostolum. Nam sedulò idem beatissimus Pōtifex suos missos, atque litteras admonitorias dirigere studebat antedicto excellentiss. Carolo Regi Francorum, & eius germano Carolomanno, imminentibus atque decertantibus in hoc sæpius nominatis Christophoro primicerio, & Sergio Secundicerio, pro exigendis à Desiderio Rege Longobardorum iustitiis B. Petri; quas obdurato corde reddere sācte Ecclesie Dei nolebat. Vnde nimia furoris indignatione contra prænominatos Christophorum & Sergium exardescens, nitebatur eos extinguere ac delere. Pro quo suo ingenio maligno simulauit se, quasi orationis causa ad B. Petrum huc Romam properaturum, vt eos capere potuisset. Dirigens ergo clam munera Paulo cubiculario, cognomento Afiarta, alijs eius impijs sequacibus, suasit eis, vt in Apostolicam indignationem inducerent eos. Eiq. idem Paulus consentiens de eorum perditione absconsè decertabat. Dumq. hoc agnouissent prænominati Christophorus & Sergius, & eundem proteruum Desiderium Regem Romam properaturum agnouissent, illicò aggregantes multitudinem populi Tusciæ & Campaniæ & Ducatus Perusini, parauerunt se ad resistendum viriliter Desiderio Regi. Et portas vrbis claudentes, propugnacula fabricauerunt, & ita armati omnes existebant ab defensionem propriæ ciuitatis. Et dum hæc agerentur, inopinato aduenit ad B. Petrum antedictus Desiderius Rex cum exercitu suorum Longobardorum, & continuò direxit suos missos præfato Pontifici rogans vt ad eum egrederetur, quod & factum est. Dumque cum eo præsens esset, pariterq. pro iustitijs B. Petri loquerentur, rursum ipse beatiss. Pontifex reuersus, ingressus est ciuitatem. Præfatus siquidem Paulus, & eius sequaces nefandi inito cum Rege cōsilio, nitebantur interea populum Romanum seducere ad insurgendum contra dictos Christophorum & Sergium, vt eos interficerent. Et dum hoc eis nunciatum fuisset, aggregantes populum, ascenderūt armati in Lateranum ad capiendum suos insidiatores: vniuersaq. multitudo populi quæ cum eis aduenerat, ingressi sunt cum armis in basilicam Domni Theodori Papæ, vbi tunc aderat beatiss. Pontifex, qui eos fortiter increpauit, quod præsumsissent armati in sanctum Patriarchium ingredi, pariterq. loquentes recedere eos iussit. Alia die denuò egressus est Pontifex ad B. Petrum, ad loquendum cum eodem Rege, & dum simul essent, omittens Desiderius Rex causas de iustitijs B. Petri, tantummodo pro receptione prædictorum Christophori & Sergij insistebat. Vnde claudens vniuersas ianuas B. Petri, neminem Romanorum, qui cum ipso sanctiss. Pontifice exierant, ex eadem Ecclesia egredi permisit. Tunc dire-

direxit Pontifex, Andream Episcopum Præneſtinum, & Iordanem Episcopum Signienſem ad portam ciuitatis, quæ ducit ad B. Petrum, vbi prænominati viri Chriſtophorus & Sergius cum multitudine populi reſidebant, monendo eos, vt vel in monaſterium ingrederentur ad ſaluandum animas ſuas, vel ad B. Petrum ad eum ſtuderent properare; Ipſi verò metuentes prædicti Regis malignam ſæuitiam, minimè ad eum egredi auſi ſunt, aſſerentes ſe prius in manibus Romanorum ſuorum fratrum & conciuium eſſe tradituros, quam exteræ gentis. Dū ergo populus, qui cū eis erāt, audirent eadem à prædicto Pontifice directa ex ore miſſorum Epiſcoporum, illicò cōturbati ſunt; & cœpit vnuſquiſq; ab eis recedere, Nam Gratioſus quidam Dux cognatus Sergij, ſimulans ſe ad propriam pergere domum congregans aliquantos Romanorum, profecti ſunt pariter ad portam Portuenſem, quam clauſam reperientes, à cardine eam auferre auſi ſunt, & ita per noctem ad prænominatum eggreſſi ſunt Pontificem. Chriſtophorus verò & Sergius conſpicientes ſe in magno deceptu eſſe poſitos, prius quidem Sergius eadem nocte, qua hora campana inſonuit, deſcendit per murum, & properauit ad B. Petrum; Quem ad gradus Eccleſiæ B. Petri compræhendentes cuſtodes Longobardorum, ad ſuum deduxerunt Regem. Eumque ſubſequutus Chriſtophorus pater eius; prænominati Pontificis obtutibus ſunt pręſentati. Quos ille ſaluos conſeruare cupiens, monachos facere præcepit. Poſt hæc faciens miſſionem prænominato Regi, ingreſsus eſt vrbem ipſe, relictis præfatis Chriſtophoro, & Sergio in Eccleſia B. Petri Apoſtoli, cupiens eos noctis ſilentio propter inſidias inimicorum ſaluos introduci Romam. Dum verò ſol ad occaſum vergere videretur, continuò congregans prænominatus Paulus cubicularius nefandos cōſentaneos ſuos, & multitudinem populi, & properantes ad Deſiderium Regem, impium cum eo inierunt conſilium, & abſtulerunt Chriſtophorum, & Sergium ab Eccleſia B. Petri Apoſtoli, & properantes cum plurimis Longobardis vſque ad portam ciuitatis, ibidem oculos eorum eruerunt. Sicque prædictus Chriſtophorus in monaſterium S. Agathæ deductus, ibidem poſt triduum ob dolorem vitā finiuit. Sergius verò in monaſterium Cliui Scauri deportatus, & poſtmodum in cellarium Lateranenſe deductus, illic vſque ad tranſitum prænominati Pontificis extitit. Hæc verò omnia mala per iniquas immiſſiones Longobardorū Deſiderij Regis prouenerunt. Fecit autem ipſe Sanctiſs. Pontifex ordinationem vnam per menſem Decembr. presbyteros. 5. Diaconos. 4. epiſcopos per diuerſa loca . . . Qui eſt Sepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum. & ceſſauit Epiſcopatus dies 8.

Cum Stephanus Papa ad mortem ægrotaret, ante dies octo quàm ex hac vita migraret, nouis turbis vrbs exagitata fuit, factione Pauli cognomento Aſiarta, qui miſerum Sergiū Secundicerium, quē antea oculis priuauerat, hucten͞us in Cellario Lateranenſi aſſeruatum, per nefandos ſuæ factionis homines Anagnia adductos, prima hora noctis inde raptū, fune ad collum ligato ad Merulanum duxit prope baſilicā S. Dei Genitricis ad Præſepe, & ibi eum plurimis confoſſum vulneribus, intra ſepulchrum prope perticum proÿcere iuſsit Quod impium facinus poſtea ſucceſſor Stephani Papæ egregiē puniuit.

Scripſit epiſtolam vnam ad Carolum & Carolomannum Francorum Reges: qua aliarum coniugijs copulatis ſub pœna excommunicationis cum alia coniuge matrimonium contrahere prohibet.

Primum Concilium ſub præſidio Stephani Papæ IV. Romæ celebratum, *A.D. 769.*

De electione Pontificis, & cultu ſacrarum imaginum. Cauſam præbuit Conſtantinus pſeudopapa, qui Sedem Apoſtolicam manu armata inuadens, vno feremomento ex laico, tanquam in ſcena prodiit Romanus Pontifex. Igitur damnato raptore violento, canone ſancito prohibitum eſt, ne in poſterum quis talia præſumere auſit; & non niſi diaconus aut presbyter ad Pontificatum aſſumatur. Acta eius irritata ſunt, & ab eo ordinati in ſuo ordine miniſtrare non ſunt permiſſi. Improbata quoque ſunt omnia, quæ contra ſacras imagines ſub Copronymo Imp. Conſtantinopoli deciſa fuerunt.

Secundum Concilium Vormatienſe, *Ann. D. 770.*

Tempore Caroli magni ob renouandam diſciplinam Eccleſiaſticam celebratum, & 80. Canones in eum finem conſcripti fuēre.

Anno D. 772. die 9. Feb. Conſtantini Copronymi Imper. an 32.

ADRIANVS I. Natione Romanus, ex patre Theodoro, de regione Via Lata, ſedit annos 13. menſes

ses 10. dies 17. Vir valde præclarus, & nobilissimi generis prosapia ortus, cuius parentes inter Romanos potentissimi fuerant, elegans facie & decorus, constantissimusque atque fortissimus, fidei orthodoxæ, patriæ suæ, ac plebis sibi cōmissæ defensor; viriliter cum Dei virtute inimicis Ecclesiæ Sanctæ, ac Reipublicę impugnatoribus resistens, pauperum etiam & omnium indigentium misericors ac copiosus consolator; Ecclesiasticæ quoque traditionis, & Sanctorum Patrum institutionum obseruator.

Hic defuncto genitore, paruulus nobilissimæ suæ genitrici relictus, studiosè à patruo Theodulo, dudum Consule, & Duce, postmodum verò Primicerio Ecclesiæ sanctę, post dictæ suæ genitricis obitum educatus est. Et à prima ætatis suæ pueritia, spiritualibus studijs charitatis, modestiæque insistebat, sedulè perseuerans in Ecclesia S. Marci, quę vicina domui suæ erat. Illic crebras die noctuque referebat Deo laudes, indutusque cilicio, ieiunijs corpus suum macerabat, & eleemosynas egenis inopibusque iuxta possibilitatis suę vires libenter tribuebat. Vnde actiones eius bonę in omnium Romanorum auribus frequenter resonabant; nobilitatisque ac prudentiæ ipsius fama longè lateque diuulgabatur. Cuius piæ conuersationis vitam, sanctæ recordationis Domnus Paulus Papa conspiciens, clericum eum fieri iussit, & notarium regionarium in Ecclesia, quem postmodum ob præcipuos mores & Sanctimoniam Subdiaconum fecit. Dum verò post decessum Domni Pauli Papæ, ad Pontificatus culmen prouectus fuisset Domnus Stephanus IV. Papa, & ipse cernens eiusdem spiritualium conuersationum merita, in Diaconij ordinem eum prouexit. Quo honore auctus, multipliciter spiritualibus pollens studiis, maximam in Euangelizando verbo diuino, & in exercendis Ecclesiasticis traditionibus gessit curam. Et ita Spiritus Sācti gratia in eius corde refulsit, vt in omnibus efficax, idoneusque comprobaretur. Sicque factum est, vt dum de hac vita migraret antefatus Domnus Stephanus IV. illico (dum feruentissimo affectu à populo Romano eligeretur) idem præcipuus ac sanctissimus vir, & Dei cultor Hadrianus ad sacrum Pontificatus erectus est culmen. Hic confestim eadem hora, qua electus, reuerti fecit iudices illos huius Romanæ vrbis, tàm de clero, quàm de militia, qui in exilium, à transitu Domni Stephani Papæ missi fuerant, à Paulo cubiculario cognomento Afiarta, & alijs consentaneis militibus impijs. Sed & reliquos, qui in arcta custodia mancipati ac retrusi erant, absolui fecit; & ita omnibus pariter cum eo exultantibus Pontificalem Deo auspice suscepit consecrationem.

In ipso autem consecrationis eius exordio, direxit ad eius beatitudinem suos missos Desiderius Longobardorum Rex, scilicet Theodoricum Ducem Spoletanum, Tunnonem Ducem Eburæ regiæ, & Prandulum Vestiarium suum, suasionis per eos mittens verba, vt in vinculo charitatis vellet cum eo colligari. Quibus ita beatissimo Pontifex respondit. Ego sanè cum omnibus Christianis pacem cupio habere. etiam & cum eodem Desiderio Rege vestro, in ea fœderis forma, quę inter Romanos, Francos, & Longobardos cōstituta est, in hac studebo permanere. Sed quomodo possum credere Regi vestro, in eo quod subtilius mihi Sanctæ recordationis prædecessor meus Domnus Stephanus Papa de fraudulēta eius fide retulit; quod non præstitisset, quæ ei in corpus B. Petri iureiurando promisit, pro iustitijs Sanctæ Dei Ecclesiæ faciendis, et insuper per suum iniquum cooperatorem, erui fecit oculos Christophori primicerij, et Sergij Secundicerij filij eius, suamque voluntatem de ipsis duobus proceribus Ecclesiæ expleuit, vnde damnum et detrimentum nobis intulit. Dumque Stephanus ad eum missos suos postmodum direxisset, videlicet Anastasium primum defensorem, et Gemmulum Subdiaconum, adhortans eum, vt ea quæ præsentialiter B. Petro pollicitus est, re ipsa adimpleret; taliter ei respondit. Sufficit Apostolico Stephano, quia tuli Christophorum & Sergium de medio, qui illi dominabantur, & non sit illi necesse iustitias requirere. Nam certè, si ego ipsum Apostolicum non adiu-

iuuero, magna perditio super eum eueniet. Quoniam Carolomannus Rex Francorum amicus existens prædictorum Christophori & Sergij paratus est cum suis exercitibus ad vindicandum eorum mortem Romam aduenire, ipsumque Pontificem capere. Ecce qualis est fides Desiderij Regis vestri, & cum qua fiducia illi fœderari possimus. Hæc prosequente beatiss. Hadriano Præsule, missi præfati Desiderij Regis tanto magis confirmabant sub vinculo Sacramenti, quod eorū Rex omnes iustitias, quas antefato Domno Stephano Papæ non reddiderat, ei vt summo Pastori reddet, & in vinculo charitatis, insolubili connexione cum eo permanebit. Quorum iuramentis credens eius beatitudo, direxit ad eundem Desiderium Regem missos suos pro his omnibus perficiendis, scilicet Stephanum Notarium regionarium & Sacellarium, atque Paulum cubicularium: quibus ab vrbe egressis, & iam Perusium peruenientibus, nuncium coniunxit, quod Rex Desiderius abstulisset ciuitatem Fauentiam, & Ducatum Ferrariæ, seu Comaclium de Exarchatu Rauennate, quæ Sanctæ memoriæ Pipinus Rex, & eius filij Carolus & Carolomannus excellentissimi Reges Francorum, & patritij Romanorum, Beato Petro concedentes obtulerunt. Nec enim duo menses præterierunt, quod ipse Sanctiss. vir Pontificatus culmen adeptus est, cum idem atrocissimus Rex, ablatis alijs ciuitatibus, ipsam ex omni parte constringeret ciuitatem Rauennatium. Casales ac omnia præsidia occupans, cunctaque victualia, familias agrestes & peculia ipsorum auferens. Et dum nulla remansisset spes viuendi Leoni Archiepiscopo, & præfatis Rauennatibus in magna angustia, & famis inopia positis, direxerunt huc Romam suos missos, scilicet Iulianum, Petrum, & Vitalinum Tribunos precantes cum fletu magno eundem Sanctiss. Pontificem, vt qualiter potuisset eis subueniret, ipsasque decertaret recolligere ciuitates, asserentes, quia si ipsæ circumuicinæ ciuitates non fuerint restitutæ, viuere nullo modo possent. Tunc ipse almificus Pontifex, dum adhuc prænominati eius missi Stephanus Saccellarius, & Paulus Cubicularius essent Romæ, mandauit illis, vt super ista ad prænominatum pergerent Regem, ad quem suas quoque deprecatorias direxit litteras, vt easdem redderet ciuitates; increpans eum fortiter, cur de promissione illa, quam per suos missos pollicendo direxerat, mutatus fuisset, & iustitias Beati Petri, iuxta quod promiserat non reddidisset; sed insuper illas etiam ciuitates, quas antecessores eius, beatissimi Pontifices, Stephanus, Paulus, & alter Stephanus detinuerunt, abstulisset. Cui ita ille remisit in responsis, quod nisi prius ipse Pontifex veniret ad colloquendum cum eo, minime easdem redderet ciuitates. Illis ipsis autem diebus contigit, vxorem quondam Carolomanni Regis Francorum cum filijs ad eundem Regem Longobardorum fugam arripuisse cum Autchario, nitebaturque efficere Desiderius, quatenus illi filij Carolomanni, Regnum Francorum assumerent: & ob hoc ipsum Sanctiss. Præsulem ad se venire desiderabat, vt eos Reges vngeret, cupiens per hoc diuisionem in Regnum Francorum immittere, ipsumque Pontificem ab amicitia Caroli Regis Francorum seiungere, atque ita vrbem Romam, cunctamque Italiam Longobardorum potestati subijcere. Sed hoc nullo modo efficere valuit, Pontifice in sua opinione constanter perseuerante, quanquam Paulus apud Regem existens, pro certo ei promitteret se Pontificem adducturum, inquiens, quod si etiam in eius pedibus funem me adhibere conuenerit, eum qualiter potuero, ad tuam deducam præsentiam. Sicque factum est, vt Paulo in eo itinere existente palam omnibus fieret, qualiter necare fecisset Sergium Secundicerium, qui cœcus in cellario erat. Et metuens idem Sanctiss. Præsul, ne eiusmodi nuncium ad aures ipsius persoнuisset, & ad Regem reuerteretur, aut in fines Longobardorum ab ipso itinere declinaret, & aliquam malitiam amplius cum eodem Desiderio in finibus

Interea temporis in Oriente Christiani populi persecutionem ingentem passi sunt, qui erant subditi Regis Sarracenorum Habdalla in Syria residentis Is cum Hierosolymam venisset religionis ergo promulgauit edictum quo iuberentur Christiani omnes atque Iudæi inscribi manibus quo à suis Machometanis dignosci possent. Cuius rei causa factum est vt complures Christianorum, cum eam ignominiam sustinere nullatenus vellent ad Romanorum sese regiones transferrent, relictis bonis, quæ inter Arabes possiderent.

Ann. Christi 775. impius Imp. Constantinus Copronymus, Ann 35 regni sui exiuerat mense Augusto cum exercitu suo contra Bulgaros, & diuinitus in cruribus plaga percussus febreq validissima detentus Archadiopolim rediit, à subiectis humeris in lectum delatus Et veniens Silimbriam, nauim ingressus est, cumq. Strongylum per-

venisset castellum, miserabiliter in Chelandio mortuus est clamans & dicens, viuens adhuc igni sum inextinguibili traditus: sanctamq. Virginē, & Dei Genitricem laudari exposcens cum sine foedere eius fuerit inimicus Iussitq. eam exinde honorari, ac celebrari vere Deiparam. Suamq ultimā voluntatem testatā faciens hac ultima pronunciauit verba. Incolume esto magnum templum diuina Sophia, Incolumis esto ædes sanctiss. Deiparæ in Blachernis. Incolumis esto Ecclesia eiusdē in Chalcopratrijs. Incolumis esto ædes sāctorum Apostolorum (erāt precipuæ Ecclesiæ illæ, ab ipso præ cæteris ignominia affectæ) Incolumis esto urbs & Senatus Incolumis esto fili mi Imperator, atque tu etiam Theophanes (à secretis, is ipsius erat) cui magnū meum arcanum credidi. Similis hac ex parte Anthiocho Regi qui semper & vbiq. impius, moriens eā primum sanam veramq sententiam dixit, Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria cum Deo sentire Machab cap. 9.

Romanorum, aut Exarchatu Rauennatium perpetraret, dum nimis charus illi ac fidelis existeret: ob hoc direxit antefatus sanctiss. Papa clam, nimisque secretè Leoni Archiepiscopo Rauennatium, per Iulianum Tribunum, vt dum reuertetur à Desiderio, eum siue in Rauenna, siue in Arimino detineret. Quod & factum est. Reuertente enim eo ex eodem itinere in Arimino conprehensus, atque in custodia est detētus. Tunc Pontifex cæpit curiosius antefati Sergij Secūdicerij mortem inquirere, conuocansq. cunctos cellarios subtilius eos perscrutatur, quomodo ipse Sergius ab eodem cellario abstractus fuisset. Qui respondentes dixerunt, quia prima noctis hora, veniens Caluentinus Cubicularius, cum Tunissone presbytero, & Leonatio Tribuno habitatoribus ciuitatis Anagninæ, ipse eundem Sergium abstulit, viuente Domno Stephano Papa, ante octo dies priusquam de hac luce migrasset, & præfatis Campanis illum tradidit. Confestimq. productus est in medium idem cubicularius & inquisitus, quis illi præcepisset eundem Sergium à præfato abstrahere cellario, & prænominatis Campanis tradere? Respondit, à Paulo Cubiculario cognomento Afiarta, & Gregorio defensore regionario, & Ioanne Duce germano Domni Stephani Papæ, atque à Caluentio cubiculario sibi hoc fuisse præceptum.

Dirigens itaque sanctiss. Præsul suos missos in Campaniam in ciuitatem Anagninam, adduci fecit predictos Tunissonem & Leonatium. Qui presentati Papę, fortiterq. constricti, confessi sunt dicentes, quod à prænominato Paulo Cubiculario & Gregorio defensore Regionario, atque Ioanne germano præfati Domni Stephani Papæ, & Caluentio item cubiculario, maligno consentaneo sæpefati Pauli cubicularij præceptum fuisset, prænominatum Sergiū auferre & interficere Protinus itaque sanctissimus cum prænominatis Campanis suos fidelissimos ministros, vt demonstrarent locum vbi ipsum Sergium interfecerunt, atque sepelierunt. Et properantes venerunt vsque in Merolanam ad arcum depictum, quem secus viam, quæ ducit ad Ecclesiam S. Dei Genitricis ad Præsepe, ibiq. iuxta eundem arcum, aperientes vnam sepulturam demonstrauerūt corpus illius Sergij repositum, funeq. eius guttur constrictum, atque ictibus totum corpus eius vulneratum. Vnde non dubie est suffocatum, ac semiuiuū fuisse terra obrutum. Quod cernentes vniuersi primates Ecclesiæ, ac iudices militiæ, ascendenres vnanimiter cum vniuerso populo in Lateranense Patriarchium, prostrati Apostolicis vestigijs obnixè deprecati sunt vt vindictam atque emendationem fieri præciperet de tanto inaudito piaculo, in eo quod præsumpsissent hominem sæpius tormentis concrematum crudeliter interficere, quod factum nusquam legitur: asserentes, quia si talis flagitij reatus non expiaretur, nimis ipsa impia temeritatis præsumptio in hac Romana vrbe pullularet, assumerentq. ex hoc audaciam peruersi homines, vt tentarent peiora adhuc perpetrare. Tunc Pontifex precibus iudicum vniuersiq. populi Romani, iussit tradere præfatum Caluentium Cubicularium, & prænominatos Campanos Præfecto Vrbis, vt more homicidarum eos coram vniuerso populo examinaret. Deductiq. ex Patriarchio præfato in carcerem publicum, illic coram vniuerso populo examinati sunt. Sicq. ipsi Campani, sicut prius, ita & in eadem examinatione confessi sunt. Caluentius verò obdurans cor suum, vix confessus est ita omnia esse, qui tamen in eodem carcere crudeli, morte amisit spiritum. Pro amputandis verò tam intolerabilibus flagitij reatibus missi sunt ipsi Campani Constantinopolim in exilium.

Post hæc iussit Pontifex tolli corpora Christophori & Sergij eius filij, eaq. cum honore in Ecclesia B. Petri sepeliri. Gesta verò examinationis Campanorum, & Caluentij cubicularij, direxit Rauennam, vt Paulo cubiculario per ordinem relegerentur. Quæ Leo Archiepiscopus suscipiens, confestim sine authoritate Apostolica tradidit eundem Paulum potestati Consulari Vrbis Rauennatium. Exami

na-

natusq. coram omnibus Rauennatibus, cum illi dicta acta relecta essent, confessus est se perpetrasse noxam: de quo nulla scientia data ex præfato sanctissimo sed aliunde hoc sua sanctitas cognouit, quod idem Paulus examinatus esset. Cuius ille animam saluare cupiens, ne in æternum periret, adscribi fecit suggestionem suam Constantino & Leoni Augustis, significans illis de impia cæci Sergij morte, atque deprecans eorum Imperialem clementiam, vt ad emẽdationem tanti reatus ipsum Paulum suscipi, & in ipsis Græciæ partibus in exilio mancipatum retineri præciperent. Direxitq. eandem suggestionem eius beatitudo Leoni Archiepiscopo, vt ipsum Paulum Constantinopolim in exilium, siue per Venetias, siue per aliam viam, qualiter posset dirigeret, cum præfata Apostolica suggestione. Cæterum ipse Archiepiscopus insidians vehementer eidem Paulo, adhibuit impiam occasionem, dirigens Pontifici in responsis, non expedire Paulum illuc dirigere, eo quod Desiderius Longobardorum Rex, filium Mauritij Ducis Venetiarum apud se captiuum detineret. Ne deinde Mauritius cupiens filium suum à Rege liberare, eundem Paulum ei, pro filio traderet. Et sic ea occasione curauit callidè, vt ipsum Paulum extinguere valeret. Post hæc autem cum sanctiss. Pontifex direxisset Gregorium Sacellanum suum ad Desiderium Regem, deprecationis atque hortationis causa, vt ablatas vltrò restituere vellet ciuitates, præcepit ei, vt firmiter contestaretur Leonem Archiepiscopum, quatenus studeret conseruare Paulum, & cum reuerteretur Ticino, eum secum reduceret Romam. Dumque præfatus Gregorius Rauennam aduenisset, constanter ac firmiter contestatus est Archiepiscopum, & Iudices ciuitatis ex mandato Apostolico, in præsentia Anualdi Cartularij ciuis Romani, qui ibidem missus erat ab Apostolica Sede, saluum atque incolumen ipsum Paulum reseruandum, donec ipse Ticino reuerteretur, vt eum secum deducens Apostolicis præsentaret obtutibus. Et mox cœptum Ticinum prosecutus est iter. Archiepiscopus verò continuò ab eius egressu accersito Consule Rauennatium ciuitatis, præcepit ei Paulum interficere. Et dum reuersus fuisset præfatus Sacellarius, inueniens interfectum Paulum, nimis increpauit Archiepiscopum quod præsumpsisset contra Apostolicum præceptum taliter cum Paulo prefato agere. Itaque post aliquantos dies, propria conscientia territus prenominatus Archiepiscopus, direxit ad sanctiss. Præsulem Iulianum Tribunum suum missum, deprecans Apostolicas sibi dirigi literas, ac consolationis monita, ne ei imputaretur mors Pauli, propterea quod in eo sanguinem innocentem vltus fuisset. Sed nullo modo potuit sanctiss. Pontificem inclinare, qui ita in responsis dedit, vt ipse videret, quid in Paulo operatus esset, quia ego animam eius saluare cupiens, pœnitentiæ eum summitti decreueram; atque ideo meum Sacellarium direxi, vt eum deduceret Romam.

Prænominatus autem Desiderius Rex, superbia elatus, qua hora supra præfatas ciuitates Exarchatus Rauennatium abstulerat, statim direxit multitudinem exercitus ad inuadendos fines ciuitatum Romanorum, scilicet, Senogalliæ, Montisferrati, Vrbini, Eugubij, & aliarum, vbi plura homicidia, & depredationes, atque incendia perpetrata sunt. Nam in ciuitatem Bleranam dirigens generalem exercitum partium Tusciæ; dum ipsi Blerani in fiducia pacis ad recolligendas proprias segetes vniuersi cum mulieribus, & filijs, atque famulis egrederentur, repente super eos Longobardi irruerunt, & cunctos primates, quique vtiles in ea ciuitate fuerant, interfecerunt, & prędam multam tam de hominibus, quam de peculijs abstulerunt: ferro, & igni cuncta in circuitu deuastantes. Similiter, & in finibus Romanæ Vrbis, cæterarumq. ciuitatum multa mala ac depredationes idem Rex perpetrare iussit, sed & castrum Vtriculum occupare fecit. Quare sæpius beatissimus Præsul, tam per litteras obsecratorias, quam per missos suos dictum Regem deprecatus est, vt à tantis malis resipisceret, & eas quas abstulerat

rat ciuitates, redderet. Ille verò non solum easdem quas occupauerat, minimè reddere inclinatus est, sed nec ab eadem malitia recedere voluit, vt non cessans finibus Romanorum, intolerabilia mala inferret.

Tunc Pontifex accersito Abbate monasterij S. Dei Genitricis, siti in territorio Sabinensi, cum viginti senioribus monachis, direxit ad eundem Desiderium Regem deprecationis causa. Quibus ad eum properantibus (vt ipsi retulerunt) & prouolutis ad pedes ipsius coram iudicibus Longobardorum, postquam ex persona Vicarij B. Petri, cum lachrymis deprecati fuissent, vt à tantis malis resipisceret, & præfatas quas abstulit ciuitates restitueret: nullo modo cor eius lapideum permotum fuit; & sine vllo effectu eos dimisit, dirigens confestim suos missos ad antefatum Pontificem, Andream nimirum Referendarium, & Stabilem Ducem. Quos Pontifex suscipiens, ita eis respondit. Sic Regi vestro ex mea persona satisfacite, me vobis firmiter coram Deo Omnipotēte promittente, quia si prædictas ciuitates B. Petri, quas tempore meo abstulit, mihi reddiderit, continuo siue Ticini, siue Rauennæ, siue Perusiæ, siue hic Romæ, vel etiam vbi illi placitum fuerit, ad eius properabo præsentiam, ad colloquendum, & constituendum, quæ ad salutem populi Dei vtrarumq. partium respiciunt. Et si dubitat me hoc facturū, habeat licentiam eos denuo occupandi. Sed si prius ipsas ciuitates nō reddiderit, & iustitiam nobis non fecerit, sciat pro certo, quod meam nequaquam videbit faciem. Ecce igitur sequipedes vestros dirigere studebo meos missos ad Regem vestrum, qui easdem recipiant si reddere voluerit ciuitates: & vbi illi redierint, mox ipse ad eius colloquium, vbi voluerit properabo. Longobardorum itaque missis ad suū reuertentibus Regem, sua sanctitas etiam proprios ad eum direxit missos, scilicet Pardum Egumenū monasterio B. Sabæ præfectum, & Anastasium Primum Defensorem, qui pedibus Regijs prouoluti, lachrymis etiam pro fusis deprecati sunt eum, quatenus antedictas redderet ciuitates, promittentes sub iureiurando, statim sanctissimum Pontificem, postquam eas reddiderit affuturum ad colloquendum cum ipso. Sed nulla ratione eius durissimum pectus emollire potuerunt, nihilq. recipientes, sine effectu reuersi sunt. Tamen non desistebat antedictus Pontifex suos missos ad eum dirigere, tàm de sacerdotibus, quàm de singulis religiosorum ordinibus: sed nihil apud eum impetrare valuerunt. Imò in sua iniquitate persistens, & finibus Romanorum ex omni parte mala inferebat, & ipsam Vrbem obsidere cum omni exercitu suo minitabatur. Quare sanctissimus Pontifex cum suo populo turbatus, portas Vrbis occludi iussit, & propugnacula ante eas fieri, legationemq. marino itinere ad Carolum Regem Francorum institui, rogans eum per litteras Apostolicas, vt quemadmodum pater suus sanctæ memoriæ Pipinus, succurrere Ecclesiæ Dei non dubitauit ita & ipse afflictis eius rebus subuenire non dubitaret, & Exarchatum Rauennatium, seu potius plenarias B. Petri iustitias, & ablatas ciuitates à prædicto Desiderio Rege exigeret. Qui dum per nullam occasionis versutiam potuisset ad se Pontificem allicere, vt supradicti Carolomanni filios veniens Reges inungeret, & ipsum Pontificem per hoc ab amicitia Caroli Regis seiungeret; tunc egressus cum Adalgiso filio & vniuerso exercitu Longobardorum (deducens secum, & vxorem & filios sæpedicti quondam Carolomanni, nec non & Authcharium, qui ad eum, vt dictum est, fugam arripuerant) Romam properare adnitebatur, dirigens ad Pontificem Andream Referendarium supranominatum, & duos ex Iudicibus suis, qui ei suum aduentum denuntiarent. Quibus Romam aduenientibus & in conspectu Pontificis comparentibus, tale dedit responsum ipse Pontifex quod nisi ille, vt iam promisit, reddiderit B. Petro ciuitates ablatas, quas meo tempore occupauit, & plenariam parti nostræ fecerit iustitiam, nullo modo mecum præsentialiter conueniet, nec erat illi necesse tantam defatigationem sumere, vt Romam veniret. Au-

Eodem anno & eodem mense quo obijt Constantinus Copronymus Imp mortuus est & Habdalla Arabum Rex, qui itidē persequebatur Christianos sicut & Imperator ambo hi velut acerrimæ bestiæ diuturnis temporibus ac crudelitatibus humanum genus depasti sunt.

Anno Christi 776. Adriani Papæ 6 Leo 4 Copronymi filius suum filium Constātinum ex Irene prognatum coronauit Imperatorem. Fratrem verò suū Eudoxium creauit Nobilissimum sicut pater eius Constantinus alium eius fratrem Anthimum eodem honore decorauerat.

Audito tali responso Rex Desiderius, non est reuersus de itinere cępto, sed eo festinantius properabat Romam. Quem appropinquare cognoscens sanctissimus mox aggregauit vniuersum populum Tusciæ, Campaniæ, Ducatus Perusini, & aliquantos de ciuitatibus Pentapoleos, muniuitq. armatis Vrbem Romam, vt si ipse Rex adueniret, possit illi fortiter Dei auxilio munitus resistere. Ecclesiasq. B. Petri & Pauli extra mœnia vrbis positas, ornatu suo nudare iussit, & cuncta earum cymelia in vrbem inuexit, clausis & munitis ianuis Ecclesiarum deintus, vt si eas proteruus Rex sine licentia sua ingredi voluisset, nullo modo eas, nisi vi & brachio forti aperire valuisset, cum animę suæ detrimento. Et his factis, extemplò ad eum direxit tres Episcopos cum scripto anathematis, Eustratium Albanensem, Andream Prænestinum, & Theodosium Tyburtinæ ciuitatis, protestans eum in eodē obligationis exhortationisq. verbo, & adiurans per omnia Sacra, vt nullo modo fines Romanorum sine concessione ingredi, aut conculcari præsumeret, neque ipse, neque quispiam Longobardorum; sed nec Autcharius Francus. Suscepto itaque eiusmodi obligationis verbo per antefatos Episcopos, illicò à ciuitate Viterbiensi, cum magna reuerentia eos dimittens, confusus ad propria reuersus est.

Post hæc aduenerunt ad Sedem Apostolicam missi Excellentissimi Francorum Regis Caroli Magni, Georgius Episcopus, Gulfradus Abbas, & Albinus Consiliarius, vnus ex charis ipsius Regis, inquirentes, si præfatus Longobardorum Rex ablatas ciuitates, & omnes iustitias Beati Petri reddidisset, sicut falsè in Franciam dirigebat, asserens se omnia reddidisse. Cumque aduertissent nihil ab eo redditum fuisse, & cognouissent omnia ex ore Pontificis quæ gesta fuerunt, dimissi ab eo in Franciam remearunt, vna cum missis Apostolicis, Regem Carolum, vt ea, quæ B. Petro cum suo genitore Pipino pollicitus est, adimpleret, & ablata per Desiderium Regem Longobardorum, brachio forti recuperaret. Properantes itaque Francorum missi ad Regem suum vna cum Apostolicæ Sedis missis, vltrò declinauerunt ad prænominatum Desiderium, & constanter eum deprecantes adhortati sunt, sicut illis à suo Rege preceptum erat, vt aut efatas quas abstulerat ciuitates, pacificè B. Petro redderet, & iustitias parti Romanorum faceret. Sed minimè quicquam horum apud eum obtinere valuerunt, qui nil quicquam se redditurum dixit. Accepto itaque responso hoc, celeriter profecti sunt in regionem suam, vna cum missis Apostolicis, qui de omnibus excellentissimum Regem Carolum exactius docuerunt. Qui confestim alios missos suos ad Desiderium direxit, promittens ei tribui quatuordecim millia solidorum auri, modo ea pacifice redderet quæ abstulerat B. Petro & Romanis. Sed & isti nihil obtinentes ad suum regressi sunt Regem. Tunc ille aggregans vniuersam exercitus Regni sui multitudinem, atque ad occupandas clusas maturè quosdam præmittens, ipse cum fortissimis Francorum per montem Canisum ad easdem clusas appropinquauit: quas Longobardi diuersis materijs & fabricis curiose & ingeniose munientes, vniuersi cum suo Rege ad resistendum assistebant. Carolus verò appropinquans illis, denuò suos missos cum eadem qua prius legatione misit; sed eadem & Desiderius pertinatia nihil se concessurum respondit. Tertiòque rogatus vt tres obsides ex nobilioribus daret, donec prædictas ciuitates B. Petro, ex concordia & pacifica tractatione restitueret. Sed neque sic malignam eius mentem flectere valuit. Vnde Omnipotens Deus iniquam eius mentem conspiciens, misit terrorem & validā trepidationem in cor eius, & filij ipsius Adalgisi atque vniuersorum Longobardorum, vt eadem nocte dimissis propriis tentorijs atque omni supellectili fugam omnes generaliter, nemine eos persequente arriperent. Quod cernentes exercitus Francorum persequuti sunt eos, & plures ex eis interfecerunt. Ipse verò De-

siderius Papiam fugiens cum optimatibus suis, muniens muros ad defensionem se præparauit. Aldegisus autem eius filius, assumens secum Autcharium Francum, & vxorem Carolomanni cum filijs, Veronam profectus est, quod illa vrbs præ omnibus fortissima videretur. Reliqui Longobardorum dispersi, ad proprias ciuitates reuersi sunt. Spoletani verò et Reatini nonnulli, (vtiles personæ) antequam Desiderius cum suo exercitu ad clusas pergeret, ad B. Petrum confugientes, Adriano Papæ sese tradiderunt; et in fide ipsius Principis Apostolorum, atq. prædicti Pontificis iurantes, more Romanorum tonsurati sunt. Sed et reliqui omnes ex eodem Ducatu Spoletano desiderabant se tradere B. Petro, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, verum metuentes Regem suum non sunt ausi id facere. Ast dum omnes à clusis fugam arripuissent, et qui ex Spoletanis erant, domum reuersi essent, statim vniuersi ad Pontificem confluxerunt, eiusq. prouoluti pedibus obnixè precati sunt, vt eos in protectionem B. Petri, sanctæq. Romanæ Ecclesiæ reciperet, et more Romanorum tonsurari faceret. Quos suscipiens, profectus est cum illis in Ecclesiam B. Petri, et omnes vnanimiter iureiurando promiserũt eidem Apostolo fidelitatem atque ipsius vicario Adriano Papæ, omnibusq. successoribus eius Pontificibus Romanis, cum filijs suis et cuncta generatione. Tunc post præstitum sacramentum omnes more Romanorum tonsurati sunt; constituitque eis Sanctissimus Ducem, quem ipsi propria voluntate sibi elegerunt, scilicet Hildeprandum virum nobilissimum, qui prius cum reliquis ad Apostolicam sedem refugium fecerat. Et ita Deo annuente prædictum ducatum Spoletanum sine certamine idem beatiss. Pontifex, sub iure et potestate B. Petri subiugauit; Sed et omnes habitatores tam Ducatus Firmani, Auximani, et Anconitani; simulq. et de Castello Fulginatis dum à clusis Longobardorum fugientes reuersi essent, ad præfatum Pontificem concurrentes eius se potestati tradiderunt: præstitoque Sacramento in fide et seruitio B. Petri, eiusq. Vicarii, et successorum Pontificum se permansuros promiserunt.

At verò sæpefatus Christianissimus Rex Carolus, mouens cum suis exercitibus Papiam, ex omni parte eam circumuallauit, mittensque in Franciam iussit ad se adduci coniugem suam Hildegardam Reginam cum filiis. Et dum cognouisset fugam arripuisse in Veronam prænominatum Aldagisum, relinquens plurimã partem ex suis exercitibus ad Papiam, ipse cum aliquantis fortissimis Francorũ eo properauit. Et dum illuc peruenisset, protinus Autcharius, & vxor Carolomanni cum filijs voluntariè se illi tradiderunt. Quos ipse recipiens denuo Papiam repedauit. Et confestim dirigens cuneos bellatorum, comprehendit diuersas ciuitates Longobardorum vltra Padum constitutas, suæque redegit potestati. Et dum per sex mensium spatium ad Papiam moraretur, habens magnũ desiderium ad limina Apostolorum properandi, quod iam festiuitas Paschalis appropinquaret, sumens secum diuersos Episcopos & Abbates, itemque Iudices, Duces, & Graphones cum exercitibus, per Tusciæ partes Romam properauit, ita festinanter, vt ipso Sabbato Sancto se liminibus præsentaret Apostolicis. Cuius aduentum audiens beatissimus Pontifex, quod sic repente aduenisset, in magno stupore & extasi fuit: direxitq. in eius occursum omnes Iudices, fere ad triginta milliaria ab vrbe, ad locum qui vocatur Nouas, vbi eum cum bandora susceperunt.

Nota anno eodem 780. admiratione dignum euentum de inscriptione inuenta in vosossa tunc temporis veteri sepultura, quod cum omnes tam Græci quàm Latini Historici aque

Et dum appropinquasset, fere vno milliario à Romana vrbe, direxit vniuersas scholas militiæ vna cum patronis, simulque & pueris qui ad discendas literas pergebant, deportantes omnes ramos palmarum atque oliuarum, canentes laudes Regis ipsius Francorum, dirigens obuiam illi & venerandas cruces, & signa, sicut mos erat Exarchum aut Patritium suscipiendi. Carolus autẽ Rex vt sacratissimas cruces & signa sibi obuiam aduenisse conspexit, descendens de

equo

equo, ita cum suis optimatibus ad B.Petrum pedester peruenit. Sanctissimus quoq. Pontifex diluculo surgens eodem Sabbato Sancto, cum Clero, & populo Romano ad B.Petrum properauit, ad suscipiendum eundem Francorum Regē, & in gradibus ipsius Apostolicæ aulæ cum cum Clero suo præstolatus est. Qui veniens omnes gradus sigillatim Ecclesiæ B.Petri deosculatus est, & ita vsque ad prænominatum Pontificem peruenit, vbi in atrio super gradus iuxta fores Ecclesiæ astabat. Mutuo itaque se amplectentes, tenuit Christianissimus Rex dexteram manum Pontificis, & ita in eandem venerandam aulam B. Petri Principis Apostolorum ingressi sunt, laudem Deo, & eius excellentæ decantantes vniuersus clerus, & cuncti religiosi Dei famuli, extensa voce acclamantes, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, &c. Sicq. cum eodem Pontifice ipse Francorum Rex, simulq. & omnes Episcopi, Abbates, & Iudices, & vniuersi Franci qui cum eo aduenerant, ad confessionem B. Petri appropinquantes, seseq. proni ibidem prosternentes Deo omnipotenti, & Apostolorum Principi propria reddiderunt vota, glorificantes diuinam omnipotentiam in eo, quod talem per interuentionem Principis Apostolorum eis concesserit victoriam. Expleta verò oratione, obnixe precatus est idem Rex Francorum Pontificem dari sibi licentiam Romam ingrediendi ad sua orationum vota per diuersas Ecclesias persoluendi. Et descendentes ad corpus B.Petri, tam Sanctiss. Papa, quam Excellentiss. Rex cum Iudicibus Romanorum & Francorum, seq. mutuo per sacramenta munientes, eodem Sabbatho ingressi sunt Romam. Et in basilicam Saluatoris in Laterano pariter ingressi, tandiu moratus est ipse Rex cum omnibus suis, quousq. Sancti Baptismatis Sacramentum antedictus Pontifex celebrauit. Finitis verò cœremonijs omnibus, gloriosissimus Rex ipse ad B. Petrum repedauit. Illucescente autem Dominico Sancto, direxit Sanctissimus cunctos Iudices & vniuersa obsequia militiæ ad eundem Regem, & cum magno honore eum suscipientes, deduxerunt ad Ecclesiam S. Dei Genitricis ad Præsepe. Postque missarum solemnia celebrata, perrexit cum Pontifice in Lateranense Patriarchium, illicq. ad mensam Apostolicam simul epulati sunt. Simili modo feria secunda in Ecclesia B.Petri missarum solemnia Pontifex celebrans Deo Omnipotenti, & præfato Carolo Regi laudes reddere fecit. Tertia verò die, vt mos est, in Ecclesia B. Pauli Apostoli missas eidem Regi fecit. At verò quarta feria, egressus prænominatus Pontifex cum suis Iudicibus & Clero, cum Excellentissimo Rege in Ecclesia B.Petri collocutus est, rogans eum, & paterno affectu monens, vt promissionem, quam genitor illius Sanctæ memoriæ Pipinus, & ipse Carolus cum suo garmano Carolomanno, atque omnibus Iudicibus Francorum fecerant B. Petro, & eius Vicario Sanctæ memoriæ Domno Stephano iuniori Papæ, quando in Franciam perrexit pro concedendis diuersis ciuitatibus, ac territorijs istius Italiæ prouinciæ, & contradendis B. Petro, eiusque Vicarijs in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Cumque ipsam promissionem, quæ in Francia, in loco qui vocatur Carisiacus, facta est, sibi relegi fecisset, complacuerunt illi omnia; & eius proceribus, quæ ibidem erant adnexa; & propria voluntate, bono ac libenti animo, aliam donationis promissionem, ad instar anterioris conscribi iussit, per Etherium religiosum, ac prudentissimum Capellanum & Notarium suum, vbi concessit easdem ciuitates, & territoria Beato Petro, easque præfato Pontifici tradi spopondit, per designationem confinium, sicut in eadem donatione continetur, id est, à Lunis, cum insula Corsica, deinde in Surriano, in monte Bardone, id est, in Verceto, deinde in Parma, Regio, Mantua, atque monte Silicis, simulque & vniuersum Exarchatum Rauennatium, sicut antiquitus erat, atque prouincias Venetiarum & Istriam, nec non & cunctum ducatum Spoletanum & Beneuentanum.

afferant. noluimus prætermittere. In longis Thraciæ muris quidam homo fodiens, inuenit arcã lapideam, in qua reperit virum iacentem, & conglutinatas arcæ litteras continentes hæc. Christus nascetur ex Virgine Maria Credo in eum, sub Constantino & Irene Imperatoribus, ò Sol iterum me videbis,

Fa-

Factaque ea donatione, propria sua manu eam corroborauit, & vniuersos Episcopos, Abbates, Duces atque Ghrophones in ea subscribere fecit. Quam prius super altare B. Petri, & postmodum intus in Sancta eius confessione ponentes, tam Rex, quam eius Iudices B. Petro, & eius vicario Sanctiss. Adriano Papæ, sub terribili Sacramento sese omnia conseruaturos, quæ in eadem donatione continentur promittentes, tradiderunt. cuius donationis exemplar per eundem Etherium scriptum, ipse Rex intus super corpus B. Petri subtus Euangelia, quæ ibidem osculantur, pro firmissima cautela, & æternæ nominis sui ac Regni Francorum memoria, proprijs suis manibus posuit. Aliaque eiusdem donationis exempla, per Scriniarium Sanctæ Ecclesiæ descripta eius excellentia secum deportauit, Reuersusque cum suis exercitibus Ticinum, fortiter oppugnans atque obsidens ciuitatem Papiam, dum ira Dei super Longobardos, qui in ea erant grassaretur & sæuiret, vt plures languoribus & mortalitatis clade deficerent, expugnauit, & comprehendit ipsum Desiderium Regem, suæque potestati vniuersum Regnum Longobardorum subiugauit. Et præfatum Desiderium Regem eiusque coniugem secum in Franciam deportauit.

Beatissimus autem Pontifex Adrianus amator Ecclesiarū fecit miræ pulchritudinis vestem ex auro in Ecclesia B. Petri, in qua gemmis expressa erat historia, qualiter B. Petrus à vinculis per Angelum ereptus erat. Ibidemq. ab introitu de rugas vsq. ad confessionem pauimentum vestiuit de argento purissimo, quod pensabat libras centum quinquaginta. Fecit etiam in eadem basilica B. Petri, iuxta ianuas maiores argenteas cortinas miræ magnitudinis de pallijs stauracin seu quadrapolis. Nam & per vniuersos arcus eiusdem basilicæ de pallijs Tyrijs, atque fundatis fecit vela numero sexaginta quinque. Denique fecit farum maiorem in typum Crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas mille trecentas & septuaginta. Et constituit, vt quatuor vicibus in anno accendatur in Natiuitate Domini, in Pascha, in natali Apostolorum, & in natali Pontificis. Itemq. fecit in eadem basilica calicem fundatum argenteum pensantem libras quinque, quem posuit in presbyterio, pro eo, qui perierat temporibus Domni Pauli Papæ. In Ecclesia quoque B. Andreæ Apostoli, iuxta basilicam B. Petri, fecit ciborium ex argento mundissimo pens. lib. 135. Et alias fere omnes Ecclesias Vrbis argento, auro gemmis vestibus preciosis, & fabricis necessarijs atque elegantibus exornauit, & renouauit quæ longum esset enumerare. Vrbis quoque muros, & turres dirutas reædificauit per circuitum sumptu ferè inæstimabili: fundauit monasteria, erexit cultas domos per diuersa loca & fundos coemit vineas atque oliueta, in vsum eorum, & Apostolicæ mensæ; statuens sub validissimis obligationibus, vt centum pauperes omni die in Patriarchio Lateranensi alantur, de prouentibus adhoc ipsum assignatis.

Imperante Leone Isauro fuit in Arabia Iudæus quidam Sarantapechys nomine veneficus ac prastigiator, qui vt odium conceptum aduersus Christianos exsaturaret. Ezidum Regem Arabum adijt spondens illi per artem vaticinandi diuturnum imperium si ex Christianorum templii totiusq. Regni sui finibus sacrosanctas imagines detraheret. Persuasit facile homini secta machometana, qui tam vero Iudais & Arabibus suis exequendam commisit. Impietatis huius fama peruasit breui Christianas prouincias. Et statim in quorundam animis

Idem sanctissimus Præsul, direxit missos suos ad Imperatorem Cōstantinum & matrem eius Irenem, videlicet Petrum Romanæ Ecclesiæ presbyterum, & Petrum religiosum Abbatem sancti Sabæ, quod monasterium appellatur Cellanoua, adhortans Augustos, ad erectionem sacrarum imaginum, qualiter per testimonia scripturarum, & traditionem probabilium patrum, à priscis temporibus vsque hactenus orthodoxè venerātur in sancta Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia. Quam præfati quoque Imperatores venerantes, atque amplectentes Apostolicam epistolam. Concilium in Nicæa congregari fecerunt, trecentorum quinquaginta Episcoporum; qui secundum doctrinam prædicationis Apostolicæ epistolæ nimirum crediderunt. Hi promulgantes censuerunt, & per Synodum vniuersalem definierunt vnanimi assertione, pro honorandis imaginibus erectionem. Quam Synodum dicti missi, in Græco sermone secum detulere,

re, vna cum Imperialibus sacris, manibus propriis subscriptam, eamque Pontifex sanctissimus in Latinam linguam translatari iussit, & in Sacra Bibliotheca pariter recondi dignum ibi orthodoxæ fidei memoriam æternam faciens.

Huius eximij Pontificis anno vigesimo, mense Decemb. 15. Indict. fluuius Tyberis intumescens, à suo egressus alueo per campestria sese dedit, ac præ nimia inundatione portam Flaminiam à fundamentis euertit, & muros in aliquibus transcendit locis, atque vltra basilicam S. Marci euertens porticum quæ vocatur Palatina, & per plateas se extendens vsque ad pontem Antonini ipsumque euertens murum, egressus in suo se iterum vniuit alueo, ita, vt in via Lata amplius supra duas hominis staturas aqua excreuisset, atque ad portam B. Petri vsque ad pontem Miluium aquæ descenderant. Domos itaque euertit, agros desertauit, eradicauit arbusta, segetes deleuit; vnde maxima imminebat tribulatio & fames. Et quia per triduum integrum flumen per ciuitatem quasi per alueum currebat, ideo sanctissimus Pontifex humi prostratus toto illo tempore in orationibus persistebat, & diuina permotus inspiratione, per nauiculas cibos populo mittebat, ne fame necarentur, eo quod minime suis domicilijs exire nequibant præ nimia altitudine aquarum, quæ per plures dies Romam detinuerūt inuasam. Conspiciens igitur muros quos restaurauerat in circuitum vrbis, pluribus in locis aquarum vi in ruinis positos, pluresque turres vsque ad terram dirutas, conuocatis laborantibus de ciuitatibus Tusciæ, Campaniæ, & toto Ecclesiastico patrimonio; sumptu ingenti, & commeatu, restaurauit vniuersa; & portas æreas maiores, miræ magnitudinis, decoratas studiosè, à ciuitate Perusina deducens in Basilicam B. Petri Apostoli, ad turrem compte erexit. Multaque alia tam ad ornatum vrbis, quam ad decorem Ecclesiarum, quæ computari nequeunt vtiliter fecit, semper in eleemosynis pauperum proficiens, & cursum cōsumans, fidemque seruans in vocatione diuina, ad æternam migrauit requiem. Fecitque ordinationes duas per mensem Martium, presbyteros 24. diaconos 7. Episcopos per diuersa loca centum octuaginta quinque. Et sepultus est in basilica B. Petri Apostoli 7. Kal. Ianuar. Indict. 4.

male affectis facile facti huius exemplū & crimen insedit. Leoque Imperator à Iudæis seductus assentiente Constātino Nicolia Episcopo furere in sacras imagines cœpit. Magis filius eius Constantinus Copronymus dictus, eiusque item filius Leo. Donec faustis auspicijs vxor eius Irene cum filio Constantino, conculcatā religionem Catholicam Regiamque vrbem multiplici ictā anathemate, & à cæteris, seiunctam Ecclesiæ partibus, ad rēliqui corporis concordiām reuocaret; directa Sacrā Diuali ad sanctiss. Adrianum Papam vt Concilium generale indiceret & hæresim Iconomachorum condemnaret.

Scripsit Epistolas plurimas; sed ad ipsum Carolum Regem Francorum fere a. 44. quarum argumenta tantum & summaria extant, prout & illarum, quas ad Hispaniæ Episcopos dirigebat. Scripsit quoque ad Constantinum & Irenen Imper. laudans eorum fidem, & sacras imagines venerandas esse demonstrans, postulansque vt eas in Ecclesijs restituant, Pseudosynodi Constantinopolitanæ acta in Concilio generali anathematizent, & patrimonia Romanæ Ecclesiæ reddenda curent. Reprehendit etiam Tarasium, qui sibi Oecumenici nomen arrogauerat, & ex laico repente Constantinopolitanus Patriarcha fuerat creatus. Postremo Caroli Magni magnificentiam erga Romanam Ecclesiam narrat, & legatos commendat.

Scripsit inter alia Adrianus Papa Epitome Canonū Orientalium, quos ad dispositionem Occidentalium Ecclesiarum dedit Regi Francorum Carolo Magno, altero sedis suæ anno.

Scripsit & ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum fidem eius approbans, & monens vt in ea maneat, eamque prædicet, & cum Imperatore de Pseudosynodo damnanda, & de sacris imaginibus restituendis agat. Legatos quoque ad Synodum se misisse significat, eique consensum nullo pacto se præbiturum, nisi imagines restituantur.

Deinde scripsit ad Carolum Regem Francorum refellendo obiectiones contra septimam Synodum Generalem. Atque demum ad Episcopos Galliciæ & Hispaniæ, de errore Elipandi Toletani Archiepiscopi, qui hæresim Nestorianam innouando, docebat Christum Dominum quoad humanitatem esse filium Dei adoptiuum, non autem proprium & naturalem, per quod duas personas in Christo constituebat, vt volebant Nestoriani.

Hac epistola refutat Adrianus errores quatuor librorum quos discipuli Sereni Massiliensis primi Galliarum Iconomachi pro impugnandis imaginibus aduersus Nicænam Synodum septimam conscripserant. & Caro

lo Regi obtulerant. Qui dum eosdem accepisset per Angelbertũ capellanũ suũ Pontifici examinandos transmisit.

Ann. D. 772.

Primum Concilium Vormatiense II.

Tempore Adriani Papæ I. & Caroli Magni Regis Francorum, habitum Anno Christi 772. ob reformationem cleri Gallicani.

Secundum Concilium Bauaricum, apud Dingoluindam.

Similiter ob disciplinæ Ecclesiasticæ instaurationem, anno 22. Tassilonis Ducis Bauariæ, qui præsens aderat, & post Episcopos Constitutiones Synodales manu sua subscripserat.

Ann. D. 775.

Tertium Concilium in Duria,

Carolo Rege contra Saxones pergente, qui prius statum Ecclesiæ pro sua pietate compositum voluit videre quam ad belligerandum contra hostes Christianitatis procedere. Itaq. Episcopos & Abbates conuocauit, & disciplina Ecclesiastica stabilita, Saxones debellauit, qui se Christianos futuros promiserunt, & Sacrum baptizma susceperunt.

Ann. D. 777.

Quartum Concilium Paderbonense,

Ad Saxonum fidem stabiliendam habitum, volente Rege Carolo, vt omnes baptizati iuramento firmarent, se Christianam fidem perpetuo seruaturos, & si qui iuratam promissionem non adimplerent, illi omnium bonorum suorum dispendio priuarentur. Quam constitutionem Synodicam, præter vnum Principẽ Vithichindum nomine, qui cum paucis hac de causa in Normandiam fugerat, omnes receperunt.

Ann. D. 776.

Quintum Concilium, iterum in Villa Duria celebratum,

In causa Saxonum perfidorum; quorum rebellionem Carolus Rex compescere volens, priusquam bellica inchoaret, primo hanc Synodum pro reformandis subditorum moribus, & Sacris Ecclesiæ ritibus congregauit.

A. D. 780.

Sextum Concilium Lippiense,

De sedibus Episcopalibus in Saxonia & Vestphalia erigendis celebratum, in præsentia Caroli Magni; datusque est Episcopus Ecclesiæ Paderbornensi, Osnaburgensi, Salingenstadiensi, & alijs. Saxonesque Idolum suum *Krodo* nominatum, forma senis super piscem stantis, atque rotam vtraque manu tenentis (quem Saturnum esse dixere Latini) depictum, de plano repudiarunt & abdicarunt.

Septimum Concilium Coloniense,

Similiter in præsentia Carolis Regis ob reformationem morum & disciplinæ Ecclesiasticæ celebratum. Anno Christi 782,

Ann. D. 786.

Octauum Concilium Paderbonense II.

In quo status Ecclesiæ Saxonicę dispositus est, suscipientibus baptizma Vidichindo, & Albione Principibus qui toties rebellare consueuerant; iactaque sunt fundamenta Ecclesiæ Mindensis, cui primus præfectus est Episcopus Herimbertus.

Sub id tempus ferè Adrianus Papa collegit Canones LXXII. aduersus falsos accusatores & oppressores Episcoporum & Pontificum, in gratiam Ingelramni Episcopi Mediomatricum Romæ tunc degentis, & communicauit vniuersis Ecclesiarum pastoribus. Quas illustrauit annotationibus suis doctißimis, Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis.

Hic priuilegia varia hominibus offerens primus cœpit tabulas Apostolicas plumbo insignire, vt diplomata diuturniorа forent, priores enim cera tantum vsi fuerunt.

Nonum sub Adriano Papa I. Concilium Nicænum Secundum, Generale Septimum.

A. D. 787. Adriani Papæ 16. Constantini & Irenes Imper an. 8. Mense Maio decima Indict.

Pro veneratione Sacrarum imaginum, à trecentis quinquaginta Episcopis celebratum. Præsidentibus legatis Apostolicæ Sedis Petro Archipresbytero Ecclesiæ S. Petri, et Petro Abbate Sancti Sabæ, in Ecclesia Sanctæ Sophiæ. Interfuerunt cum Tharasio Constentinopolitano, religiosißimi duo monachi, Ioannes ac Thomas, qui Sedium Orientalium locum tenebant: et Senatores aliquot clarißimi ab Imperatoribus missi, Ibi primum condonatum est omnibus ab hæresi resipiscentibus, qui Copronymi Synodo subscripserant: tum qui ab hæreticis Sacerdotio fuerant initiati, permissumque vt (nisi flagitium aliud obesset) suum quisque gradum ac dignitatem retineret. Deinde recitatis Sanctißimorum Patrum sententijs, quibus imaginum venerationem magnopere commendant, sancitum est constantißimis omnium suffragiis, vt in basilicis, alijsque honestioribus locis, Christi Domini, et Sanctorum eius, imagines collocentur, ad memoriam et imitationem virtutum excitandam; atque vt debitis colantur honoribus, cum is cultus ad prototypum referatur, vt sanctorum reliquijs ea, quam par est, veneratio deferatur. Et qui contra senserint, anathematis penam luant. Episcopi verò et clerici deponantur. Deinde Canones XXII. conscripserunt, & ad Romanum Pontificem Adrianum, prout gestum fuerat perscripserunt. Quod ille Apostolicæ sedis inuiolabili iudicio comprobauit, & directa ad Carolum Magnum Imperatorem epistola, a quorundam criminationibus, vt supra attigimus, defendit.

Decimum Concilium Foroiuliense.

A. D. 791. Caroli Regis Francorum An. 23. Adriani Papæ 20.

A Paulino Aquiliensi in causa SS. Trinitatis, & Incarnationis Verbi Diuini congregatum; diuersæ siquidem hæreses tunc Ecclesiam deuastabant. Vna de processione Spiritus S. an is à solo duntaxat Patre, vel à Patre simul & Filio procederet? Altera de Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi, quia Elipandus Toletanus Episcopus in Hispania, & cum eo, quem ipse seduxerat, Felix Vrgelitanus Episcopus asserebant, Dominum nostrum Iesum Christum secundum naturam diuinam dicendum esse Dei filium naturalem, secundum humanitatem verò eundem filium Dei adoptiuum esse nominandum. Quæ doctrina cũ duos Dei filios assereret, aut duas personas in Christo Domino poneret, adeoque Nestorianismum iam diu ante condemnatum resuscitaret, Paulinus recitatione Symbolorum Nicæni & Constantinopolitani eandem solidissimè refutauit, explosit, & condemnauit. Priorem verò controuersiam de Spiritu Sancto antiquitus ab hæreticis motam doctissimè decidit, ostendens Patrem & Filium vnũ esse principium processionis Spiritus Sancti ideoque impium & blasphemum videri, contra sententiam ab vniuersa Ecclesia, temporibus Sancti Leonis Magni receptam, nouos errores concitare.

Demum verò in hac eadem Synodo post tractationem dogmaticarum disputationum absolutam, sanciti sunt 14. Canones, ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes.

Vn-

Vndecimum Concilium, tempore Adriani Papæ, & Caroli Magni Regis Francorum, Ratisponense.


Ann. D. 792. Caroli Regis anno 26.

In quo Felix Vrgelitanus Episcopus, Anno Domini 792. adhibita S. Romanæ Ecclesiæ authoritate, ob hæresim Nestorianam condemnatus est.

Duodecimum Concilium Francofordiense ad Mœnum

Interfuerunt huic Synodo Legati Sedis Apostolicæ, ad insinuandum Acta Concilij Nicæni.

Quo 300. circiter Episcopi Elipandum Toletanum & Felicem Vrgelitanum Episcopos authoritate Sedis Apostolicæ, eorumque hęresim de filio Dei, quæ Feliciana nominatur, re autem Nestoriana erat, condemnarunt: Actaque Nicæni Concilij II. in causa imaginum confirmarunt, in præsentia clementissimi Regis Caroli Magni, qui vna cum libello Synodali, epistolam suam Elipando, cœterisq. orthodoxis in partibus Hispaniæ consacerdotibus, transmisit.





LIBER XIV.



VTATIONES, atque turbas vtriusque Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis hoc libro referemus, tum Imperij Orientalis diminutionem, Occidentalis verò exordia; idque vitas Pontificum recensendo, qui defensione Regum Francorum delectati, Imperialem dignitatem eis authoritate sua contulerunt. Tu lector, rem tantam considerans, in primum velim auctorem bonorum omnium, Deum scilicet Opt. Max. oculos conijcias, (qui non vane aliquando, *Per me Reges regnant, per me Principes imperant*, per Salomonem dixerat) neque id, quod per ministerium hominis factum est, humanitus, & non diuinitus actum esse putes; veram illam Gamalielis in concilio Iudæorum sententiam existimans. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur, si verò ex Deo, non poteritis dissoluere illud.* Quod igitur translatum ante per Constantinum Romanum Imperium in Orientem, reuocatum fuerit per Leonem Pontificem iterum in Occidentem, & ab eo tempore hucusque perseueret, nonnisi diuino consilio id factum esse, vel fieri potuisse, nemo prudens inficias ire poterit. Quis enim negandum putet, concessum Christi Ecclesiæ, quod scimus traditum fuisse Synagogæ? in qua Deus per ministerium Sacerdotum, vt voluit abstulit, & transtulit Regna, nouosque diuinæ ex voluntatis arbitrio Reges instituit. Ita per Samuelem primum Iudæorum Regem Saulem creari voluit, & per eundem ex ipso in Dauidem transferri. Sic & per Eliam, atque Eliseum transmitti Regnum è domo Achab in Iehu, & restitui illud rursum per Ioiadam Sacerdotem. Sic pariter etiam externum Regnum Syriæ disponi voluit per Eliam, dum iussit ei, vt Hazael famulum Regis Benhadad vngeret Regem Syriæ. *Dominatur enim excelsus in Regno hominum*, inquit Daniel, *& cuicumque voluerit dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum.* Si igitur in veteri Testamento per Sacerdotes seruos suos voluit Deus Reges institui, & Regna transferri, quomodo non & id concessum ab eo dixerimus Sacerdotibus nouæ legis? quando *& odor clarior leuitarum*, vt inquit S. Leo, *& dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio Sacerdotum.* Sed videamus vitam ipsam Leonis Papæ, per quem ista translatio Imperij facta est, vt Deus ostendit omnipotentiam suam in illo, eripiendo eum de manibus hostium, & sanando immaniter trucidatum; quem & oculis orbatum, & lingua radicitus præcisum, tanto miraculo videntem reddidisset, & loquentem, vt patebit inferius.

Prou. 8. *Act. 5.* *1. Reg. 9.* *1. Reg. 6.* *3. Reg. 19.* *4. Reg. 9.* *2. Par. 23.* *Daniel. 4.* *Maior gloria Ecclesiæ, quam Synagogæ.* *S. Leo Ser. 8. de Passione Domini.*

LEO III.

Natione Romanus, ex patre Azuppio, sedit annos viginti, menses 5. die 17. Qui à parua ætate in vestiario Patriarchij enutritus, omnemque Ecclesiasticam disciplinam spiritualiter eruditus, tam in Psalterio, quamque in diuinis scripturis pollens, subdiaconus factus, breui in presbyterij honorem prouectus est. Erat enim vir castus, loquela facundus, & animo constans. Vbi verò inueniebat aliquem præcipuum monachum, vel seruum Dei in colloquijs diuinis, & oratione, cum eo penitus vacare

Anno Dom. 795. die 26. Ianuarij eadem qua obierat Adrianus anno Constantini Imper. solius 6. Qui repudiata vxore legitima, & in Monasteriū detrusa aliam duxit Theodotam nomine, eāq; Imperatricem coronauit, Quem dum

non cessabat: verum etiam, & infirmorum prorsus maximus visitator, prædicans illis ex scripturis, vt animas suas eleemosynis redimerent. Pluresque eius prædicationibus annuentes, quicquid ille iubebat, occultè die, noctuque pauperibus pro Christo erogabant, fructum animarum offerentes Deo. Et dum taliter in vestiario degens splenderet, & eius solertissimam curam ipse vestiarius diligeret, ab omnibus amantissimè venerabatur. Quapropter diuina inspiratione, vna concordia, eademque voluntate à cunctis Sacerdotibus, & proceribus, atque populo Romano in natalitio Protomartyris Stephani electus est, & sequenti die in natalitio S. Ioannis Euangelistæ Pontifex in Sede Apostolica ordinatus est. Eratque Ecclesiasticarum rerum defensor, & contrariorum fortissimus expugnator, etsi ipse mitissimus,& tardus ad irascendum; nulli malum pro malo reddens, neque vindictam secundum meritum tribuens,sed pius,probus, & ad miserandũ velox,atque à tempore ordinationis suæ omnibus ex æquo iustitias faciens. Hic rogam clero suo in presbyterio maximè ampliauit. Sarta tecta basilicarum ferè omnium restaurauit, ornamenta, & sacras vestes pretiosissimas comparauit, vasa aurea, argentea, gemmisque pretiosis ornata innumerabilia ferè Ecclesijs donauit, fabricas refecit, & parietinas, sumptumque in eam rem omnino inæstimabilem impendit.

Hic igitur tantus, ac tam venerabilis Præsul; dum omnia in ordine optimo teneret, & ritum Orthodoxæ fidei firmiter obseruaret, cum die quadam more solito in Lætanijs, quæ ab omnibus maiores appellantur, procederet, vbi sibi populus obuiam sacra religione occurrere deberet, vt secundum annuam consuetudinem Missarum solemnia cum Sacerdotibus celebraret, & Omnipotenti Domino pro salute Christiani populi preces funderet; & secundum antiquam consuetudinem à Notario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in Aedibus Diui Georgij Martyris in eius natali ipsa Lætania prædicata fuisset, omnes tùm viri, quàm fœminæ, deuota mente cateruatim in Ecclesia B. Laurentij Martyris, quæ Lucinæ nuncupatur, occurrerunt: vbi cum prædictus venerabilis Pontifex è Patriarchio egressus fuisset, obuiam illi sine planeta Paschalis Primicerius occurrit, & in hypocrisi veniam ab illo petebat, dicens, quia infirmus sum, & ideo sine planeta veni. Tunc Sanctiss. Præsul veniam illi dedit. Similiter & Campulus Sacelarius, in sua dolositate pariter in Pontificali obsequio pergentes, & dulcia verba, quæ non habebant in pectore,cum eo loquentes,in ipso itinere ante Monasterium, SS. Stephani, & Syluestri, quod Domnus Paulus Papa fundauerat, clam armati adstitere,atque repente de loco insidiarum exilientes,ad ipsum Põtificem impiè trucidandum absque vlla reuerentia confluxerunt, Paschale ad caput stante, & Campulo ad pedes,secundum iniquum eorum consilium. Quo facto, omnis qui circa eum erat populus inermis, timore armorum perterritus in fugam conuersus est. Ipsi vero insidiatores vt eum in terram proiecerunt, crudeliter oculos ei eruerunt, & linguam præciderunt, atque ita eum cæcum, & mutum in media platea dimiserunt. Paschalis verò, & Campulus viri impij, & scelerati, ad illius Monasterij Ecclesiam ante confessionem eum trahentes, ante ipsum venerabile altare, iterum oculos eius foderunt,& linguam crudeliter eruentes, plagis eum diuersis, & fustibus cædentes, laniauerunt, & semiuiuum in sanguine volutatum ante ipsum altare dimiserunt. Postmodum verò sub custodia in ipso Monasterio reliquerunt. Timore autem perterriti, ne à Christianis deuotis furto inde auferretur, malignum consilium ineuntes, sicut Hegumenus S. Gerasimi fassus est, fecerunt eum clam de nocte ad se perferri,& inde per Maurum Nepesinum, miserunt eum ad monasterium S. Syluestri, cum pluribus iniquis consentaneis suis malefactoribus. Iterumque eum inde abstrahentes reduxerunt in monasterium S. Gerasimi, & in arcta custodia recluserunt. Sed Deus omnipotens, qui eorum malitiam patienter sustinuit, ipse eorum conatus mirabiliter turbauit. Contigit enim vt cum ab ipsis carnificibus in custodiam mitteretur, Domino adiuuante, atque Beato clauigero Regni cœlorum suffragante, visum mirabiliter receperit, & lingua ei ad loquendum restituta fuerit.

Tharasius Patriarcha pro tanto adulterio non excommunicaret, ipse piorum cõsortio habitus est indignus. Qui verò cum Theodoro Studita monacho adulterum Imperatorẽ redarguerãt, in exilium ablegati fuerunt. Quibus auxiliabatur mater Imperatoris Irene eo, quod adulterũ confunderent, præcipuè Plato Sanctiss. Abbas cuius Monachos maximè Constantinus persequebatur atrociter eos flagellans, vt carnes passim dissecarẽtur, & sanguinis riui diffluerẽt. Quapropter Irene mater iussit eum capere, & oculis priuare, qui cum oculis orbatus esset præ tristitia, & dolore vitam finiuit, & Imperium rursum in matrem est deuolutum. Et tunc obtenebratus erat Sol per dies septẽdecim, & non dedit radios suos, ita vt errarent naues maris, omnesq; dicerent, quod propter obcœcationem Imperatoris Sol obscuratus radios suos retraxerit. Interea Nicephorus Tyrãnus deturbata è solio Irene Augusta, atque in ordinẽ redacta Imperium inuasit Anno 802. qui fauebat Iconoclastis hæreticis, atq; Manichæis deridebat diuina. Ecclesias, & Clerũ tributis, & angarijs diuersis aggrauabat, & Romani Pontificis cõmunionem auersabatur. Cumq; semel ad suburbana Chalcedonis exisset equumq; mansuetissimum ascendisset, hic ipsũ ex Dei prouidentia eijciens pedem eius contriuit. Vnde mox Bardanes Patricius, & Prætor Orientaliũ appellatus est Imperator ab omnibus, qui multum renitens fugit, & abscondidit se, atque postea à Nicephoro vltro veniã petijt, & monachũ se fecit. Quem tamen Tyrãnus oculis priuauit,

Et

Et vt ostenderet Omnipotens super famulum suum solitam misericordiã, & protectionem excitauit corda fidelium timentium se, Albini præsertim Cubicularij, qui cum alijs deuotis veniens, ex illo carcere eum eduxit, & ad basilicam B. Petri Apostoli, nocte eadem perduxit. Vbi omnes videntes mirabilia Dei, qui ita innocentem seruum suum eruit de manibus inimicorum, & sanauit insperate, glorificauerunt Deum dicentes cum Psalte. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, & non deserit sperantes in se. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo?* Sed quantum gaudium habuerunt pij homines ex incolumitate præfati Pontificis Sanctissimi, tantum mœrorem, & tristitiam senserunt sceleratores postquam inaudiuerunt eum videntem, & loquentem. Nescientes igitur quid agere deberent, & in periculo se esse existimantes, quærebant semetipsos interficere; domumque Albini depredantes, destruxerunt eam vsque ad fundamenta: & in ipsam B. Petri Apostoli aulam impetum facere parabant, vt præfatum Antistitem omnino occiderent; sed interim Vvinichis gloriosus Dux Spoletanus cum suo exercitu superuenit, & cum Summum Pontificem sanum, & incolumem, videntemq; ac loquentem conspexisset, venerabiliter eum recipiens Spoletum deduxit, glorificans, & laudans Deum, qui per talia mirabilia eum clarificauit. Quo audito diuersæ ciuitates Romanorum fideles ad eum, pariter cum suis Episcopis concurrerunt ex quibus nonnullis secum assumptis, & Clericis Romanis ad se aduocatis ad Christianissimum Regem Francorum, & Longobardorum, atque Patritium Romanorum, Carolum Magnum, profectus est. Qui vt audiuit Pontificem ad se venire, misit ei obuiam Hildiualdum Archiepiscopum, & Capellanum, & Ascharium Comitem. Et postmodum propriũ filium suum Pipinum Regem Italiæ, cum nonnullis Proceribus suis. Ac tandem ipse obuiauit cum numeroso comitatu suo: & sicut Vicarium B. Petri Apostoli venerabiliter, & honorificè, cum hymnis, & canticis spiritualibus eum suscepit, & vicissim se amplectentes, cum lachrymis osculati sunt. Et prædicto Pontifice, *Gloria in excelsis Deo*, inchoante, & cuncto clero suscipiente, oratio super vniuerso populo data est. Tunc pijssimus Rex Pontificem conspiciens, gratias Deo retulit, qui tam magna mirabilia super famulum suum, per suffragia Principum Apostolorum operatus est, & ad nihilum conatus iniquorum virorum deduxit. Dumque eum in magno honore per aliquantum temporis apud se habuisset, operatores iniquitatis audientes ista, post dira incendia, & populationes, quæ in possessionibus Ecclesiæ Romanæ gesserunt, moliti sunt falsa aduersus Sãctis. Pontificem imponere crimina, & post eum ad prædictum mittere Regem, quod probare nequaquam potuerunt. Interim dum ibi Pontifex moraretur ex omnibus partibus Episcopi, & Archiepiscopi ad eum concurrebant, qui cum cõsilio pijssimi Regis statuerunt eum reducere in suam Apostolicam Sedem. Et cum deducerent, per vnam quamque ciuitatem honore eum populi fideles prosequebantur vsque Romam, tanquam ipsum Apostolum suscipientes. Sed & Romani cum gaudio recipientes suum pastorem, omnes generaliter, in vigilia Beati Andreæ Apostoli, tàm Clerici, quàm Senatus & militia, vniuersusque populus Romanus, cum Sanctimonialibus, & Diaconissis, ac nobilissimis matronis; simul etiam & cunctæ Scholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Saxonum, atque Longobardorum, ad pontem Miluium, cum signis, & bandis, & canticis spiritualibus processerunt, & in Ecclesiam B. Petri Apostoli eum deduxerunt, vbi & missarum solemnia celebrauit. Et omnes communiter corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi fideliter participati sunt. Et altera die secundum antiquam consuetudinem, natali B. Andreæ Apostoli celebrans, in Vrbem magno cum gaudio, & lætitia in Patriarchium Lateranense introiuit. Et post aliquantos dies cum Regijs missis, cum eo venerunt in Pontificale obsequium, videlicet Hildeualdo, & Arno Reuerendissimis Archiepiscopis; Cuniberto, Berahardo, Hattone, & Tesse sanctissimis Episcopis: Helmigotho, Rothegario, & Germano gloriosis Comitibus, residentibus in triclinio ipsius Domni Leonis Papæ, per

Nota, quòd defuncto Carolo Imperatore sub initiũ Ludouici rursũ facinorosi homines in Pontificem sanctiss. insurrexerant, vitaque illius graues insidias struxerant. Quod cum Põtifex cognouisset, & in delinquentes lege agi præcepisset, magna seditio Romæ concitata fuit. Postq; plurimas strages depredationes, & incendia, tot tãtaq; mala subsecuta fuerũt, vt opus fuerit Ludouico Imper. Bernardum Pipini fratris filium Regẽ Italiæ in Vrbem ablegare qui vix seditionem illã sedauit, per Viuigisum Ducẽ Spoletanum. Romani siquidem decumbente Leone Papa collecta manu omnia prædia, quæ in singularum ciuitatum ditionibus nouiter extruxerat, primum diripuerũt, postea immisso igne cremarunt, quæque sibi erepta quærebãtur Romæ, violenter auferre voluerunt. Sed prohibuit Rex. Bernardus.

Postquam iam Carolum Regem coronasset in Imperatorem Leo Papa, iterũ iuerat ad eum in Germaniam, & Aquisgrani in Palatio dedicauit Ecclesiam B. V. Mariæ donans eam multis indulgentiis, idque anno quarto Imperii illius. Multaq; alia templa, altaria, atq; capellas per Alemãniam, & Galliam consecrauit, & S. Sunibertũ innumeris miraculis clarũ in Beatorum cathalogum retulit, Imperatorq; ipse deinde legẽ edidit ab Episcopis in Concilio comprobatam, vt lectiones in Ecclesia distinctè legantur, & vnicuique festinati ex sacris Patribus cõuenientes legendæ conscriberentur: vt secundum ordinẽ, & morem Romanæ Ecclesiæ cantus vbiq; fieret in Ecclesijs, vt studium Arithme-

vnam, & amplius hebdomadam inquirebant ipsos nefandissimos malefactores, cur tantam malitiam aduersus ipsum Pontificem commisissent; & tum Paschalis, quàm Campulus cum sequacibus suis, nihil habuerunt aduersus eum, quod dicerent.

Tunc illos comprehendentes prædicti Missi magni Regis, miserunt eos in Franciam: Et post modicum tempus ipse Rex in Vrbem veniens, dum in Basilica B.Petri cum magno honore exceptus fuisset, fecit ibidem congregari Episcopos, Archiepiscopos, Abbates, & omnem nobilitatem Francorum, atque Romanorum, & sedentes pariter tam Rex, quam beatiss. Pontifex cum omnibus Episcopis, stantibus autem Abbatibus, & Sacerdotibus, & omnibus Optimatibus, iussit vt crimina, quæ aduersus almum Pontificem dicta fuerant examinarent. Quod vniuersi Episcopi, & Clerus audientes vnanimiter dixerunt. *Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum Dei iudicare non audemus, nam ab ipsa nos omnes iudicamur, ipsa autem quemadmodum antiquus mos est à nemine iudicatur; sed sicut ipse Summus Pontifex censuerit canonicè obediemus*. Venerabilis verò Præsul inquit. Prædecessorum meorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purgare paratus sum. Alia itaque die in eadem Ecclesia B. Petri Apostoli, cum omnes adessent Episcopi, & Proceres tam Romani, quam Francorum, amplectens venerabilis Pontifex Sancta Christi Euangelia coram omnibus, ascendit in ambonem, & sub iureiurando clara voce dixit: *Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt Romani, qui iniquè me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco*. Et hoc peracto omnes Episcopi, & Clerus Lætania facta laudes dederunt Deo, atque Genitrici Dei Mariæ semper Virgini, B. Petro Principi Apostolorum, & omnibus Sanctis.

Adueniente verò die natali Domini Nostri IESV CHRISTI, in eadem Basilica B.Petri, omnes similiter congregati sunt, & venerabilis Pontifex manibus suis preciosissima corona coronauit Carolum Regem, & Imperatorem Romanorum: Et vniuersi Romani videntes tantam illius deuotionem erga Sanctam Romanam Ecclesiam, & Vicarium Christi vnanimiter altisona voce exclamarũt: *Carolo pijssimo Augusto à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatori, vita, & victoria*. Tunc Sanctissimus Pontifex vnxit eum oleo Sancto ante confessionem Beati Apostoli, & ab omnibus dictum est ter: *Constitutus est Imperator Romanorum*. Deinde vnxit filium eius in Regem. Et missa peracta obtulit ei Serenissimus Dominus Imperator, mensam argenteam cum pedibus suis pensan. libras. . . . Sed & in confessione eiusdem Dei Apostoli obtulit vna cum præcellentissimo filio suo Rege, & filiabus, diuersa vasa ex auro purissimo in ministeriũ ipsius mensæ pens. lib. . . . . Sed & coronam auream cum gemmis maioribus, quæ pendet super altare, pensantem libras quinquaginta quinque. Et patenam auream maiorem cum gemmis diuersis pens. lib. triginta. Et calicem maiorem cum gemmis, & ansis duabus pens. lib. 58. Item calicem maiorem fundatum cum scyphone pens. lib. 36. Imò & alium calicem maiorem fundatum pens. lib. 37. Obtulit & super sacratissimum altare B.Petri mensam argenteam minorem, cum pedibus suis pens. lib. 55. cum diuersis vasis argenteis, miræ magnitudinis, quæ ad vsum ipsius mensæ pertinent.

Item in Basilica Saluatoris, quam Constantinianam vocant, obtulit crucem cum gemmis hyacinthinis, quam almificus Pontifex in Lætania præcedere constituit, secundum petitionem ipsius pijssimi Imperatoris. Imò & altare cum columnis argenteis, & cyborio. Verumetiam & Euangelium ex auro mundissimo gemmis ornatum. Et in Basilica Beatæ Dei Genitricis ad Præsepe, obtulit sicla argentea maiora pens. lib. . . . .

Postmodum verò cum deducti fuissent iniquissimi illi malefactores, Paschalis & Campulo cum sequacibus suis in præsentiam pijssimi Imperatoris, circumstantibus nobilissimis Francis, & Romanis, & exprobrantibus illis mala ipsorum consilia, & operationes; increpabat Campulus Paschalem, quod eum in tale periculũ conie-

rices, Musices, Medicinam, aliarumque bonarum artium in monasteriis, & Episcopiis excitarẽtur. Vt Clerici secundũ Canones viuerent, vt superfluitas circa altaria non sit, &c. Vno verbo Imperator iste sicut armis ita, & religione & doctrina magnus fuit. Et in Ecclesia Dei legendi, atque psallendi disciplinã diligentissima emẽdauit. Eginhardus in vita sua.

Pridie quam Carolus Romam veniret Leo Papa occurrit ei apud Numentum, & post cœnam qua simul refecti sũt redijt ad Vrbem. Postero autem die missis obuiam Romanæ vrbis vexillis, ordinatis etiam, atque dispositis per cõgrua loca tam peregrinorum, quam ciuium turmis qui venienti laudes dicerent, ipse Leo cum clero, & Episcopis equo descendentem, & gradus ascẽdentem suscepit. & in basilicã B. Petri psallentibus cunctis introduxit. 8 Kal. Decembris, Anno Domini 800.

Indignabãtur valdè Constantinopolitani Imperatores, quod Carolus Imperialem dignitatẽ suscepisset. Sed cum eum deijcere nõ possent, amicitiam postea ipsius, & societatem per Legatos expetierunt, Nicephorus nimirũ Michael, & Leo. Cumq; rediẽs ab vrbe post coronationẽ Spoletum peruenisset, pridie Kal. Maij hora noctis secunda terræmotus maximus factus est, quo tota Italia concussa erat, vt multæ ædes, templaq; corruerẽt. Rauennam verò venienti nunciatũ est Legatos Aaron Regis Persarum ad eũ venire, qui inter alia munera elephãtea ei miserat.

Cum capitis sentẽtia pronũciata fuisset in malefactores Regino scribit ipsum

conieciſſet; ſimiliter & cæteri, vnus alterum condemnans manifeſtabant ſuos ipſorum reatus. Quos dum tam crudeles, & iniquos pijſſimus Imperator cognouiſſet, miſit eos in exilium in partes Franciæ. Præfatus verò Sanctiſs. Pontifex, totus erat in ornandis Eccleſijs Vrbis auro, argento, veſtibus precioſis, marmoribus, & picturis muſiuis. Similiter & in circumiacentibus ciuitatibus. Conſtituitq; vt ante tres dies Aſcenſionis Domini Lætaniæ celebrarentur. Fecitq; ordinationes tres per menſem Martium, presbyteros 30. diaconos 11. Epiſcopos verò 126. ſepultus in baſilica B. Petri. Et ceſſauit Epiſcopatus dies decem.

Leonem exoraſſe pro ſuis perſecutoribus, ne quid detrimenti in ipſorum corporũ membris paterētur. Interea Patriarcha Hieroſolymorũ ſub Sarracenorum iugo gemens per ſuũ monachũ miſit ad Carolum Imp. ſacroſancti ſepulchri Redemptoris noſtri claues, quem Carolus dimittens Zachariã presbyterum illi adiunxit, qui dona ad loca illa ſancta deferret. Poſtea vero pro reſtauratione Eccleſiarum Hieroſolymorum collectã more maiorum indixit.

Scripſit Epiſtolas tres. Vnam ad Kemulſum Regem Merciorum, de rebus Anglicanis. Alteram ad Carolum Magnum, de priuilegio Capellæ in Eresburg, & tertiam ad Richolphum III. Archiepiſcopum Moguntinenſem.

Anno Dom. 800. Leonis Papa anno 5

Primum Concilium temporibus Leonis Papæ III. Romanum, in cauſa ipſius Leonis congregatum, in præſentia Caroli Magni, qui eo ſe conſulto contulerat, vt Eccleſiam illam impiorum factionibus perturbatam in priſtinam ſecuritatem reſtitueret. Igitur Pontifex præſentes Epiſcopos ſuæ cauſæ criminumq; ſibi obiectorum iudices eſſe mandauit; quamquam Apoſtolicam Sedem ab aliorum iudicio exemptam eſſe non ignoraret. Cumque nemo inueniretur, qui obiecta crimina probare poſſet, ipſe Pontifex in baſilica B. Petri, ferens ſacrum Euangeliũ ambonem conſcendit, & ab obiectis criminibus per inuocationem diuini Numinis ſe canonicè, & legitimè purgauit, inquiens. *Nota res eſt fratres chariſſimi, malos aduerſum me homines inſurrexiſſe, meq; ac vitam meam grauiſſimis criminibus infamaſſe. Cuius rei cognoſcendæ gratia clementiſſimus hic, ac Sereniſſimus Rex Carolus vnà cum Sacerdotibus, ac Principibus ſuis in hanc Vrbem ſe contulit. Quamobrem ego Leo Pontifex S.R.E. à nemine iudicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus purgo me præſentibus vobis coram Deo, & Angelis eius, qui conſcientiam nouit, & B. Petro Principe Apoſtolorum, in cuius conſpectu conſiſtimus; neque ſceleratas res quas mihi obijciunt perpetraſſe, neque perpetrari iuſſiſſe, Deum teſtans, in cuius iudicium venturi ſumus, & in cuius conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio, non legibus vllis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in ſancta Eccleſia ſucceſſoribus meis, & fratribus Coepiſcopis imponere cupiens, ſed vt certius iniquis vos ſuſpicionibus liberem.*

Formula hæc purgationis, qua vſus eſt Leo Pontifex extat in libro ſacrorũ rituum, quem vetuſtas Romanum Ordinem appellat.

Secundum Concilium Altinenſe, iuſſu Paulini Aquilienſis Epiſcopi congregatũ, qui Epiſtola Synodali ad Carolum Magnum ſcripta, petijt ab eo Venetos iuſta vindicta puniri, quod Ioannes Dux Venetus aſſumpto filio ſuo Mauritio, claſſe ingenti Gradum veniens oppidum hoſtiliter deprædatus fuerit, poſtq; immenſam tyrannidem in Sacerdotibus exhibitam, Ioannem Gradenſem Patriarcham è turri celſiſſima præcipitem dederit, & interfecerit.

Anno Dom. 802. Altinum eſt oppidũ prouinciæ Aquileienſis.

Tertium Concilium Conſtantinopolitanum, in cauſa Ioſephi Sacerdotis cuiuſdam à Nicephoro Patriarcha celebratum. Tharaſius enim anteceſſor Nicephori hunc Ioſephum ſacerdotio amouerat, quod Conſtantinum IV. Imp. cum Theodote copulaſſet, qui legitimam vxorem in monaſterium intruſerat. Nicephorus igitur inuitus ſacerdotium reddidit Ioſepho, vt obſequeretur Imperatori. Theodorus itaque Studita, Synodum hæreticorum, & adulterantium hoc Concilium appellat, quia Epiſcopi in eo congregati adulterium Conſtantini cum Theodote comprobauerant, & Ioſephum adulterij copulatorem amplexi fuerant.

Anno Dom. 806.

Theodorus Studita Epiſt. 25. & 30. ad Leonem Papã III.

Quartum Concilium Conſtantinopol. II. contra Theodorum Studitam, & Platonem ſanctiſſimos Archimandritas eorumq; ſocios congregatum, in quo Epiſcopi congregati Platonẽ catenis vinctum ſibi ab Imperatore adultero præſentatum anathematis ſententia perſtrinxerunt, quod eorum errores, & Conſtantini Imp. coniugium cum Theodote, viuente adhuc legitima coniuge auerſaretur. Theodorus in epiſtola ad Euprepianum proditorum carnificinam, & Mœchoſynodum, iſtud conciliabulum nominat.

Anno Dom. 809. Leonis 14. Caroli 9. Niceph. Imp. 8.

Quintum Concilium Aquiſgranenſe, in præſentia Caroli Imp. celebratum, ratione

Anno Dom. 809.

Carolus Imp. conuentu Optimatum Galliæ in villa Theodonis celebrato condidit testamentum in tres filios regnum diuidens Carolo Germaniam, Pipino Italiam, & Ludouico Galliam assignans. ipse vero Aquisgrani diem vltimum præstolari decreuerat.

tione processionis Spiritus S. An scilicet Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum, hac voce, *Filioq;* bene auctum esset, & in Ecclesia cum huiusmodi additamento bene cantaretur. Quam quæstionem Ioannes quidam monachus Hierosolymis primò concitauit. Cuius definiendæ causa Bernarius Episcopus Vormatiensis, atque Iesse Episcopus, & Adelhardus Abbas monasterij Corbeiæ à Synodo ad Leonem Papam missi sunt. Quia antea S. Leo Magnus hanc particulam Filioque addere Symbolo, Gallis & Hispanis permiserat. Responsum Legatis dedit Leo Papa III. bene posse addi hanc particulam Filioque, ne tamen absque licentia Sedis Apostolicæ id prouinciales Episcopi facere auderent, consuetudinem cantandi Symboli (quod in Ecclesia Romana nondum tunc temporis cantabatur) intermittere iussit. In basilica verò S. Petri statim ad confessionem eiusdem Principis Apostolorum, duas tabulas argenteas magnas affigi iussit, in quarum altera Symbolum Latinè scriptum legeretur, in altera verò Græce exaratum absque additamento, *Filioque*. Quando autem, & qua occasione illa verba, *Filioque* auctoritate Romani Pontificis in Symbolum in Romana Ecclesia sint recepta, alia poscente causa, suo loco dicturi sumus.

Anno Domini 813. 6. Idus Maias in basilica S. Stephani Protomartyris.

Sextum Concilium Arelatense IV. super statu Ecclesiarum corrigendo congregatum, & Constitutiones in eo 26. conscriptæ Carolo Imp. ad legendum exhibitæ. Quarum exemplaria Ecclesijs distributæ, (& vnum in archiuo palatij Aquisgranensis repositum est) vt pastores populum pia prædicatione instruant, moribus sanctis exornent, ac beatæ vitæ exemplis ædificent.

Anno Dom. 813.

Septimum Concilium Turonense III. sub Carolo Magno celebratum, curauit vt Sacerdotes, & Antistites bene operando, sibi commissos greges, verbis & exẽplis instruendo regerent. Et in eum finem. 51. Constitutiones conscripserunt.

Anno Dom. 813. Quas suo tempore Carolus pene extinctas bonas literas reuocauerat, ea sub Ludouico eius filio suum vigorem amiserant, quod Mœcenatem Carolum amisissent.

Octauum Concilium Cabilonense. II. in quo constituti sunt Canones ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes. 67. maximè autem de studiorum reformatione, & bonarum artium restitutione actum est. Pijssimus siquidem Imperator Carolus Magnus, pro animi sui magnitudine constituit in singulis monasterijs, & Episcopijs scholas esse, vbi ingenuorum, & seruorum filij Grammaticam, Musicam, & Arithmeticam docerentur.

Anno Dom. 813: die 9. Iunij.

Nonum Concilium Moguntiacum. I. sub Richolpho Archiepiscopo celebratum, in monasterio S. Albani, in quo plura vtiliter, pie, ac sanctè Capitulis. 56. constituta fuerunt, quæ ad reformationem disciplinæ Ecclesiasticæ spectabant.

Anno Dom. 813. Rex Francorum ab Archiepiscopo Rhemensi vngitur, & consecratur.

Decimum Concilium Rhemense. I. ordinante Vulfario eiusdem sanctæ Sedis Archiepiscopo celebratum residentibus quamplurimis Patribus, & Fratribus, à quibus 44. Capitula conscripta sunt, de fidei ratione, atque Dei Ecclesiæ honore, rectorumque ipsius, ac ministrorum dispositione, Regisq; fidelitate, atque totius Regni vtilitate.

Anno Dom. 814. Nicephorus Patriarcha Constantinopol. orthodoxus iussu Leonis Armeni Imper. Iconomachi sede motus, & in exilium relegatus fuit.

Vndecimum Conciliabulum Constantinopolitanum. III. quo Iconoclastæ hæretici Nicænam II. Synodum vniuersalem condemnarunt, Sanctosq; patres sub anathemate reiecerunt, & pseudoseptimam Synodum Constantinopolitanam confirmarunt. Orthodoxos Episcopos partim in terram deiectos pedibus conculcarunt, partim perposticum eijciendos è consessu curarunt. Alios, præsertim monachorum Egumenos, & duces in carceres sordidos (ac inter eos virum sanctissimum Nicetam) coniecerunt; alios in exilium ablegarunt.

Anno Dom 814. Et hoc anno Carolus Magnus obijt 6. Kal. Februarij ætatis suæ 72.

Duodecimum Concilium apud Theodonis villam, à triginta duobus Galliæ Episcopis, aduersus percussores clericorum congregatum. Occasione Ioannis Episcopi in Vasconia crudeliter à quibusdam tyrannis interfectum. Quæque illi in congregatione sua statuerunt in calumniatores, & oppressores Cleri, id totum Carolus Imp. & Ludouicus eius filius cum Primis Galliæ collaudarunt, & subscripserunt.

Anno Dom. 814.

Vltimum Concilium sub Leone III. Nouiomense, regnante Ludouico filio Caroli congregatum, ratione terminorum duorum Episcopatuum Gallicanorum Suessonensis, & Nouiomensis, quos ibi determinarunt vnanimi consensu.

STE-

STEPHANVS V.

Natione Romanus, ex patre Marino, sedit menses septem, dies tres. Hic à primæua ætate in Patriarchio Lateranensi sub sanctæ memoriæ Domno Adriano Papa nutritus, atque educatus, nobili prosapia, atque clarissimo genere ortus, adhuc in parua ætate ad discendam sacram scientiam studiosius vigilabat. Defuncto verò Adriano Papa, in locum eius Domnus Leo III. successit, qui prædictum Domnum Stephanum conspiciens bonæ conuersationis, atque humilitatis, eum ad Subdiaconatus ordinem promouit. Quem magis, ac magis spiritualibus studijs vacare videns, Domino annuente, ad Diaconatus culmen eum prouexit. Et ex tunc multipliciter spiritualibus pollens studijs, maximè verò Euangelica prædicatione, & in omnibus bonis operibus efficax probatus esset, factum est, vt cum migraret è vita præfatus Domnus Papa Leo, illicò feruentissimo affectu à populo Romano deligeretur ipse præcipuus, & sanctissimus vir Stephanus ad sacri Pontificatus culmen. Qui omnes vno affectu, pariq; amore eum ad Ecclesiam B. Petri Apostoli perducentes, Dei ordinante prouidentia, Papa Vrbis est consecratus. In Pontificatu ergo positus, pro confirmanda pace, & vnitate sanctæ Dei Ecclesiæ, Franciæ arripuit iter ad pijssimum, & serenissimum Imperatorem Ludouicum. Qui audito Papæ aduentu, Benrhardum nepotem Regem Italiæ, Pipini filium obuiam ei misit. Eoque appropinquante, alios missos, qui eum cum debito honore perducerent, direxit: ipse autem aduentum eius Rhemis sustinere statuit. Cui etiam obuiam Hildebaldum, Archicapellanum sacri Palatij, Theodulphum Episcopum Aurelianensem, Ioannẽ Attrebatensem, aliorumque ministrorum Ecclesiæ copiam procedere iussit, infulis indutos sacerdotalibus. Ad vltimum Imperator milliarium equo excepit, & Ecclesiam intrantem manu propria sustentauit, præcinentibus pro tanta lætitia, & exultatione varijs Ecclesiæ Ordinibus. *Te Deum laudamus*. Et reliqua. Quo hymno finito, laudes Imperatori debitas clerus Romanus conclamauit, quarum finem Domnus Apostolicus oratione compleuit. His expletis intra domus penetralia concessum est: expositisq; causis sui aduentus, & benedictione panis, & vini simul participata, Imperator ad ciuitatem redijt, Domnus Apostolicus ibidem remansit.

Anno Dom. 816. 22. Mens Iunij. In ordine Papa centesimus. Qui non exactis mensibus duobus post consecrationem suam, quam maximis itineribus ad Ludouicum Regem contendit. Fecitq; decretum, vt Pōtifex electus præsentibus Legatis Imperialibus consecretur. Nam & Leo Papa antecessor suus dederat Imperatori Carolo potestatem eligendi, & confirmandi Pontificem, vt refert Gratian: Dist. 63. in Synodo Dist. 33. Canon. 28. Quia sancta.

Postea Pontifex honorauit eum magnis muneribus, & multis, & Reginam Irmingardam, & omnes Optimates, & ministros eius. Et proximo die Dominico in Ecclesia, ante Missarum solemnia, coram Clero, & omni populo consecrauit, & vnxit eum in Imperatorem, & coronam aureā miræ pulchritudinis, gemmis preciosissimis ornatam, quam secum apportauerat, posuit super caput eius, & Irmingardam Reginam appellauit Augustam, & posuit similiter coronam auream super caput eius. Et quamdiu ibi erat beatissimus Papa, quotidie colloquium habebat de vtilitate sanctæ Dei Ecclesiæ; qui statim vt Pontificatum suscepit, iussit omnem populum Romanum fidelitatem cum iuramento promittere Ludouico, vt tumultuari solitos Romanos in Romanum Pontificem, (vt vidimus in Leone) eo saltem modo coercere posset. Deinde Dominus Imperator honorauit Pontificem innumeris donis, triplo, & amplius, quam susceperat ab eo: & omnia quæcunque poscebat ab eo Pontifex clementissimè indulsit.

Idem vero sacer Antistes, exemplum sumens Redemptoris nostri, qui de cælis descendens, dignatus est nos exules de captiuitate diabolica eripere, pessimos illos malefactores, qui in Francia exulabant propter scelera sua, quæ in sanctam Ecclesiam Romanam, & Domnum Papam Leonem commiserant, omnes pro pietate Ecclesiæ secum Romam reduxit; quem Legati Imperatoris honoris ergo vbique comitabantur, quibus præcepit in itinere toto honestum exhibere seruitium.

Post quam Romā venit, multa donaria in auro, argēto, & suppellectile preciosa diuersis Ecclesijs, sed precipuè basilicæ Diui Petri donauit. Et tertio mense nondum exacto, circiter octauū Kal. Febr. diem obijt. Sepultus in basilica S. Petri, cum mense Decembri ordinationem habuisset, in qua creauit presbyteros 8, diaco-

Interea temporis in Oriente Leo Armenus Imp. Pardi Patritij filius, Iconoclasta hæreticus in Orthodoxos magna persecutione grassabatur. Alios acerbissimo carcere enecans, alios in exiliū ablegans, & alios diuersis supplicijs afficiens. Quibus dum nonnulli perterriti, qui videbantur esse columnæ corruissēt, erexerunt vexillum Confessionis fœminæ sexu fragiles. Moniales siquidē triginta vnius Monasterij ea de causa, quod nimirum communionem hæreticam recipere noluissent, & carcerem, & verbera fortiter pertulerūt. Et inter eas Regina Maria adulteri Constātini IV. in Monasterium intrusa, ob cultum Sanctarū imaginum exilium passa est.

diaconos 4. Epiſcopos verò per diuerſa loca 5. Et ceſſauit Epiſcopatus dies duos.

Anno Dom. 816.

Concilium Aquiſgranenſe I. celebratum tempore Stephani Papæ Quinti, & Ludouici Imperatoris I. anno tertio, in quo multa congrua,& neceſſaria ex ſanctis Patribus, & Canonibus antiquis in vnum volumen congeſta ad correctionẽ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & doctrinam ſimplicium Clericorum, & Monachorum.

Anno Domini 817. quinto Kal. Feb. Ludouici Occid. Leonis Armeni Oriental. Imperatorum anno 4. Inuitus, ac renitens Paſchalis creatus ſtatim de ſui re luctantis electione Ludouicum certiorem reddidit.

Qui poſt obitum Irmingardis Imperatricis de nobiliſsima ſtirpe Bauarorum duxit vxorem Iudith am, filiã Huelphi Comitis, eamq; Auguſta titulo condecorauit.

In Oriente verò Iconoclaſtæ Orthodoxos grauiſsime perſequuntur. Et quibus martyrij gloriã inuidebant, grauiſsimis carcerũ, & exiliorum pœnis, & ærumnis affligebant. Hanc rem Theodorus Studita clariſſimus Confeſſor ſcriptis ad Paſchalem literis, miſsiſq; ad eundem binis legationibus ediſſerit. Simulq; auxilium, ac defenſionem aduerſus eoſdẽ implorat. Quas cum ille vna cũ legatis beneuole accepiſſet, ad Theodorum alioſq; Orientales, epiſtolas conſolationis pleniſſimas reddidit.

Occiſo autem Leone Armeno, ſurrogatus eſt Michael Balbus qui cum edicto omnes exules Orthodoxos reuocaſſet ſeptẽnali perſecutione ſublata, pacem Eccleſiæ reddidit optatiſſimam Licet & ipſe impius fuerit, poſtq; obitũ Theodori Studitæ, exemplo Ioannis Baptiſtæ peccãtes impauide mouẽtis ſecurior redditus Euphroſynam monialem duxit in vxorem.

Nota, quod Paulus Sfondratus Cardinalis presbyter tit. S. Cæciliæ, exornans

PASCHALIS I.

Natione Romanus, ex patre Bonoſo, ſedit annos 7. menſes 3. dies 17. Qui à prima ætate ſua diuino cultui mancipatus, atque in ſacroſanctæ Eccleſiæ Patriarchio ſtudijs diuinæ ſcripturæ imbutus, tam in Pſalterio, quamque in ſacris paginis, noui, ac veteris Teſtamenti ſpecialiter eruditus. Elegans, atque in omni bonitate perfectus, Subdiaconus primo factus; poſtmodum diaconus, ad extremum presbyter honorificè conſecratus. Erat vir ſanctus, caſtus, pius, innocens, deuotus, & nimis hilariter iucundeq; in eleemoſynas pauperum, cuncta quæ habebat diſtribuens. Is in colloquijs diuinis frequentiùs cum religioſis, ac ſanctis Monachis ſedula meditatione die, noctuq; inſiſtebat, & in orationibus, vigilijs, quotidianiſq; ieiunijs humiliter ſe exercebat. Quem dum prædeceſſor eius Domnus Leo Papa tantis ſtudijs peruigilem, & religionis deuotum conſpexiſſet, tunc ei monaſterium S. Stephani Protomartyris, iuxta baſilicam B. Petri, ad regendum commiſit. Vbi ille exemplo pietatis, & doctrinæ omnibus prælucens, & hoſpitalitate egregia in pauperes, & peregrinos, qui limina Apoſtolorum de longinquo viſitabant inclaruit, egenoſq; occultè quamplurimos hilariter iuuit. Atque ita quotidie in Dei operatione, & bona fama creſcebat, vſquequo prædeceſſor eius Domnus Stephanus Papa de hac luce ad æternam beatitudinẽ migraſſet. Dum autem Omnipotens Deus regimen Eccleſiæ ſuæ, ſub piæ gubernationis cura conſtituere annueret, hunc bonæ operationis exemplis longè, latèq; inclareſcentem demonſtrare dignatus eſt: vnaq; concordia, & vna voluntate, diuino interueniente conſultu, à cunctis Sacerdotibus, & Proceribus, populoq; Romano, in Sedem Apoſtolicam, ad maiorem laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, eleuatus eſt. Erat enim Patrum præceptorum, ſeu inſtitutorum Põtificum, nec non Canonum, legum, ſanctionumq; eorum diligentiſſimus obſeruator, & à tempore ordinationis ſuæ iuſtitiæ, ac normæ ſanctitatis ſuauiſſimus promulgator, tardus ad iraſcendum, velox autem ad miſerendum, nullam vnquam vindictam expetens.

Hic beatiſs. Præſul, multa corpora Sanctorum conquiſiuit, & intra ciuitatem inferens honorificentius condidit, Rogam toti Clero (in presbyterio præſertim) multipliciter ampliauit: & omnem theſaurum in cæleſti ſacrario recondidit, captiuos, & exules redimens vtriuſque ſexus è tranſmarinis regionibus; donaque ineſtimabilia Eccleſijs diſtribuens, & eas marmoribus, picturis, muſiuoq; opere exornans, xenodochia reficiens, & pauperes infirmoſq; alimentis copioſiſſimè prouidens.

Dumq; die quadam ad B. Petri Principis Apoſtolorum Eccleſiam pergeret, quatenus more ſolito vigilias celebraret, & ante confeſſionem luceſcente Dominica matutinas laudes decantaret, ſubito depreſſus ſopore, vidit adſiſtentem ſibi virginem luce ingenti decoratam, quæ ei dixit. Multas tibi gratias referimus, quod ad incertam famam, quam de me ſparſam audieras aures non accommodaueris, meq; inquirere non deſieris, & honorare, (vetuſtate enim Eccleſiam S. Cæciliæ marceſcentem, in meliorem, quam antea formam, eodem in loco ſtruere cœperat) quippe qui tanto penes me fuiſti, vt proprio loqui inuicem ore valeremus. Hæc Pontifex præfatus audiens, ſtudioſè requirere cœpit, quæ eſſet ipſa, & quo nomine vocaretur. Cui illa reſpondit. Si nomen inquiris, Cæcilia famula Chriſti vocor. Ad quam Summus Pontifex. Quomodo hoc credere poſſum, eo quòd olim fama relatum ſit corpus venerabilis Martyris Cæciliæ ab Aiſtulpho Longobardorum Rege hoſtiliter Romã obſidente furto eſſe per eius homines ſublatum? Cui famula Dei. Quod me deſideranter, vt inuenirent Lon-

gobardi

bardi quæsiuerunt, omnino verum est. Sed Domini mei Iesu Christi opitulatione, & Dominæ meæ sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ auxilio, neque me inuenire, neque deportare valuerunt. Et ideo sicut quærere me cœpisti, vt inuenires, assiduo labore non desinas incumbere: quia Domino Iesu Christo, pro cuius amore, & honore passa sum, placuit, vt tu me inuenias, & in Ecclesia quam nouiter construxisti, recondas. Et hæc dicens ab oculis dispa ruit.

Tunc venerabilis Pontifex laudibus matutinis absolutis, tam certæ, & indubitabilis reuelationis indicio confirmatus, cœpit hac illacq; operosius quærere, vbi sacratissimum eius corpus iaceret humatum: quod & reperit, Domino tribuente, in cimiterio Prætextati, foris portam Appiam, aureis vestitum indumentis, vnà cum corpore venerabilis sponsi sui Valeriani; pariterq; linteamina Martyris illius sanguine plena, quando ab impio percussa carnifice, Christo in cœlo regnanti martyr est consecrata. Quibus linteaminibus sanguis sanctæ Martyris tertio à carnifice percussæ est abstersus, quæ ad pedes eius reperta sunt. Ea cuncta suis manibus tractans Paschalis Papa collegit, & cum magno honore intra muros Romanæ Vrbis, in Ecclesiam eiusdem Martyris nomine dicatam, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, cum charissimo sponso Valeriano, & Tiburtio, & Maximo martyribus, nec non Vrbano, & Lucio Pontificibus itidem martyribus, sub sacrosancto altari collocauit. Et iuxta ipsius Ecclesiam, in loco, qui dicitur Colles, in honorem Virginum, atque Martyrum Agathæ, & Cæciliæ monasterium construxit, donaq; varia de auro, argento, gemmis vestibusq; preciosis, vnà cum fundatione locupletissima contulit.

Ecclesiam illam, & Confessionẽ, post annos 878. inuenerit corpus S. Cæciliæ in arca cupressina in marmoreo monumẽto à Paschali Pontifice repositum, dormientis potius, quã defunctæ imaginem referens, temporibus Clementis VIII. anno D.M.D.IC. Qui peracta Missarũ solemnia ipse argẽteæ capsæ inclusit ipso festo Virginis. Et in eodem, in quo fuerat collocatum loco, toto spectante populo, intactũ immutatũq; cum deuotione, & lachrimis reposuit. Cuius rei memoriã in lamina argẽtea, & rei gestæ seriem, supradictus Cardinalis Sfondratus descripsit, & in sepulchro Martyris ex voto condidit.

Interea Lotharius filius Domini Ludouici Imperatoris, à patre in Italiam missus, cum secundum virorum, qui cum eo missi erant consilium, opportunitates negociorum ordinasset, & quibusdam perfectis, quibusdam adhuc infectis, de singulis respondere, & ad patrem redire cogitaret, rogatu Domni Paschalis Papæ, imminente sanctæ Paschæ solemnitate, Vrbem Romam adijt, atque ab eodem honorificentissimè susceptus, ipso sancto die apud S. Petrum diadema Imperiale cum nomine Augusti suscepit, & paulisper Papiæ ob quædam impedimenta immoratus, ad patrem mense Iunio redijt.

Lothario in Imperatorem coronato, orta seditione Romæ, occisi sunt duo Primarij Romanæ Ecclesiæ viri; de quorum nece cum Paschalis in odium Lotharis suspectus haberetur, præstito iuramento se legitimè ab aduersariorum calumnia expurgauit.

Et post paucos menses deinde hic venerabilis, & almificus Pontifex diuina vocatione defunctus est; sepultusq; in Ecclesia B. Petri Apostoli. Qui fecit ordinationes duas, vnam quidem per mensem Decembrem, & aliam per mensem Decembrem. Presbyteros . . . . Diaconos sex. Episcopos per diuersa loca numero . . . . Et cessauit Episcopatus dies quatuor.

Scripsit Epistolas duas, *Primam* de confirmatione priuilegiorum Ecclesiæ Rauennatis ad Petronacium Archiepiscopum eiusdem Ecclesiæ. *Alteram* de inuentione reliquiarum S. Cæciliæ.

Primum Concilium sub Paschali Papa I. Aquisgranense, in causa Regulæ Benedictinæ congregatum, in quo Abbates cum suis Monachis certa capitula conscripserunt, quæ à regularibus inuiolabiliter conseruari decreuerunt.

Anno Dom. 817. Imperij Ludouici anno 4. 6. Idus Iulij.

In hoc eodem conuentu, quod Apostolicæ sedis legatione petebatur, Ludouicus Imperator, confirmauit quæcunque à prædecessoribus suis donata, vel restituta fuissent Romanæ Ecclesiæ. Et per legatum S.R.E. Theodorum nomenclatorem Domno Paschali Papæ transmisit.

Habuit & in villa Engelheim conuentum tam spiritualium, quam secularium personarum: vbi præterea, quæ ad res bellicas spectant, actum etiam est de his, qui res, siue personas Ecclesiasticas infestant, & rapinas exercent; iuxtaq; sanctorum canonum sanctiones in eiusmodi malefactores, Apostolica auctoritate pœnæ declaratæ sunt.

Anno Dom. 819. Benedictus Leuita lib. 6. cap. 96.

Secundum Concilium Attiniacense, in quo Ludouicus Imp. publicam pœnitentiam egit, quod nepotem suum Bernardum, (filium fratris Pipini) Regem Italiæ oculis orbasset: ex quo ille dolore post triduum interijt. Pro expiatione itaque delictorum, Corbeiam in Saxonia monasterium erexit, monitus à Sancto

Adelhardo Corbeiæ in Gallia Abbate, quém ipſe quibuſdam calumnijs circumuentus ante ſeptennium relegauerat.

EVGENIVS II.

Natione Romanus, ex patre Boemundo. Sedit annos tres, menſes duos, dies 23. Hic venerabilis, & præclarus vir, magnæ ſimplicitatis, atque humilitatis fuit. Doctus ſcientia, ſermone præcipuus, & forma elegans, mundi contemptor, largusq; petentibus. Sola quæ Chriſto placebant, omnibus diebus, ac noctibus cogitabat. Eius temporibus vbertas non ſolum vrbem Romam, aut Italiam, ſed totum ferè orbem repleuerat; & quicquid iuſto pondere tributorum nomine recipiebat à ſubditis, id non ſolum pauperibus, egenis, aut viduis, ſed etiam diuitibus inceſſanter diſtribuebat. Maximaq; pax, & quies eius diebus floruit in orbe Romano. Quippè cum ipſe totius eſſet pacis amicus, quid aliud reliqui, niſi quod & ipſe ſuis honeſtis gerebat moribus gerere poterant? Archipresbyter primo ille ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ fuit: in qua non per modicum tempus ſuum glorioſè officium egit. Poſtea à Romanis pro meritorum laude electus, & Pontifex factus eſt: qui presbyteratus ſui tempore, tenuit Eccleſiam B. Sabinæ martyris poſitam in Auentino monte, quam poſt aſſecutam Pontificiam dignitatem, ad meliorem cultum perduxit, & picturis decorauit. Huius diebus Romani Iudices, qui in Francia tenebantur captiui, reuerſi ſunt, quos in parentum proprias poſſeſſiones ingredi permiſit, quæ iam fiſco deſtinatæ fuerant, & eis non modicas res de Patriarchio Lateranenſi tribuit, quia erant pene omnibus facultatibus deſtituti. Fecit quoque in ſupradicta Eccleſia S. Sabynæ cyborium ex argento, multas libras penſ. Qui mortuus eſt vndecima die Auguſti, & ſepultus in Baſilica B. Petri Apoſtoli.

Decimo quarto Kal. Iunias Anno 824. ſucceſſor Paſchalis Eugenius II. creatus eſt in ſchiſmate tali, ad quod componendum Ludouicus Imp. miſit in Vrbem filium ſuum Lotharium, qui ſtatũ Romani populi iam dudum quorundã Præſulum peruerſitate deprauatum, Pontificis aſcenſione ita correxit, vt omnes, qui rerum ſuarum direptione grauati fuerant, reſtitutione bonorum ſuorũ, per illius aduentum magnificè eſſent cõſolati. Qui ſtatim ibidem de electione Pontificia, ablatiſq; reſtituendis edidit conſtitutionem, quæ extat apud Sigoniũ de Regno Italiæ anno 825. in Ludouico. Tum & aliam, vt erigerentur, & adorarentur, & ſanctæ nuncuparẽtur imagines. Quia multa tunc temporis nomine Pſeudoſynodi, vel potius Collationis Pariſiẽſis de cultu imaginum hæretici homines blaterarunt. Quos moderni nouatores ſecuti innominato auctore ediderunt, An. Dom. 1596 Refutati à Cardinali Bellarmino, in Appẽd. de cultu imaginum.

Concilium Romanum LXIII. Epiſcoporum, in cauſa diſciplinæ Eccleſiaſticæ celebratum ſub Eugenio Papa II. in quo conſcripta ſunt capitula 38.

VALENTINVS

Natione Romanus, ex patre Petro, de regione Via Lata. Sedit dies 40. magnæ ſanctitatis vir. Qui in vrbe Romana ab ingenuis, & pijs parentibus genitus, & ob ſtudia elementorum ſolerti magiſtro traditus, ſacros diuinæ legis apices capaci memoria retinebat; inanes puerorum ludos euitabat, nullas inhoneſtas inuerecundaſq; voces proferebat, nullis illicitis actionibus occupabatur. Sed à primo pueritiæ flore modeſtiæ deditus, nullas contrarietates vnquam exercẽs, iuxta Dominicæ vocis præceptum, lumbos caſtitate præcinctos, & piorum operum lucernas in manibus luculenter fulgentes, tota vita ſua geſtabat. Quod cum inſtar odoriferi thuris longè, lateq; flagraret, mox eum Paſchalis Papa per Eccleſiaſticos gradus, ad ſubdiaconatus honorem prouexit, & ex Lateranenſi Palatio ſumptum, ſibi deſeruire præcepit. Cuius conuerſationis, & patientiæ vitã, ac mores ipſe agnoſcens, valde illum præ cæteris diligebat, & Diaconum dein, atque Archidiaconum creauerat. Erat enim ſermone affabilis, doctrina clarus, vultu conſpicuus, & inter fratres pia deuotione modeſtus, proximiſq; fidelis. Quare & Eugenius Pontifex in Sede Apoſtolica collocatus luculenter eũ agnoſcens, omni vitæ ſuæ tempore chariſſimorum vice eum retinuit, & velut pater proprio filio congaudebat. Finito verò huius Præſulis termino vitæ, Romanorum cœtus, cum vix vna die ſedes vacaſſet, collectis in vnum venerabilibus Epiſcopis, & glorioſis Proceribus, omniq; almæ Vrbis populo in palatio Lateranenſi, vnius voluntatis conſenſu fortiter acclamauerunt, *Valentinus ſanctiſſimus Archidiaconus Sede Apoſtolica dignus, Valentinus Summi Pontificatus inſulis decorandus.* His millies dictis, omnes ſtatim ad Eccleſiam S. Dei Genitricis Virginis Mariæ Dominæ noſtræ properantes, eum multum diutiuſq; renitentem, ſeque tanto regimini fore incongruum voce alta proferentem, almæ plebis, & lætis vtriuſque militiæ Romanorum vocibus oppreſſum, eleuarunt in Sedem Pontificiam. Ac deinde condignis gloriæ laudibus, & honoris amplitudine ad Lateranenſe

dedu-

deduxerunt Patriarchium, & in Pontificali collocarunt throno. Cuius pedibus osculatis, & omnibus, quæ explenda erant ritè peractis, magna in totius sexus, & ætatis populo lætitia mansit. Eiusque consecrationis die sereno iam illucescente, cum lumine dictum Antistitem ad B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiam, omnes pariter Romani à palatio deducentes, eum maiestate diuina auxiliante, in alto throno summum consecrauere Pontificem. Qui mox almificæ sedis culmina scandens, B. Petri Apostoli, & cælestis Regni clauigeri, debitis Deo laudibus, & sacrificijs piè oblatis, amplo, & magnifico Romanorum cœtu, ad palatium cum ingenti gaudio remeauit, atque lautissimis dapibus sumptis cum amantissimorum multis, sacram plebem, & Senatum populumq; Romanum, diuersis muneribus ditauit. Erat quippè dapsilitate inclytus, actione præcipuus, sermone luculentus, omnibus compassione proximus, & inopiam sustinentibus opportunum instanter solatium præbens. Quibus multiplicibus bonis ornatus, ad cælestia Christo vocante, corporis oppressus molestia, exitu pretioso transiuit, atque cum desiderabili beatissimiq; operis fructu, ad conspectum summæ maiestatis lætus ascendit, regnans, & exultans cum Domino semper. Cadauer in basilica Principis Apostolorum sepultum est, die vndecimo Kalendas Februarij. Anno Dominicæ Natiuitatis 828. quum creatus esset circa finem anni superioris 19. Kal. Ianuarij, & die sequenti consecratus. Vacauitq; eo mortuo Sancta Romana sedes dies tres.

Ijdem per Asiam manentes sacrosancta Palestinæ loca fœdantes, aditũ ad ea christianis præcluserunt. Blond. decad. 2 lib. 2. Cretam & Siciliam occuparunt, Italiamq; ipsã pluribus in locis vastarunt, & nonnullos ducatus insederunt, atque ipsi Vrbi Romæ graues postmodum valdè fuerunt.

GREGORIVS IV.

Natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit annos sexdecim. Vir strenuus, ac benignissimus, sanctitate, atque pietate repletus, Ecclesiarum infatigabilis visitator, pater pauperum, & viduarum: à Paschali Papa, non solum subdiaconus, sed etiam presbyter factus est; sublato verò Valentino Pontifice sanctissimo, cœperunt Romani de futuro arctius cogitare, vt quem Spiritus sancti gratia perlustratum agnoscere potuissent, eum eligerent, sub cuius doctrina, atque imperio cuncta Senatorum nobilitas ritè degere posset. Consenseruntq; omnes in eodem spiritu in Gregorium IV. & generis nobilitate, & virtutibus Christianis egregiè clarum, & in Patriarchium Lateranense eum induxerunt, extrahentes per vim ex basilica Beatorum martyrum Cosmæ, & Damiani; dicebat enim se ad tale ministerium inutilem fore. Sed quoniam tam immensæ multitudini resistere non valuit, ad locum prædictum eum cum hymnis, & canticis spiritualibus deduxerunt. Qui post electionem, atque consecrationem præsulatus sui, cœpit permaximum studium habere de sanctis Ecclesijs, quatenus ad statum pristinum nouo cultu eas, Domino protegente, citius reuocaret. Quapropter multas nouis fabricis, & picturis varijs decorauit, multis vestibus preciosis, multisq; vasis sacris, de auro, argento, & lapidibus preciosis affabrefactis donauit. Sed & corpora plurimorum Sanctorum, quæ non condignè honorificabantur, summa cum reuerentia eleuans, honorificentius collocauit, sepulchraq; eorum sumptu ingenti exornauit. Præcipuè verò B. Gregorij Magni, per quem Spiritus gratia, toto orbe terrarum inextinguibile munus induxit, ex loco sepulturæ in quo prius fuerat, tulit, & non longè ab eo in alium nouiter instructum infra Ecclesiam B. Petri Apostoli summo honore perduxit, eiusque sacrum altare argenteis tabulis vndique exornauit, & Oratorium eius sancto nomine titulauit (translationem faciens post annos circiter ducentos, & viginti ab obitu eius) absidamq; eius desuper auro musiuo depinxit. Vbi eius annua, seu anniuersaria solemnitas, cunctis certatim pernoctantibus, veneratione gratissima celebratur. In eodem Oratorio, aliorumq; quoque beatorum corpora reposuit, & vnumquodque eorum separatis altaribus collocauit; scilicet SS. Martyrum Sebastiani, Georgij, & Tiburtij, ex cœmiterijs in quibus ante iacebant, honorificè transferens.

Anno Dom. 827. 24. Septembr. in ordine summus Sacerdos 104. Hic instituit ne Christi serui, vlla seruitute humana, aut ciuili tenerẽtur: Et vt vnaquæuis Ecclesia suos haberet prouentus cum Imperatore Ludouico egit; cuius rogatu Festum omniũ Sanctorum Kal. Nouembr. in omnibus Ecclesijs celebrari iussit, quod hactenus Romani tantum ex instituto Bonifacij Papæ celebrare consueuerant. Idẽ preciosiores vestes, aurum, & argentum, omnisq; corporis luxum Ecclesiarũ ministris, & vniuerso Clero interdixit.

Accidit autem, vt cum Sarraceni potiti Sicilia, vniuersas Italiæ oras infestarẽt classe piratica, iamq; adijcerent animum, vt vniuersa potirentur Italia, Gregorius

Papa sanctissimus imminens malum anteuertere quibus valuit viribus festinauit. Sicq; Ostia Tiberina, iam vetustate mœnibus collabentibus, antiquam ciuitatem nouis muris munire aggressus est, & veterem in nouam mutare; quam absolutam Gregoriopolim appellauit. Vtq; & S. Petri basilicam extra vrbem positam tutam redderet, intendit illic vrbem nouam ædificare, dolens crebris Sarracenorum incursionibus vexari, & vastari suburbium Vrbis Romanæ circa Ecclesiã B. Petri Apostolorum Principis. Ad quod consilio, & auxilio Imperatoris animatus nouam fabricam cœpit, sed non perfecit. Leo enim Quartus, eius successor cœptum opus absoluit, cum beatissimus Gregorius, ex hac luce subtractus, ad æternam migrauisset requiem. Qui fecit ordinationes quinque per Mensem Martium, & Decembrem, & Septembrem, quibus creauit presbyteros . . . . Diaconos . . . Episcopos per diuersa loca numero 185. Sepultusq; est in basilica B. Petri Apostoli.

Scripsit Epistolam Decretalem vnam, ad vniuersos Christianitatis Episcopos, de Alderico Cœnomanensi Episcopo, non alibi, quam apud Sedem Apostolicam accusando, & de Romani Pontificis potestate; quæ pluribus in locis citatur à Gratiano.

Anno Domini 829. die 8. Iduum Iuniarum.

Primum Concilium temporibus Gregorij IV. Parisiense, in causa reformandæ disciplinæ Ecclesiasticæ, sub Ludouico, & Lothario Imperatoribus celebratum, inq; tres libros singulares diuisum. Quorum primo capitibus 57. agitur de causis ad religionem Christianam, curamq; Pastorum pertinentibus, deq; ijs peccatis, & vitijs, quæ Ecclesiastici summa diligentia euitare, & emendare deberent. In secundo autem continentur capitibus 13. Canones Regum, Principum, fidelium q; omnium mores, & vitam concernentes: quorum intuitu cognoscerent, quid ad peccata expianda, & Numen Dei placandum ipsos agere, quidue omittere oporteret. Tertio denique, appendix quædam capitulorum, in 23. Capita distribuitur, ea intentione (scripta primo Synodica ad Augustos de rebus in Concilio gestis) vt Regem sui officij, & de commissis peccatis, quasi per transennam admonerent, quem metu offensæ incurrendæ speciali scripto hortari verebantur. Licet Concilium illud hortatu Cæsareo celebrauerint: qui audita puellæ cuiusdam arreptitiæ, ab exorcizante presbytero coniuratæ, lingua Latina responsione, cur Satanas Regnum Franciæ per tot annos, Deo permittente, diuersis plagis afficeret, ex serpentis veneno antidotum præparans, ad expianda peccata per vniuersum Regnum, publicum indixit triduanum ieiunium, atque præces: edictoq; publico, quod in principio huius Concilij habetur, serio mandauit, vt ad correctionem morum deprauatorum, quatuor diuersis in locis per Gallias, quatuor diuersa Concilia, Parisijs, Moguntiæ, Lugduni, & Tolossæ celebrarentur, vt Numine diuino hac ratione placato, omnia flagella à subdito sibi populo auferrentur.

Theodulphus hoc tempore Floriacensis Abbas in captiuitate existens, versus quos in die Palmarum Ecclesia canit, scilicet, Gloria, laus, & honor, &c. composuit.

Anno Domini 833. Ludouicus depositus filiorum nequitia, Imperatorias infulas in Ecclesia S. Dionysij per manus Episcoporum recepit, & armis accingi voluit. die Dominico ad initium Quadragesimæ Anno 834. cõgratulantibus releuato ipsis elementis, quia toto priuationis illius tempore pluuiæ, atque procella durarunt, atq; inundationes. Illo vero restituto, serenitas statim resplẽduit.

Secundum Concilium apud Compendium palatium, in quo Ludouicus Imperator, dissidio filiorum, fraude verò, & dolo Ebbonis Rhemensis Episcopi, Imperio depositus fuit. Sed Gregorius Papa rescisso abrogationis decreto, eundem Imperio restituit. Qui antea Roma profectus in Galliam diu laborauit, vt ortum bellum domesticum sedaret, pacemq; inter Impetatorem, atque filios conciliaret. Sed cum nihil ex sententia eueniret, implacabili odio aduersus patrem cõmotis illis, re infecta mœrens reuersus est Romam, sceleratis filiorum operibus consensum minimè præbens. Interim populi soliciti pro restitutione Ludouici Imperatoris, vndique cum suis exercitibus confluxerunt, & medio Quadragesimæ tempore, exhortante cantilena Ecclesiastica. *Lætare Hierusalem, & conuentum facite omnes, qui diligitis eam*, filios rebelles Patri reconciliarunt.

Tertium Concilium Metense, quo Ludouicus Imperator ab Ebbone Rhemensi Archiepiscopo iniustè excommunicatus, & ingressu Ecclesiæ interdictus, absoluitur synodaliter, à 7. Archiepisc.

Quartum Concilium in Theodonis Villa, quo Ebbo Rhemensis Archiepiscopus, eo quod deponendi Ludouici Imperatoris ab Imperio auctor fuisset, seipsum Episco-

Episcopatu, suasu Coepiscoporum abdicauit. Reliqui autem, qui ei consentientes fuerant, ob necessitatem, qua coacti fuerant, vt exauctorationi Imperatoris interessent, seipsos excusarunt, veniamq; impetrarunt. *Vide Baron. Anno 833. n. 1.*

Quintum Concilium Aquisgranense, de statu sanctæ Dei Ecclesiæ, atque totius religionis celebratum, Indict. XIV. inq; tres libros distinctum. Primo tractatur de vita, doctrina, moribus, & officio Episcoporum. Secundo, de moribus,& officio Abbatum, aliorumque inferioris ordinis Ecclesiasticorum. Tert.o, de Imperatore, eiusq; filijs, ac ministris rectè disponendis. Quorum omnia capitula authoritate S. Scripturæ confirmantur. Pipinusq; Rex, monita pij patris Ludouici, Sanctorumq; virorum libenter suscipiens, qui eum Synodali epistola conuenerant, omnia inuasa, & ablata Ecclesijs, etiam per auunculi sui impressionem, obedienter restituit.

Anno Domini 836. Anno vero Ludouici Imp. 24. die 8. Iduum Februarij.

Sextum Concilium Lugdunense, in causa Ecclesiarum Lugdunensis, & Viennensis pastoribus carentium; Archiepiscopi siquidem illarum Ecclesiarum, auxiliũ præbuerant, in deponendo Ludouico Imperatore Ebboni Rhemensi Archiepiscopo. Quamobrem vocati ad Concilium apud Theodonis villam celebratum, fugerant ex Francia, quod causæ suæ æquitati diffiderent, præsertim, quod Ludouicus huic concilio præsens cum filijs suis, excepto Lothario, interfuerit.

Anno Dom. 836.

Septimum Concilium Aquisgranense II. quo Regnum Franciæ à Lothario, ad Ludouicum, & Carolum fratres est translatum. Nam Lotharius ipse fratrum suorum regna affectans, vt solus monarchicum teneret imperium, ciuili bello eosdem aggressus est: illi contra missis ad eum crebrioribus legationibus, pacem quidem expetiuerunt, sed non impetrarunt ante, quàm semel, atque iterum eum in fugam adegissent. Conuentu igitur Episcoporum Aquisgrani facto, consuluerunt, quid de regno à fratre derelicto ipsis agendum videretur? Episcopi igitur Synodaliter congregati, considerantes, quomodo patrem suum regno pepulerit; & quoties hoc, quod patri fratribusq; iurauerat frustrauerit; quoties eosdem exhæredare, atque delere tentauerit; quot homicidia, adulteria, incendia, rapinas, & oppressiones exercuerit, & modo Omnipotentis Dei iudicio, à prælio, & Regno suo fugerit, seq; ipsum ob suam nequitiam iusta Dei vindicta eiecerit; illud Numine Supremo inspirante, fratribus melioribus regendum tradiderunt.


Anno Dom. 842.

Octauum Concilium Cabilonense, de rebus Ecclesiasticis, & Politicis componendis habitum in præsentia Ludouici Imperatoris, qui cum post obitum Pipini filij sui, Regnum Aquitaniæ, præterito inofficiose nepote Pipino iuniore, hæredе Regni illius, inter Lotharium duntaxat, & Carolum diuisisset, Ludouicus iunior, eiusdem Ludouici Imp. filius, & cum ipso Optimates Aquitaniæ iniuriam sibi illatam esse protestatus, contra patrem arma exercitumq; parauit. Vt ergo istæ turbæ componerentur, indictus est Cabilone Episcoporum conuentus, quorum consilio, ac prudentia Imperator filium rebellantem, ad spontaneam recõciliationem adegit, & Aquitaniam compescuit.

Anno Dom. 839. Ludouicus Imperator ex hac vita migrauit 12. Kal. Iulij Anno 840. quo tempore deliquium Solis fuit insolitum, vt nihil à veritate noctis differret, & sydera omnia sicut de nocte conspicerẽtur.

Vltimum Concilium tempore Gregorij Papæ IV. Constantinopolitanum, quo hæresi Iconoclastarum damnata, cultus imaginum est restitutus in regia Vrbe; eiectoq; Ioanne Patriarcha hæretico, Methodius orthodoxæ fidei defensor surrogatus est. Acta Concilij prolixius recenset Theophantes presbyter in oratione, quam in Sanctum Nicephorum Patriarcham dixit, in illoq; Concilio planè dissipata est hæresis Iconoclastarum, quæ centum viginti annis è portis inferni magno fastu auctore Imperatore potens, ac furens in Ecclesiæ damnum erupuit.

Anno Dom. 842. Defuncto Theophilo Imperatore uxor illius vidua Theodora cũ filio Michaele adolescentulo, cœtũ hunc Patrum congregari curauit, & fidem Orthodoxam suo conatu restituit



LIBER XV.

Sigehardo Duce Beneuētano anno 843 nequiter à suis occiso, Radelchis thesaurarius ipsius Principatum inuaserat, quē populi pro suis nequitijs infensum habentes, defuncti fratrem germanum Tarenti exulantem nomine Siconulphū in Principē sibi elegerunt. Quem Radelchis eijcere volens, Regem Sarracenorum Calphonē in auxilium euocauit, qui Bari Vrbe occupata postea totum Beneuētanum Principatū possedit. Ita omne regnū in se diuisū iuxta Saluatoris nostri effatum, desolatur.



CVM iam vbique locorum venerandæ imagines in Orientali Ecclesia fuerint restitutæ, & pulsis hæreticis, pro illis fuerint ordinati Episcopi Orthodoxi, in ipsaq; primaria ciuitate Constantinopolitana, eiecto è throno Ioanne impio Patriarcha, fuerit ordinatus Methodius celebris sanctitate, gloria confessionis illustris, atque doctrina excellenti clarus. Et in Occidente res Dei,& Ecclesiarum, mundanis fluctibus perturbatæ, pacta pace perpeti inter Lotharium Imperatorem, & Reges fratres, aliquatenus compositæ,& pacificatæ. Non tulit hostis generis humani tantæ concordiæ nexum, & Ecclesiæ Dei exaltationem; sed quemadmodum in Oriente,per inuidiam impiorum obscurare voluit, tantum Constantinopolitanæ Ecclesiæ decus,& ornamentum ex electione viri celeberrimi comparatum; ita & in Occidente Gregorio Papa IV. ex hac vita sublato, infidelium bellicis progressibus, & ciuilibus tumultibus, multa mala fidelibus intulit. Præcipuè Italia per annos ferè viginti Sarracenorum armis turbata, ingentem cladem persenserat, cum illi vniuersa Campania, atque Samnitibus peruastatis, Beneuentum ceperunt, Capuam exusserunt, atque alia mala innumera perpetrarunt. Vt ex vitis sequentium Pontificum,atque diuersis Concilijs sub illis celebratis facilè apparebit.

Anno Domini 844. 4. Idus Febr. Lotharij Imper. Anno 4. Michaelis III. Imp. Orient. anno 3. Quo, Ramirus Rex Hispaniarū celeberrimā illam victoriam de Sarracenis obtinuit, in qua S. Iacobus Apostolus Regni patronus, conspicuus omnibus, vt pollicitus fuerat, visus est ante aciem aduersus barbaros dimicare. Cæsiq; sunt ex illis fere septuaginta millia. Baron. ex Tudensi in anno 844.

SERGIVS II.

Natione Romanus, ex patre Sergio, regionis quartæ, sedit annos tres. Hic ex illustri familia editus, à matre castis nutrimentis erudiri cœptus ingenti cum studio, vt nihil obscœnum, vel libidinosum ab eo quis audire, vel videre posset: puerilia oblectamenta contemnebat, & verebatur, ita vt in actibus pollere videretur pijs, & moribus clarescere cœpit nobilibus, puris munitus instructusq; maternis monitis. Quæ exultabat animo, & quotidie Omnipotenti Deo gratias referebat, qui talem sibi superno prolem concessisset auxilio. Duodecimo ætatis suæ anno obijt mater eius, migrauitq; ad Dominum,patre multo ante defuncto. Igitur relictus orphanus morabatur in æde fratrum parentis sui,quo tempore Leo Tertius gerebat primatum Ecclesiæ Dei: qui generositatē pueri huius perspectam habens, & parentum illius nobilitatem cognoscens, ad se eum euocauit, & scholæ Cantorum tradidit erudiendum in litteris, & cantilenarum melodijs. Vbi solertissimi ingenij puer celeriter omnis disciplinæ eruditionem sumpsit ita, vt omnes præcederet pueros. Quo audito optimus Pontifex, Acolytum eum in sancta constituit Romana Ecclesia. Eius verò successor Stephanus, Subdiaconatus illi concessit officium. Paschalis deinde, vita, eruditione, moribusq; exornatum, tituli B. Siluestri Confessoris, atque Pontificis, presbyterum creauit; quo in officio ille super omnes misericordia, studio, vigilantia, atque omnibus alijs bonis institutionibus claruit. Paschali verò defuncto, Præsulatus culmen accepit Eugenius; qui cum tribus tantum sedisset annis, Valentinus ei successerat, ac tandem huic Gregorius IV. à quo eum diligentius prædictus

ctus amaretur Sergius, Archipresbyter ab eo in Sancta Ecclesia ordinatur. Mortuo autem Gregorio, qui per sexdecim annos solertissimè Dei Ecclesiam gubernauit, Proceres Romani, & Clerus ad electionem Pontificis conuenientes, cum alius de alio, vt fieri solet in talibus, conclamaret, tandem vniuersi nutu diuino afflati, de antefati Sergij Archipresbyteri vita, & religione diligentius confabulari cœperunt, atque vnanimiter conclamarunt, quia dignus est Pontificatus adipisci regimen. Firmatoq; in eundem virum consilio vnusquisque in sua reuersus est.

Tunc repente Diaconus quidam nomine Ioannes, in tantum amentiæ erupit, atque insaniæ, vt persuaso quodam imperito, & aggresti populo, collecta turbulentorum, & seditiosorum hominum manu, in Patriarchium Lateranense, per vim fractis ianuis, cum bellicis telis ingrederetur, leges, & ordinem traditionum transgressus. Quo facto, omnes qui intra Patriarchij mœnia erant, stupore, & metu repleti sunt. Igitur cum per vnius horæ momentum cum eo illa perdurasset ignobilis populi concio, timore correpta, eo relicto disparuit. Quibus ita gestis, omnes Quiritum Principes indignati sunt, & communi consilio vniuersi pariter, in basilica B. Martini Confessoris, atque Pontificis, celeri cursu, magnoq; equitatu sunt congregati, & eundem Archipresbyterum Sergium in omnibus virtutibus probatissimum virum, extrahentes de Ecclesia, magno cum honore, magnaq; populi comitante caterua, amplisq; resonantibus laudibus, cum hymnis, & canticis spiritualibus, in Patriarchium Lateranense deduxerunt. Eodem verò die tanta nix in vrbe effusa est, vt in omnibus candidata cerneretur; quod multi gaudij, & claritatis dicebatur esse indicium. Prædictũ verò Ioannem Diaconum de Patriarchio magna cum turpitudine, huius Romanæ vrbis Principes expulerunt, & arctius in claustra sub cautela trudi præceperunt, pro ipsius tanta temeritate, & impia, ac dira præsumptione. Quem etiam concilio Antistitum, suo voluerunt priuari honore: nec non & ensibus membratim dilaniari, nisi benignissimus Præsul Sergius prohibuisset, nolens malum pro malo, secundum Apostolum, cuiquam reddere.

In Occidente verò cum Lotharius factus fuisset à patre suo Ludouico Rex Italiæ, dolebat valde, quod illarũ tantum partium Italiæ Rex esset quas Longobardi olim possedebant potiorem autẽ partem puta Vrbem Romã cum suo Ducatu, & Rauennam cum toto Exarchatu Pontifices Romani donatione Pipini, & Caroli Magni possiderent, cœpit inuadere bona Ecclesiastica, & subijcere suæ potestati auida, sed armis Patris sui Ludouici Imperatoris Pij compescitus fuit. Igitur Ludouico filio suo deinceps Regnum Italiæ donans cum exercitu eum Romam ad coronam capiendã misit, vt statim possit, & Vrbe Roma potiri totoq; dominio Italiæ, cæterum Pontificis prudentia elusus debuit quiete ab vrbe recedere. Sed anno sequenti Sarraceni ex Africa veniẽtes classe instructa, suburbia Romana vastarunt, & ipsas basilicas SS. Apostolorũ Petri, & Pauli, auro, argento, gemmis locupletes spoliarunt. In Campaniã deinde progressi Fundanam ciuitatẽ igne succenderunt: ad Caietam castra metati Francorum exercitũ Spoleto missum profligarunt.

Tunc demum exultantibus omnibus Sacerdotibus, Proceribus, & Optimatibus, omnibusq; Ecclesiæ populis, idem sanctissimus vir, in Apostolica B. Petri Sede ordinatus, consecratusq; est Pontifex. Quod cum ad aures Inuictissimi Lotharij Augusti peruenisset, Drogonem Metensis Ecclesiæ Archiepiscopum, cum filio suo Ludouico, magno cum exercitu Francorum Romam direxit, cum quibus etiam alios Archiepiscopos, pluresq; Episcopos, Abbates, & Comites proficisci præcepit. Ipsi verò ex quo in oras Bononiæ ciuitatis ingressi sunt, tantas cædes, tantasq; strages in populos peregerunt, vt qui per ciuitates, & agros erant, tyrannica crudelitate perterriti, relictis proprijs locis, per loca abdita, & latebras se absconderent. Cum verò hæc per omnem locum, singulasq; per vrbes, atque vicos, & agros, sæua operarentur nequitia, ad pontem peruenerunt Capellæ. Et cum tanta esset cæli serenitas, vt in toto aëre nubes aliqua, aut pluuiæ signum nusquam videri potuisset, subito antrata nubium densitas ingens facta est, nimbosisq; procellis, & coruscationibus circumdati, quidam de primatibus Drogonis consiliarijs fulminis ictu percussi, interempti sint. Hoc videntes horribile signum, nimio omnes fracti timore sunt, sed nullatenus mentis ferocitatem deponentes, ad vrbem velociter properabant.

Quorum aduentum antedictus beatissimus Papa Sergius cum propius fieri cognouisset, in eiusdem excellentissimi Ludouici Regis occursum, vniuersos Iudices, ad nouem ferè milliaria ab hac Romana vrbe direxit, quem cum signis, & magnis resonantibus laudibus susceperunt. Et dum vrbi penè vnius milliarij spatio appropinquasset, vniuersas militiæ scholas, vna cum patronis direxit, dignas nobilissimo Regi laudes omnes canentes; aliosq; doctissimos Græcos, Imperatorias laudes dulcisonis vocibus in ipso Rege extollentes, & venerandas illi cruces obuiam ferentes, itemq; signa, & vexilla, sicut mos est Imperatorem, aut Regem suscipere: ita eum cum ingenti honore suscepit. Ludouicus verò Rex,

qua

qua hora sibi sacratissimas cruces, & signa obuiam aduenisse conspexit, alacris factus, valde lætatus est. Tunc suo vniuerso cum populo, Romanis iudicibus, ac scholis antecedentibus, ad B. Petrum studuit properare: quem antedictus Pontifex, in gradibus ipsius Apostolicæ aulæ, ipso die Dominico post Pentecosten, suo cum Clero expectauit. Coniungente verò eodem Rege, vniuersosq; gradus Ecclesiæ ascendente, ad prænominatum appropinquauit Pontificem, qui in atrio super gradus iuxta fores Ecclesiæ, cum vniuerso Clero, & populo Romano assistebat. Tunc mutuo sese complectentes, tenuit idem Ludouicus Rex dexteram antedicti Pontificis. In interius ingressi atrium, ad portas peruenere argenteas: in quo atrio vnus de exercitu à dæmonio arreptus, in conspectu omnium Francorum valdè vexatus est. Almificus itaque Præsul, claudi faciens omnes ianuas B. Petri, serari eas præcepit, & Regi, sancto Spiritu admonente, sic dixit: *Si pura mente, & sincera voluntate, & pro salute Reipublicæ, ac totius orbis, & huius Ecclesiæ huc aduenisti, has mea ingredere ianuas iussione, sin aliter, nec per me, nec per meam iussionem istæ tibi portæ aperientur*. Statim respondens Rex dixit: *Quod nullo maligno animo, aliqua prauitate, vel malo ingenio aduenisset*. Tunc eodem Præsule præcipiente, aulam B. Petri ingressi sunt, laudem Deo, & eius Excellentiæ decantantes, vniuersus Clerus, & cuncti religiosi Dei famuli. *Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.* Sicq; cum eodem Pontifice ipse Rex, simulq; omnes Episcopi, Abbates, & Iudices, & vniuersi Franci, qui cum eo aduenerant, ad Confessionem B. Petri appropinquantes, seseq; pronos ibidem prosternentes, Deo præpotenti, & Apostolorum Principi gratias reddiderunt. Et data à Pontifice benedictione, ab Ecclesia pariter omnes egressi sunt.

In Francia quoque Carolus Rex Ludouici Imper. filius à Northmannis afflictus pene iam Regnũ perdiderat, quod Comitibus suis auscultans Dei Sacerdotum monita sperneret, & bona Ecclesiastica suis aulicis distribueret. Sed monitus ab Hincmaro viro sanctissimo Archiepiscopo Rhemensi, & Lupo Abbate Ferrariensi, cuius abbatiã Rex dederat Comiti Odulpho, scriptis doctissimis perterritus resipuit, & bona Ecclesiarũ castigatus flagello barbarorũ restitui procurauit.

Quinto anno Imperij Michaelis magnus ille, & sanctitate celebris, quem suis scriptis adeo laudauit S. Theodorus Studita admirãdis operibus clarus, virtutibus insignis, Ioãnicius Anachoreta, ex hac vita migrauit ad Dominum, annos natus 115. Cuius excessum cũ præsciuisset S. Methodius Patriarcha, ad eum venit, & vltimas preces ab eo pe-

Postea verò continuis diebus sequentibus omnia suburbana, pestifera deuastatione compresserunt, agrosq; segetes, ac prata, quasi fulmineus impetus destruxerunt. Dum hæc gerebantur, ipse à Deo protectus Pontifex, à quibusdam audiuit, quod in Vrbem hospitalitatis causa introire voluissent, sed munitis claustrisq; portis, vt fieret, minimè concessit. Ne autem occasionem preberet armatis exercitibus Vrbem inuadendi, & inflammandi, quod peteretur à Lothario Imperatore, & tunc ab ipso præsente filio Ludouico exigebatur, vt coronaretur, idem sanctissimus Præsul indulsit.

Dominico itaque die sequente, in eadem Principis Apostolorum basilica, omnes Archiepiscopi, & cuncti Abbates, & omnes, qui cum eo venerant Franci, sunt congregati; omnesq; pariter Romanorum nobiles, & præclari. Tunc almificus Pontifex manibus suis ipsum Ludouicum Imperatoris filium, oleo sancto perungens, regali preciosissima ornauit corona, Regemq; Longobardorum præfecit. Cui regalem tribuens gladium illum subcingere iussit. Deinde missarum celebratione finita, ab Ecclesia omnes cum Rege lætantes regressi sunt. Deinceps verò per dies singulos conflictum noui certaminis cum sanctissimo Pontifice, omnibus Episcopis, & Optimatibus nostris, atque Proceribus, ipse Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ (de quo superius memoriam fecimus) commouebat, & alij omnes Episcopi, Archiepiscopiq; qui cum eo contra hanc vniuersalem, & caput cunctarum Ecclesiarum Dei, sine Metropolitani concessione, atque vocatione conuenerant. Id est, Gregorius Archiepiscopus Ecclesiæ Rauenatensis, & Angelbertus Archiepiscopus Mediolanensis. Ioseph Episcopus Ecclesiæ Eporediensis, Aginus Episcopus Veronensis, Almaricus Comensis, Sigifridus Regiensis, Northaudus Vercellensis, Toringauus Concordiensis, Odeluertus Aquensis, Ambrosius Lucensis, Donatus Fesulanus, Ioannes Pisanus, Petrus Volaterranus, Gausprandus Pistoriensis, Lancio Senensis, Lupus Textinus, Sigismundus Aprutinensis, Riccio Asculanus, Fratellus Camerinensis, Gisus Firmanus, Racipertus Nucerinus, Amadeus Pinnensis, Pico Scolanensis, & cæteri. Cum quibus etiam Boso Comes, Adalgisus Comes, Ioannes Comes, Vuldo Comes, Vernardus Comes, Visfridus Comes, Marinus Comes, atque cæteri contendebant. Sed diuina gratia inspirante, nec sermones ipsius almi Pontificis, neque prudentiam superare valuerunt. Tantaq; ei superna aderat virtus,

virtus, vt nullus sermone eum concludere, vel constringere potuisset: sed ab eo superati, pudore operti, & confusione discesserunt. Quod videntes, omnem iram, atque ferocitatem, quam in mentibus conseruabant, omnino deposuerunt.

His igitur peractis, à prædicto postulauerunt Pontifice, vt omnes primates Romani, fidelitatem ipsi Ludouico Regi per Sacramentum promitterent, quod prudentissimus Præsul fieri nequaquam concessit, sed sic orsus est illis. *Quia si vultis Lothario magno Imperatori hoc Sacramentum vt faciant; hoc consentio, atque permitto: sed vt Ludouico eius filio hoc peragatur, nec ego, nec omnis nobilitas Romanorum consentit.* Tunc demum in eadem Ecclesia sedentes, pariter, tam beatissimus Pontifex, quam magnus Rex, & omnes Archiepiscopi, & Episcopi, stantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum, & Francorum Optimatibus, fidelitatem Domino Lothario magno Imperatori, semper Augusto promiserunt.

tijt. Qui datis ei monitis salutaribus ne à Sede Romana vnquam recederet ad vltimum sub iunxit eum quoque nō multos dies post suum discessum viuere. Quæ quidem in re non fuit falsus, quia & Methodius octauo mense post illius decessum excessit ex hac vita.

Post hæc verò Ebbo quidam, & Bartholomæus Archiepiscopi, qui pro criminibus suis priuato honore ab Ecclesia fuerant expulsi, à sanctissimo Pontifice postulabant, vt eos reconciliare, ac pallium eis tribuere dignaretur. Quos idem Præsul, nec communionem inter clericos dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent.

Per idem tempus cum Ludouicus Rex Romæ degeret, Siconulphus Beneuētanorum Princeps, magno cum exercitu Romam venit. Quem cum prædictus Rex honorificè suscepisset, omnia pro quibus venerat, ipsi indicauit. Cui Rex gratanti animo quidquid petierat, tribuit, atque concessit. Et cum simul Franci, & Longobardi, ac Beneuentani congregati fuissent, facta est ingens populi multitudo, ita vt omni ex parte Roma circumdata videretur: quorum multitudine omnia sata deleta sunt. Ipse verò Siconulphus ardenti pectore præcipuū desiderabat videre Pontificem, & ab eo benedictionem accipere. Quem Præsul cum suscepisset, solo prostratus, preciosos eius pedes humiliter est osculatus: & ab eo benedictione suscepta, ab eius aspectu alacriter, Deo gratias referens, regressus est.

His omnibus finitis, ipse excellentissimus Rex Ludouicus ampla cum lætitia Papiam reuersus est, vbi ab exordio Principatus sui culmen regebat. Tunc verò læti omnes cum coniugibus, ac liberis suis, Senatus populusq; Romanus, tam ingenti malo liberati, & à iugo seruitutis redempti, sanctissimum Præsulem Sergium, velut salutis auctorem, ac restitutorem pacis venerabantur. Ille tamen non suæ virtuti rem gestam, sed diuino muneri deputabat. Conuersusq; ad exornandas Ecclesias more prædecessorum suorum, multa dona obtulit, multa vetustate collapsa ædificia restaurauit, multorum Sanctorum corpora, in locum honoratiorem transtulit, eorumq; sepulchra, altaria, atque Oratoria, auro, argento, marmoribus, atque picturis preciosis exornauit. Cumq; Sedem Apostolicam triennio gloriosissimè rexisset, ex hac luce plenus meritis, & bonis operibus subtractus ad æternam migrauit requiem. Fecit autem ordinationem vnam in Mense Martio, presbyteros octo, diaconos tres, Episcopos per diuersa loca, numero 23. Et sepultus est in basilica B. Petri Apostoli.

Pridie Idus Aprilis obijt. Eademq; die suffectus est Leo IV.

Primum Concilium tempore Sergij II. Bellouacense, quo Rhemensi Ecclesiæ, post depositionem Ebbonis, datus est Archiepiscopus Hincmarus, decennio iam elapso: Hic fuit monachus Benedictinus in monasterio S. Dionysij prope vrbem Parisiorum, sed à Carolo Caluo Rege, tum propter litteras eruditas, & sanctiorem vitam, tum propter parentum suorum nobilitatem, & merita in aula Ludouici Imperatoris promotus. Qui Episcoporum congregatorum authoritate procurauit, ordinem, & statum monasticum, deprauata quorundam vita collapsum, in pristinum nitorem, & rigorem in monasterio S. Dionysij redigi. Quam reformationem ipse primus subire voluit.

Anno Dom. 845.

Secundum Concilium Meldense, contra laicos rerum Ecclesiasticarum detentores celebratum, sub Carolo iuniore Rege Francorum, in quo conscriptis Capitulis 88. ante omnia, iniquitatem temporum, hominumq; fideliū mores corruptissimos deplorarunt, causamq; malorum omnium, quibus illo tempore

Anno Dom. 845. 15 Kal. Iulij. Dani seu Northmāni, Rothomagum eo tempore caperant &

totam Franciam populabantur & vrbem Parisiorum ipso die Paschatis vastarunt quia nimia peccata in populo dominabantur.

vniuersa Gallia à Northmannis alijsue barbaris nationibus infestabatur, sacrilegio Regum Francorum attribuerunt, qui laicis hominibus bona Ecclesiastica possidenda tradebant.

Anno Dom. 846.

Tertium Concilium Parisiense, quo Canones Meldensis Concilij confirmati sunt, atque approbati, cum eos anno superiore Carolus Rex acceptare noluisset, rogatu optimatum suorum, qui ab eo Abbatias, aliasq; res Ecclesiasticas in beneficium acceperant. Rexq; postea parere Northmannis coactus est, qui Episcopis obedire noluit.

Anno Domini 847. Lotharij 7. Michaelis III. 6.

Hoc Anno Athulphus Angliæ Rex, Romam ad limina Apostolorum venit, fecitq; Romanæ Ecclesiæ eam etiam insulæ partem Vectigalem, quam Egbertus pater eius ad regnum adiunxerat. Vt singuli singulos denarios quotannis Romano Pontifici ad diem festum Apostolorum Petri & Pauli soluerent.

LEO IV.

Natione Romanus, ex patre Rodoaldo, sedit annos octo, menses tres, dies 5. Hic adeo Catholicus, & Apostolicus vir, multæ patientiæ, multæq; humanitatis extitit: largus, pius, innocens, benignus, amator iustitiæ, suæ plebis feruentissimus gubernator, diuinarum quoque scripturarum indeficiens perscrutator, vigilijs, & orationibus sẽper intentus; in cuius etiam beatissimo pectore, iuxta illud, quod in sancto Euãgelio legitur, & serpentis astutia, & simplicitas inhabitabat columbæ. Erat enim totius sanctitatis decore repletus, amator religiosorum hominum, Deoq; in omnibus assiduò famulantium, nutritor pauperum, & contemptor sui.

Hic primum à parentibus ob studia litterarum, in monasterio B. Martini Cõfessoris Christi, quod foris muros huius ciuitatis Romanæ, iuxta Ecclesiam B. Petri Apostoli situm est, quousque sacras litteras pleniter disceret, sponte concesserat. Vbi in studio quoque sanctæ conuersationis, non quasi puer, sed velut perfectus monachus mansit, & cæteris exemplo fuit. Cuius piæ conuersationis fama diuulgata, etiam ad aures beatissimi Papæ Gregorij peruenit, qui eum ex monasterio euocatum in Lateranensi Patriarchio collocauit, & in suo semper seruitio esse præcepit, & breui subdiaconum fecit. Sergius Gregorio succedens ob vitæ probitatem presbyterum eum consecrauit, eiq; titulum Sanctorũ Quatuor Coronatorum largitus est, vbi se in operibus misericordiæ mirificè exercuit.

Sergio ex hac vita sublato, Romani, & repentina morte Pontificis, & deuastatione suburbiorum agrorumq; per Sarracenos facta, consternati, cum pari deuotione, communiq; consilio de futuro Pontifice consulerent, confestim fama Leonis, & merita per totum Vrbem diffusa est, ita, vt nondum is, qui obierat Pontifex ad sepulturam debitam deportatus fuerat, & iam omnes à nouissimo vsque ad primum, vna voce, & vna voluntate Leonem ad Pontificatum deposcerent. Pergentesq; cum gaudio, & lætitia ad Ecclesiam in qua degebat, inde eum coactum, & inuitum extrahunt, & cum hymnis laudibusq; ad Lateranense Patriarchium perducunt, & morem antiquum obseruantes pedes eius osculantur. Cæterum sine Imperiali auctoritate consecrare eum non audent, ne iterum, vt alias ante, ab hostibus Vrbs obsessa foret. Et tandem timore excusso sine permissu Principis eum consecrarunt. Qui pietatis suæ memor, in primis Ecclesias à Sarracenis spoliatas, tum alias quoque vetustate collapsas exornare aggressus, donis eas inæstimabilibus, in auro, argento, & veste pretiosa ditauit, & reparauit, sperans æternæ futuræ retributionis mercedem.

Huius beati Præsulis tempore, terræmotus in Vrbe Roma per Indictionem factus est decimam, ita vt omnia elementa concussa viderentur. Serpensq; diri generis, qui Basiliscus vocatur, iuxta basilicam B. Lucinæ martyris, in cauernis enatus, flatu suo, ac visu multos transeuntes homines necabat. Quod sanctiss. Pontifex audiens, ad orationes se conuertit, cum ieiunijs Dominum deprecans, vt ab eiusmodi pernicie suos fideles liberaret. Ipsoq; die Assumptionis Virginis Gloriosæ processionaliter à Patriarchio ad basilicam S. Adriani cum hymnis procedens, & canticis, atque inde ad basilicam Genitricis Dei ad Præsepe rediens, cum peruenisset ad locum, in quo basiliscus ille terris in cauernis iacebat, omnem clerum, & populum stare præcepit, & ipse ad cauernam properans, super foramen ipsius, vnde pestiferi flatus egrediebantur, intrepidus stetit, & oculos

ad cælum tetendit, profusis lachrymis Christum Deum inuocans, vt ab eo loco diri serpentis sua potentia infectionem effugaret. Et data super populum oratione, Dei laudes ad basilicam, quam superius memorauimus, profectus est exhibere. Ab eo autem tempore pestifer basiliscus effugatus, atque ex ipsis antris proiectus fuit, vt nulla amplius læsionis macula fieret. In ipso quoque Pontificatus eius exordio Saxonum vicum ignis validus inuaserat, & domus comburere validius cœperat, ventorum flatibus exauctus, ita vt propius B. Petri Principis Apostolorum basilicæ iam appropinquaret. Quo audito beatissimus Pontifex, anxius illuc celeri cursu profectus est,& crucis signum digitis faciens,ignem accensum precibus extinxit.

Hic idem beatiss. Pontifex muros ciuitatis Romanæ celeri agilitate restaurauit, portasq; ad meliorem ornatum,& firmitatem reduxit, quindecim turribus, quæ dirutæ erant à fundamentis excitatis. Et Vaticano propter repentinas Saracenorum Italiam omnem infestantium incursiones, basilicamq; S. Petri Apostoli deprædantium, muris cincto, vrbem fecit; eamq; nomine suo dedicatam Leonianam appellauit, atque B.Petro Apostolorum Principi custodiendam tradidit. Portas in ea sex posuit, muros fortes, turres, ac propugnacula fecit,sicq; S. Petri Basilicam tutiorem reddidit, quam sub Papa Sergio prædecessore suo Sarraceni inuadentes omnibus ornamentis expoliauerant. Qui dum iterum fines Romanorum inuadere pararent,& in loco, qui Tozarum dicitur iuxta Insulam Sardiniæ morarentur, excitauit Dominus corda Neapolitanorum, Amalphitanorum, Caietanorumq; vt vnà cum Romanis contra eos insurgere, ac dimicare fortiter exoptarent. Itaque cum suis nauibus à locis proprijs egressi,suũ aduentum Leoni Pontifici notum fecerunt, nullam se ob rem aliam consurrexisse dicentes, nisi vt de paginis Domino auxiliante victores existerent. Tunc demum venerabilis Papa aliquantos ex eis ad se Romam venire præcepit, volens specialiter scire ab eis,si eorum pacificus esset aduentus,vel non. Inter quos tunc filius Sergij magistri militum, qui erat ordinatus super exercitum, nomine Cæsarius aduenit, quos benignè in palatio Lateranensi suscipiens,causam pro qua venerunt inquisiuit. Cumq; causam retulissent,ipse cum illis magno armatorum numero cinctus, ad ciuitatem Ostiam properauit,omnesq; Neapolitanos grandi, atque eximia deuotione suscepit. Qui vt Summum Præsulem conspexerunt, pedes eius humo prostrati venerabiles sunt exosculati: vtq; meliores de Belial filijs victores existerent, summopere deprecati sunt, vt de suis sacris manibus corpus Dominicum percipere meruissent. Cumq; eum cum lætanijs omnes ad Ecclesiam deduxissent, flexis genibus Altissimum deprecatus est, quatenus orationibus suis ipse Christianorum hostes in manus resistentium tradere dignaretur. Et factis Missarum solemnijs, vniuersi ex illius manibus communionem sumpserunt. Pulcherrimas siquidem hic beatissimus Præsul orationes, & Collectas in Apostolorum Petri, & Pauli honorem composuit, quibus Ecclesia Romana hodie vtitur, & quarum vnam tunc super eos multis cum lachrymis obtulit Deo, Domino Exercituum. Die verò altera, postquam à iam dicta ciuitate venerabilis Præsul reuersus est, barbari iuxta littus Ostiense multis cum nauibus apparuerunt; contra quos Neapolitani impetum facientes, iam triumphum accipere sperabant, cum subito validus ventus consurgens, naues vtrasque confestim diuisit, & Sarracenos ingenti procella submersit in oculis Christianorum. Ex quibus nonnulli per insulas nostras è naufragio euadentes famis laborarunt penuria, à nostrisq; hominibus interfecti sunt. Cæteros causa testimonij viuos comprehendentes. Romam duxerunt: quorum ne multiplicaretur numerus nimium, proceres Romani prope portum Romanum multos in ligno suspendi iusserunt. Reliqui circa murum diuersa artificum opera, ferro constricti suis laboribus iuuabant, & onera portabant. Pontifex verò pro obtenta victoria gratias Omnipotenti Deo exsoluere cupiens conuocatis, omnibus Romanis ad Ecclesiam B.Petri, hymnos deuotè Missarumq; solemnia decantauit. Congiarium Clero, & nobilibus Romanis dedit, pauperes, viduas, pupil-

Anno Leonis Papæ quinto, Ludouicus Lotharij Imp. filius in Italiam veniens, liberauit Beneuentum ab incursionibus Sarracenorum. Quos omnes, qui Beneuentum vrbẽ possidebant, ipso die vigiliarum sanctæ Pẽtecostes, extra vrbẽ duci, atque ad vnũ iugulari iussit. Inter quos Massar etiam eorum Dux capite cæsus est. Postea vocatis Longobardorũ Ducibus Radelchi, & Siconulpho, totã Prouinciam Beneuentanam inter illos æquo iure partitus est.

Hic Sãctissimus Papa, Sanctorum martyrũ sepulchra deuota mente, ardentiq; animo assiduè visitabat, quos vigilijs sacrisq; orationibus pro cuncto Orthodoxæ fidei populo exorabat.

Cum in Asia, temporibus illis, & in Africa, atq; nostra Europa maiori ex parte dominaretur gens perfida Sarracenorũ maximè Cordubensis Ecclesia martyribus illustrata fuit, quorũ ago-

pupillosq; perpetuo fouit, Corpora SS. Martyrum in Cæmiterijs inuenta in Ecclesijs honorificè collocauit. Captos à Sarracenis data pecunia redemit. Mores Ecclesiasticorum paulatim labantes emendauit. Corsorum populos Sarracenorum excursionibus vastatos in ciuitatem Portuensem recepit, quā, & egregiè muniuit, & miseros illos exules vineis, pratis, agris, armentis, & gregibus animalium diuersorum donauit, obstrictos Sacramento, vt Pontificibus, & populo Romano semper fideles essent.

Præterea alias ditionis Romanæ ciuitates, sed imprimis Hortanam, & Amerinam quarum muri, & portæ præ nimia vetustate vsque ad solum ceciderant, idem venerabilis Papa nouis propugnaculis, ac turribus muniuit, & à fundamentis muros in circuitum erexit, Centumcellense quoque castrum à barbaris toties diuexatum, & iam ab habitatoribus derelictum diligenti studio, ac cura permuniuit vrbe duodecimo milliario ab antiquis ruinis erecta, in loco per somnium sibi diuinitus ostenso, cui ex nomine proprio Leopolim nomen imposuit, in noua Ecclesia Missarum solemnia pro gratiarum actione ritè persoluens, & muros pedes cum litanijs, & orationibus ter circumgyrans, commendansq; Omnipotenti Domino populum, & Ciuitatem diuinitus demonstratam, ne vnquam ab hostibus capiatur, vel inuadatur.

nes, & ipse Martyr inclytus Eulogius. S. presbyter Cordubensis pulcherrimè descripsit, vt à Consule Habdarrahgmano, & Eunucho Clauiculario Nazar morti destinati, Machometum detestati, Christum Dominum, verum Deum confessi sunt. ita frequentes, & numerosi in discrimen se offerentes, vt Gentiles tot millia martyrio destinãdo imminutionem, & excidium Reipublicæ suæ arbitrarentur, rogarentq; Christianos ne se amplius ob confessionem Christi in discrimē vitæ immitterent. Quia non solum strenui milites ex monastica exercitatione vocati sunt ad certamen, assueti aduersus dæmones dimicare, sed imbelles etiam sexu fœminæ, ætateq; debiles, experimento rudes, exhibitæ sunt ad pugnam à Spiritu tenellæ virgines infinitæ pene, ac innumerabiles: exceptis Episcopis Sacerdotibus, cæterisq; Ecclesiæ ministris, & laicis fortissimis Cōfessoribus.

Huius almifici Pontificis temporibus, quidam Daniel Magister militum, iniquitate occæcatus, ad Ludouicum Imperatorem pergens calumnia affecit Gratianum Romanæ vrbis Præfectum, dicens. Quem vos fidelem esse creditis, mihi soli in domo sua, nimium super Francos murmurans dixit secretè. Quia Franci nihil nobis boni faciunt, neque adiutorium præbent, sed magis, quæ nostra sunt, violenter tollunt. Quare non aduocamus Græcos, & cum eis fœdus pacis componentes Francorum Regem, & gentem de nostro Regno, & dominatione non expellimus? Quo audito Imperator, immenso furore accensus, sine literis ad Romanum etiam Pontificem, & Senatum directis, Romam venire celeriter procurauit. Quem tamen venientem Domnus Leo Papa honorificè, sicut mos est, super gradus maiores B. Petri Apostoli residens suscepit, & mellifluis prædicationis verbis placare cœpit. Quadam verò die ipse Imperator cum sanctissimo Pontifice, omnibus Romanis proceribus, pariter, & Optimatibus Francorum, in domo quam beatæ memoriæ Leo III. Papa, iuxta Ecclesiam B. Petri Apostoli fecerat, sedentibus; de prædicta accusatione placitum habuit. Tunc Daniel iniqua fronte armatus, falsaq; cogitatione imbutus dixit coram omnibus. Iste Gratianus habuit mecum consilium, hanc Romanam terram de vestra tollere potestate, & Græcis tradere illam. Cui statim non solum Gratianus, verum etiam omnes Romani coram Imperatore responderunt. Mentiris, nullo modo est verum, quod dicis. Cognoscens autem Imperator, & omnis Romanorum, Francorumq; nobilitas, prædictum Danielem tale crimen per falsitatem, & inuidiam contra Gratianum dixisse, secundum Romanam legem eos instituit iudicare. Quo iudicio miser Daniel multorum verbis reprehensus, ore proprio manifestauit se falsum super eum dixisse. Ideo prædicto Gratiano ante omnes est traditus, vt quicquid de eo facere vellet, potestatem haberet. Traditumq; postea benignè à Gratiano sibi eum restitui petijt, atque sic eum de mortis periculo liberauit.

His verò peractis Imperator abijt, & sanctissimus Pontifex Leo IV. non post multos dies in Domino obdormiuit, multis bonis operibus editis 16. Kal. Augusti, Anno Dominicæ Natiuitatis 855. sepultusq; est in Ecclesia B. Petri Apostoli. Fecit autem ordinationes duas, alteram mense Decembri, alteram mense Martio, presbyteros 19. Diaconos 8. Episcopos per diuersa loca 63. Et cessauit Episcopatus mensem vnum, & dies 15.

Idem Pontifex decreuit, vt nullus laicorum dum Missa fieret, in presbyterio esset, nisi altaribus ministrantes.

Scripsit Epistolas duas. *Vnam* ad Prudentium Trecasinæ Episcopum, vt monasterium ab Adremauro constructum consecret. *Alteram* ad Episcopos Britannicæ gentis, aiens, Episcopos Simoniacos in Episcoporum Concilio esse plectendos, si ad Sedem Apostolicam appellauerint, diffinitiua sententia ferri potest.

Eorum

Eorum præterea consultationibus respondet, capitibus quinque. Præterea scripsit, *Homiliam de cura pastorali*, eiusue officio ac munere, quam per Episcopos omnibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus intimari voluit.

Anno Domini 847.

Primum Concilium Parisiense, tempore Sergij Papæ inchoatum, & tempore Leonis IV. absolutum, congregatum in causa Ebbonis Rhemensis quondam Archiepiscopi. Nam Lotharius Imp. qui per Ebbonem Patrem suum Ludouicum de Imperio deposuerat, & contra Carolum Fratrem suum odia pro Regno Franciæ prosequebatur, fauebat semper Ebboni, ne Hincmarus à Carolo præsentatus sedem eius occuparet. Sed postquam Episcopi & Rex suis litteris Leonem Papam de his omnibus quæ sub Sergio gesta fuerant in hoc negotio, certiorem fecissent, & hic ordinationem Hincmari, qui suam confessionem fidei Romam miserat, approbasset, pallio eundem donauit. Ebbo verò extorris per quinquentium vsque ad annum Incarnationis Domini 851. Vixit.

Anno Dom. 847. De Rabani patria, nomine, statu, virtutibus, studio scientia, libris ab eo editis, eius præceptoribus. Quaue ratione ex Abbate Fuldensi Archiepiscopatum acceperit, & administrauerit. Vide Nic Serarium lib. 4. Hist Moguntinæ.

Secundum sub Leone IV. Concilium Moguntinum I. Per Rabanum Archiepiscopum, pro iuribus & immunitatibus Ecclesiasticis, tempore Lotharij Imp. celebratum: in quo quid Pates congregati, per Canones 31. definiuerint, Epistola Synodalis, quæ cum subiectis capitulis missa est ad Ludouicum Germaniæ Regem, manifestè satis indicat. Vbi & mulier quædam, nomine Thiota pseudoprophetissa, quæ eodem anno vltimum diem mundi imminere prædicabat, publicè examinata, & publicis cæsa flagellis fuit.

Anno Dom. 848. Kalend. Octob. Scripta Hincmari aduersus Godescalcum edita recenset Frodoardus lib. 3. cap. 14.

Tertium Concilium Moguntinum II. Sub Rabano Archiepiscopo, contra Godescalcum hæreticum Præsbyterum celebratum; qui monachus erat, & de prædestinatione Dei praua sentiens, rationabiliter conuictus, & ad proprium Episcopum Hincmarum Rhemos transmissus est, præstito iuramento, quod in Regnum Ludouici vltra non rediret.

Anno Dom. 849. Chronicon Engolismense dicit, Tyrannum hunc, iubente Domino ab Angelo percussum interijsse anno 850.

Quartum Concilium Turonense, aduersus Nomenoium Ducem Britonum celebratum, qui ducatum Britanniæ minoris à Carolo Francorum Rege regendum & administrandum tenens, humana simul atque diuina vastabat, Episcoposque à suis Ecclesijs expellebat. Hunc Leo Pontifex per literas exhortatorias ad meliorem frugem reducere voluit, quas ille præ superbia repudiauit oblatas. Itaque auctore Laudrano Turonum Metropolitano Episcopi 22. conuocati, Pontificis epistolam quam reiecerat iterato ei miserunt, pœnam excommunicationis comminati, nisi resipiscat.

Anno Dom. 850.

Quintum Concilium Regioticinense, ad reformandos mores Ecclesiæ celebratum, sub Lothario atque Ludouico Augustis. Præsidentibus Augilberto Mediolanensi Archiepiscopo, Theodemano Aquiliensi Patriarcha, & Iosepho Episcopo Archicappellano. Vbi 25. Capitulis ab Episcopis conscriptis addidit Imp. Lotharius adhuc quinque capitula pro reformatione sæcularium.

Anno Dom. 850. Tyrannus hic cum stipitibus pendentia martyrum corpora intueretur, & centum statim concremari iussisset statim obmutuit, & nocte eadem interijt.

Sextum Concilium Cordubense, in quo Episcopi lapsi & à fide metu mortis deficientes, Martyrium vetuerunt, & cultum Sanctorum Martyrum sustulerunt in gratiam Regis Sarracenorum Machumetani, qui tum temporis Episcopum Cordubensem cum vniuerso clero & alijs pijs fidelibus innumeris, suam pietatem detestantibus, martyrio affecerat. Impium synodale decretum refutauit doctissimis suis commentarijs Eulogius, quos *Memoriale Sanctorum* inscripsit.

Septimum Concilium Moguntinum III. Sub Rabano celebratum cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Boioariæ & Saxoniæ de resoluendis quibusdam quæstionibus Ecclesiasticis, quarum nulla memoria exstat.

Anno Dom. 853.

Octauum Concilium Suessionense, reprobatum, celebratum autem in causa eorum, qui ab Ebbone Rhemensi Archiepiscopo ordinati fuerant, cum iam Hincmarus Ecclesiam Rhemensem Ebbone condemnato regeret. Quare Synodus clericos ab eo ordinatos damnauit, vt patet apud Frodoardum *Hist. Rhem. lib. 3. cap.* 11. Synodum autem damnauit Nicolaus Papa Epistola Decretali 46.

Anno Dom. 853.

Nonum Concilium Romanum 67. Episcoporum, in quo Anastasius presbyter, tituli B. Marcelli est depositus, quod propria parochia relicta, in aliena per multa tempora, id est annos quinque immoraretur, & vocanti Pontifici, vt rediret

non

non obtemperauisset, sed in Aula Imperatoris manens modos omnes quereret, quomodo Pontificatum obtinere potuisset. Pro disciplina autem Ecclesiastica in eodẽ Concilio scripta sunt Capitula 38. ex superioribus concilijs reassumpta.

Anno Dom. 854.

Decimum Concilium Constantinopolitanum, quo Gregorius Syracusanus Episcopus damnatus est, auctoritate Ignatij Patriarchæ, sub ratificatione Romani Pontificis. Sed depositus Episcopus, malis artibus operatus est, vt Ignatius à sua sede expelleretur, & Photius Eunuchus laicus intruderetur.

Anno Dom. 855. 6. Idus Ianuar.

Vndecimum Concilium Valentinum 13. Episcoporum in Gallia celebratum, qui conscriptis 33. capitulis, nil aliud in Ecclesiam inducendum esse censuerunt, quam quod Sanctissimi Patres Doctores Ecclesiæ fideles, omni sinceritate docuissent ante aliquot sæcula in Concilio Carthaginensi in Africa, & Arausicano secundo in Gallia. Nimirum bonos non nisi per gratiam Dei saluari: malos verò per suam iniquitatem damnari: non ideo, quod (vt hætetici aiebant) boni esse non potuerunt, sed quia esse noluerunt.

Anno Dom. 855. 4. Febr.

Vltimum Concilium Ticinense, Cisalpinorum Episcoporum, in causa disciplinæ Ecclesiasticæ celebratum. In quo Ludouicus II. Imp. capitula quædam suis Episcopis de statu sui Regni considerare præceperat, vt ex rescripto consultationis patet.

Error popularis de Ioanna Pseudopontifice, dicta Papissa, cum à multis viris prudentibus confutatus est, tum maximè à Baronio iudiciosissimo, atque diligentissimo Scriptore. Et Seuerino Binio exactissimo antiquitatis Historiarum indagatore. Qui nec in Mariani Scoti, nec in Martini Poloni antiquiss. codicibus manuscriptis huius imposturæ mentionem repererunt, sed nunc primum cum iam typis scripta eorum apud Basilienses hæresi nouatorum maculatos prostare cœperunt. Nec adeo imprudens, aut vecors quispiam erit, qui affirmet, resistẽtibus legibus omnibus, & consuetudinibus electionũ Sũmorum Pontificum, potuisse fœminã re vera, quorũuis suffragijs accedẽtibus, esse Pontificem Maximum, immo nec minoris ordinis clericatu initiatum. Cum tamẽ de more & consuetudine antiqua Presbyteri aut Diaconi eligerentur, huius vel illius Ecclesiæ in vrbe existentis. Semperque in more fuit

NOTA Fabulam, seu verius impudentissimum commentum & calumniam hæreticorum de IOANNA PAPISSA. de qua alij dicunt, quod in sede Pontificia sederit, post S. Martinum Pontificem, alij post Stephanum V. alij deniq; post Leonẽ IV. Vnde, cum de tẽpore inter se non conueniant, non est illis credendum.

Præterea, primum huius fabulæ asserunt esse auctorem Marianum Scotum, deinde Martinum Polonum. Sed in vetustissimis codicibus manuscriptis, tam Mariani, quam Poloni, hæc fabula non reperitur: ergo apparet impostura hæreticorum eam vtrique authori insertam fuisse: & postea à maleuolis exscriptam & propagatam. Error enim errorem trudit, vt vnda vndam, dum parum cordati aut sensati scriptores, aliorum authoritates inconsiderate & oscitanter, suis lucubrationibus interserunt.

Tertio, dicunt hanc fæminam fuisse Anglam Moguntinam, & Athenis diuersis scientijs eruditam, Romæ per triennium publicè docuisse. Quod totum non concordat cum æquitate ac veritate. Quia & in Anglia nulla Moguntia reperitur: & in Germania Moguntiæ, Anglo patre aut matre nata, Angla nequaquam vocari poterat, sed Germana merè. Et Athenis Philosophiæ operam dare non poterat; quia tunc iam Athenæ dirutæ fuerant, vix rudera aliqua extabant, vt patet ex scriptoribus Græcis. Demum & Romæ profiteri non poterat, quia nullæ scholæ publicæ extabant, nulla Academia: sed in Patriarchio Lateranensi iuuenes honestissimi & in monasterijs erudiebantur; altioresque scientiæ priuatim à Sacerdotibus discebantur, ex lectione Sanctorum Patrum. Martinusque Polonus post tempora Leonis IV. plusquam quadringentis annis vixit, scribere eiusmodi nugas per se certè ausus non esset, cum & vir religiosus fuisset, putà Instituti Diui Dominici professus; & famam suam tam turpiter prostituere per commenta mendacia haud quaquam voluisset, cum in Archiepiscopum Gnesnensem electus, primariam in patria dignitatem gestare debuisset. Sed quæ scripsit, apud Nicolaum IV. Pont. Max. Pœnitentiarij munus gerens, ita scripsit, vt matri suæ Ecclesiæ Catholicæ, quæ nullum næuum, nullamque rugam habet, nullam quoque ipse maculam affingeret. Sed tum demum in opere eius hæc fabula apparuit, cum hæreticorum cura, ex Heroldi Basiliensis typographi prælo, anno Domini 1550. in lucem prodijt. Ille verò opus suum ex antiquioribus scriptoribus collegit, qui vel temporibus Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. atque aliorum Pontificum vixerunt, vt Anastasius Bibliothecarius, Lupus Abbas Ferrariensis, Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, Eulogius presbyter Cordubensis, cæteriq; infiniti. Vel vicino statim sæculo, vt Ioannes Diaconus,

Ado

Ado Viennensis, Regino, Luitprandus, Hermannus Contractus & Lambertus Schaffnaburgensis, qui omnes ante Marianum Scotum vixere annis fere ducentis, & nullus ipsorum huius fabellæ vel vno verbo mentionem fecit.

Quarto, quod ad Pontificalem dignitatem nemo eligebatur, nisi in aliqua Ecclesiastica dignitate constitutus, & Clero Romano, Senatui, populoque bene notus ex moribus, vita, probitate, & parentibus. Et propterea antiqui manuscripti Indices Pontificum vsu obseruarunt, vt patriam & patrem cuiusque Pontificis præmitterent primo, antequam res ab eo gestas connotarent, aut stilo exornarent.

Quinto, cum ad electionem Pontificis, non Clerus tantummodò sed & Optimates & populus vniuersus concurreret, non puto Romanos ita stupidos fuisse, qui alias omnes reliquas Europæ nationes ingenio superabant, vt sexum virilem à muliebri discernere non potuissent. Nec adeo leues, vt ad apicem tantæ dignitatis, personam vagam, incertis laribus, & parentibus ortam, nullis fortunis, nullo titulo auctam, & nuperrimè in vrbe comparentem, absque præuio examine & disquisitione promouerent, cui suam salutem & fortunas gubernandas committerent? præsertim cum iam ipsi sub Imperatoribus nequaquam degere vellent.

cum Pontifex eligeretur illius patriam & Patrem nominare, totamque illius enitam probe actam publicæ narrare & merita in Ecclesiam. Fœminam vero nuper ad vrbem venientem à nemine cognitam incertis parentibus natam, linguam & mores Romanos non callentem, deberunt eligere? hoc propriè contra rationem est Sed videndus est Panuinus qui putat hāc fabulam de Ioanna fæmina Papissa ortū suum habuisse ex improba vita Ioannis XII. Papa apud quem mulier quedā Ioanna nomine plurimum authoritatis habebat & quasi omnia sola gubernabat.

Ad extremum, cum hæretici dicunt Ioannam Leoni IV. Successisse & Pontificatum annis duobus mensibusque quinque tenuisse, quomodo Lotharium Imperatorem & Ludouicum eius filius Regem Italiæ, hæc permisisse probabunt, qui vt ius eligendi Pontificis liberum hactenus, Romanis eriperent, Anastasium presbyterum à Leone IV. depositum in aula sua fouebant, & statim ab obitu Leonis, eum omni conatu intrudere in sedem Apostolicam nitebantur, cumque Clerus & Proceres cum populo vniuerso Benedictum III. presbyterum S. Callisti vnanimi consensu elegissent, eum Pontificali solio deturbare conabantur? Quid nō eiecissent Pseudopapissam? Romanis ignotam, & nullis amicitijs aut clientellis, ne dicam opibus aut meritis fultam? Sed nugas relinquamus nugatoribus seu Nouatoribus; rerum autem seriem & progressum in successione Pontificali, ex vita Benedicti III. diligentius perpendamus.

BENEDICTVS III.

Natione Romanus, ex patre Petro. Sedit annos duos, menses sex, dies 10. vir doctrina præclarus, modestus, sobrius, & sermone parcus, à puero in Lateranensi Patriarchio enutritus. Quem cum Papa Gregorius videret eruditum & proficuum Ecclesiæ, fecit eum Subdiaconum in Sancta Romana Ecclesia. In quo ordine plura sacræ conuersationis certamina habuit, vicitque carnem & mundi principem, & omnia eius argumenta nequissima. Vbi verò Gregorius Præsul migrauit ad Dominum, Sergius ei successit, atque deinde Leo, qui eum diligens ob præclaram sanctimoniam vitæ, nutu diuino, cum titulo Callisti presbyteri decorauit honore. Cuius virtutis magnitudo in tantum deinceps refulsit atque refloruit, vt in omnibus beatissimus meritis & opere haberetur: nam & ieiunijs erat validus, & orationi assiduus persistebat, & caduca mundi spernens, peruigil quotidie diuinis laudibus immorabatur. Leone itaque ex hac luce subtracto, mox simul omnis Clerus, istius Romanæ à Deo protectæ sedis, vniuersique Proceres cum populo Romano congregati, Domini clementiam exorarunt, vt beatificum illis dignaretur demonstrare pastorem, qui culmen Apostolatus regere valuisset tranquille. Diuinitus igitur, & æthereo tunc lumine inflammati, ad Callisti titulum properantes, Domino illum Omnipotenti (vt solitus fuerat) inuenerunt fundentem orationes, & vnanimi voce salutauerunt Pontificem. Qui multis cum lacrymis genua flectens deprecabatur illa densissima agmina flebili voce dicens. *Non me à mea deducatis Ecclesia, rogo, quia tanti culminis non sufficio sustinere onus, nec baiulare grauamen.* Illi verò nullatenus acquieuerunt, sed vi ex eodem titulo abstrahentes, cum hymnis & canticis spiritalibus, ampla exultatione & ineffabili gaudio

Anno Dom. 855. 24. Iulij. Michaelis in Oriente anno 14. Lotharij in Occidente 15. Qui anno eodem relicto Imperio atq; Regno diuiso Pruniacense ingressus est monasterium. Vbi coma deposita habitans, sancta relig. accepto habitu fit monachus. Demum eodē an. 4. Kal Oct. Spiritum Deo reddidit.

in Patriarchium Lateranenſe perducentes, in Pontificali ſolio poſuerunt.

Hiſq; ita peractis, Clerus & cuncti Proceres decretum componentes, proprijs manibus roborauere, & vt priſca expoſcebat conſuetudo, inuictiſſimis Lothario ac Ludouico deſtinauere Auguſtis. Qui autem iſtud deducebant decretum legati fuerunt hi, Nicolaus Anagninæ Antiſtes Eccleſiæ, & Mercurius Magiſter militum; Iſti obuiantes Arſenio Eugubij Epiſcopo, cœperunt confabulari ad inuicem, qui eos callidis ſermonibus leniens, corda eorum mollire cœpit, & conſilium dare, vt omiſſo Benedicto electo, depoſitum anathematizatumq; Anaſtaſium Pontificatus infula perornarent. Euntes itaque & decretum Ludouico Cæſari dantes, duplici quam in mentibus gerebant, intentione Romam reuerſi ſunt; aduentumque Miſſorum Imperialium nuntiantes, epiſtolas eidem inſigni obtulere electo, quibus Auguſti continebantur reſponſa. Qui & omni Clero, & Reipublicæ cœtibus, diris machinationibus conſilium, quod (vt retulimus) cum Arſenio Eugubino Epiſcopo ſtatuerant, adimplere cupientes, dicebant. Omnes Imperialibus obuiam ſimul nobiſcum exiſſe ſtudete legatis, quatenus Auguſti iuſſionibus obedientes exiſtere valeatis. Poſt aliquot quoque dies ipſi, quos pronuntiauere Imperiales miſſi, Hortam, quæ quadraginta milliaria Roma diſtat peruenere. Ex quibus in eam Adelbertus, Bernarduſque Comites ingreſſi, cogente Arſenio Epiſcopo, ſe coniunxere Anaſtaſio presbytero, à Leone ſanctæ memoriæ Præſule, ritè & ſecundum ſacrorum Canonum rigorem depoſito & anathemate vincto, meditantes qualiter eum Apoſtolico culmine ſubleuarent, contra veterum traditiones & ſanctiones Pontificum. Nicolauſq; Epiſcopus, & Magiſter militum Mercurius, qui cum decreto electionis Benedicti, apud Ludouicum fuerunt, quaſi obuiam, eius Miſſis properantes Hortam adierunt, & ſpreto Sacramento quod almifico Benedicto præſtiterant, ſe damnato Anaſtaſio coniunxerunt. Hac ſub occaſione, multi recedentes ab vrbe, ſimiliter peregere, cogitantes conſilium, iuxta illud Pſaltis, quod non potuerunt ſtabilire: Vrbeq; exeuntes, properauerunt ad Hortam, iuxta baſilicam B. Leucij Martyris, inſultantes & gloriantes in ſua virtute. Cum quibus aderant, Rodualdus Portuenſis Epiſcopus, & Agatho vrbis Tudertinæ Antiſtes; qui etam Romana diſceſſerant vrbe, & eidem damnato, obſcurati ſenſu mentis & animæ, ſeſe iunxerunt.

His temporibus Corduba in Hiſpania ciuitas nouis eſt illuſtrata Martiribus vigente adhuc aduerſus Chriſtianos perſecutione Sarracenorum, qui in lapides etiam ipſos atque parietes barbara ſua crudelitate ſæuierunt, turres baſilicarum euertendo templorum arces diruendo, & excelſa pinnaculorum proſternendo, quæ ſignorum geſtamina fuerunt ad conuentum canonicum quotidie Chriſticolis innuendum. Dum autem gladio caderentur ſancti martyres in confeſſione Chriſti, nonnulli e turba gentilium venientes ſumebant lapillos ſanguine eorum aſperſos, & lymphis abluentes proijciebant in pelago, ne Chriſtianis in emolumentum exiſterent Lipſanorum.

Hoc audiens famulus Dei Benedictus electus, Gregorium, Maionemque venerabiles & in omni ſcientia prudentes Epiſcopos, ſtuduit cum epiſtolis ad Imperiales Miſſos deſtinare, ſed eos iubente Anaſtaſio vinxerunt & cuſtodibus tradiderunt eius adherentes, quod ne barbaræ quidem nationes in legatos perficere audent. Poſtmodum autem prædictus Benedictus, Adrianum Secunditerium, atque Gregorium Ducem obuiam illis direxit. Altera autem die Miſſione Imperiali fungentes, omni Clero, cunctoque Senatui, & vniuerſo populo mandauerunt, vt obuiam illis iuſſione Imperatoris trans Miluium pontem exirent. Tunc dolum neſcientes Romani, acquieuerunt omnes, & trans Miluium pontem vrbe egreſſi vnanimiter perrexerunt: properantibuſque ad Martyris iam fati baſilicam, ipſis de quibus iam ſupra meminimus Auguſti legatis, atque illi anathematizato Anaſtaſio, & plebs Romana cum Proceribus & Clerus obuiauerunt, cum quibus equitantes per Neronis campum, vrbis iam mœnibus appropinquabant, Adrianum Secundicerium, de quo ſupra retulimus, cuſtodibus Vallatum deducendo; Gratianum verò ſacri Patriarchij Superiſtam ſeu Præfectum, & Theodorum Scriniarium apprehendentes, recluſos lanceis retinebant, quod nullatenus Auguſtorum iuſſione præceptum erat, ſed hoc præſumptio infelicis Anaſtaſij agebat, qui cum potentia vi Leoninam ingrediens vrbem cum ipſis Cæſareis legatis, quam non debuerat introire Principis Apoſtolorum baſilicam, audacter inuaſit, tantaque ac talia mala peregit, qualia nec Sarracena in ea perficere manus auſa eſt. Imagines enim confregit, igniq; concremauit, & Synodum, quam ſuper Sanctuarij ianuas, beatæ memoriæ Leo Papa pingi iuſſerat, deſtruxit. Denique Ieſu Chriſti, eiuſq; ſemper Virginis Ge-

Genitricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima deiecit. Pro quo detestabili opere cuncti Orthodoxæ fidei cultores lachrymas fundentes ingemiscebant, tristitiaque replebantur & mœrore.

His ita peractis, hostili virtute ipse Anastasius depositus Romam ingreditur, celeriterque ad Lateranum cum suis iniquissimis sequacibus properans, telorum generibus ianuas Patriarchij aperuit & introiuit, solioque resedit. Et cuidam Balneoregiensi Episcopo, qui vocitabatur nomine Romanus, præcepit vt almificum Benedictum, quem omnis Romana plebs elegerat, Pontificali in quo residebat eijceret solio. Qui etiam vestimenta Pontificalia, quibus indutus erat, vt barbarus, tulit atque spoliauit, multisque eum iniurijs verberibusq; affecit. Tunc ipse Anastasius, eundem Benedictum electum, non humana sed Dei virtute custodibus acribus, qui eum constringerent, tradere studuit, Ioanni scilicet Adrianoque dudum presbyteris, qui à Leone præside pro illorum criminibus damnati fuerant, atque depositi ex omni sacerdotali officio. Mox vniuersa vrbs vlulatu, amplisque repleta est fletibus, & graui mœrore quassatta iacebat; illicoque omnes Episcopi, Clerusque ac Dei populus Sancta Sanctorum ingressi, tundentes pectora sua profusis cum lachrymis inter vestibulum & altare prostrati iacebant, Dei orantes maiestatem, vt è tanta erroris caligine, sua eos victrice dextera liberaret. Septimæ tum feriæ cursus peragebatur. Altera autem die prædicti Episcopi, cum vniuerso Clero ac populo in Aemilianæ, titulo conuenerunt, vbi etiam Cæsarei legati fremente, magnaq; superbia tumentes comparuerunt, & impetu facto, absidem in qua Episcopi psallentes residebant cum Clero, leones velut ferocissimi conscenderunt, erectisque baculis eos conabantur elidere, ensibusque punire, dicentes. Adquiescite, & vestro consensu pontificali Anastasius culmine subrogetur. Illi verò sancto repleti Spiritu affirmantes dixerunt. Nequaquam in depositum, & anathemate à sancto Præsule, beataque Synodo vinctum consentimus, sed modis omnibus abijcimus à cæteris & segregamus. Ipsi denique furibundi, verberibus eos tormentisque dicebant velle punire. Sed Antistites sacri, & qui cum ipsis aderant, terrores & minas eorum paruipendentes, immobiles perstiterunt. Quorum constantiã Franci cernentes, ira repleti ab eis discesserunt, & in quoddam cubiculum ipsius basilicæ sunt ingressi, diuersa consilia meditantes, in quod etiam Ostiæ, Albanique Antistites coactos introduxerunt: quos molliori sermone, blandisque adulationibus reducere decertabant, & postmodum asperis promissionibus circumdabant, quibus etiam stridula voce dicebant. Nullatenus vitam possidere potestis, sed capitali subiacetis sententiæ, nisi Anastasio gratiam consecrationis dederitis. Illi autem antea se morti tradi proferebant, membratimque lacerari, quam deposito & anathemate damnato consecrationis tribuere benedictionem. Arguebant autem eosdem Missos, & vniuersas demonstrabant sacræ Scripturæ responsiones, quatenus nullatenus eundem Depositum, in ordine quem poscebat, constituere valuissent. Protinus itaque lingua eorum secretius confabulantes, furor qui inter eos exuberabat, videbatur mentibus eorum expulsus esse.

Sub id tempus obijt sanctissimus vir in Germania Rabanus Archiepiscopus Moguntinus quem Ludouicus Imperator maxime obseruabat & consilia eius in omnibus sequebatur Cuius scripta quæ extant tanquam lucis radij excellentiam demonstrant doctrinæ. Erat enim omni planè litterarum genere egregiè excultus, triumq; linguarum Hebraicæ, Græcæ, atque Latinæ peritissimus. De quo Trithemius tradit, ipsum præter opuscula tam carmine, quam soluta oratione conscripta, Scripturã sacram à principio vsque ad finem omnem fœliciter explanasse.

Tertia verò feria lucescente, omnes Episcopi cum Clero & populo, in basilica Saluatoris quæ Constantiniana dicitur, congregati sunt, in qua omnis plebs ac populi multitudo extensa voce clamabant, Benedictum beatissimum Papam volumus, ipsumque desideramus. Quod legati Cæsarei audientes, mirabantur: videntesq; quod in Anastasium Christianitas, amorq; nullo flectebatur ingenio; in quodam Patriarchij cubiculo Episcopos conuocauerunt, atque alios sacerdotes cum Clero, cum quibus amplum agitare studuerunt conflictum. Sed illi probabilibus Legatorum superauerunt audaciam sermonibus atque doctrinis, ita vt infausta mentis eorum cogitatio, restaret contrita atque confusa. Quibus respondere non valentes, venerabilibus dixerunt Episcopis. Accipite vestrum electum, & in quam vultis basilicam eum deducite, nos verò quem depositum dicitis Anastasium ab hoc Patriarchio eijcimus, tresq; per dies ieiunium cum

orationibus celebremus, & poſtmodum, quicquid ſuperna clementia demonſtrauerit, impleatur. Almifici verò Epiſcopi clamauerunt. Eijciatur à noſtra preſentia inuaſor, atque depoſitus Anaſtaſius, & ab hoc expellatur Patriarchio, & tunc facimus quod hortamini.

Continuò itaque prædictus Anaſtaſius magna cum turpitudine de Patriarchio eiectus & expulſus eſt, vt omnes multimodas Orthodoxę fidei cultores, Domino noſtro Ieſu Chriſto perſoluerent grates. Epiſcopi autem cum vniuerſo Clero ac populo, accipientes beatiſſimum Benedictum, antea ex baſilica eiectum, ex illa parte Patriarchij in qua Clerici commorantur (nam ibi cum cuſtodibus à ſæuiſſimo fuerat Anaſtaſio collocatus, cum omni exultatione & gaudio, in baſilicam Saluatoris deduxerunt. De qua exeuntes, eum ſuper equum ouantes, in quo Leo Præſul ſedere conſueuerat, poſuerunt, & magna populi præcedente caterua, in baſilicam Dei Genitricis, quæ ad Præſepe dicitur, comitati ſunt. In qua ieiunijs & orationibus, tribus diebus ac noctibus vacantes, maieſtatem Domini multis cum lachrymis exorabant. Expletoque ieiunio, omnes qui ſe anathematizato Anaſtaſio coniunxerant, diuino compuncti nutu, ad Benedictum vnanimes conuenere: & procidentes veſtigia ipſius oſculari cœperunt, & dicebant. *Errauimus, & lubrico à te pede diſceſſimus: ſed Paſtor ſanctiſſime ſuſcipe agmina ouium per nemus errantia, ſeſſoque ſinu agniculos collige, tuiſque obumbra ſub alis.* Benedictus verò extenſis protinus brachijs, mente pura & corde benigno, omnes amplecti ſitiebat, & oſculis perornabat: quibus etiam dicebat. *Gaudete dilectiſſimi & magis exultate, quia Eccleſiam quæ ſciſſa fuerat, Chriſtus ſua virtute vnire dignatus eſt.* Hæc dicens, & his ſimilia prædicans, etiam ipſi Imperiales conuenere Legati, qui ſalubribus verbis ac mollioribus, ſecretius cum eodem electo confabulabantur. Tum ſubito vnà omnes Epiſcopi, vniuerſuſq; Clerus, & innumera populi Romani multitudo, ex eadem eum deducens baſilica, cum hymnis & canticis ſpiritualibus in Patriarchium Lateranenſe introduxerunt, & in Pontificali ſolio, de quo eiectus fuerat, poſuerunt. Denique vniuerſa congratulabatur Eccleſia, & omnis populus amplis vocibus exultabat. Præterea Dominico die diluculo, in baſilicam B. Petri Apoſtoli ab Epiſcopis, Clero, & Proceribus deductus eſt; & in conſpectum omnium Imperialibus Miſſis cernentibus, in Apoſtolica Sede, vt mos eſt & antiqua traditio, conſecratus, ordinatuſquæ eſt Pontifex. Portuenſis verò Epiſcopus prohibitus ab Eccleſia, orationem quam debuerat ſuper eum nullatenus dixit, quòd anathematizato ſe coniunxerat, ac in periurij voraginem ceciderat atque manebat. Sacriſque tunc Miſſarum ſolemnijs celebratis, in Patriarchium Lateranenſe Pontifex ordinatus reuerſus eſt.

Statimque primo Pontificatus ſui exordio, gratias pro pacificata Eccleſia Deo omnipotenti reddens, diuerſis vrbis Eccleſijs diuerſa dona in auro, argento, & veſtibus ſacris precioſis contulit. Sed in primis in baſilica Saluatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, ipſius Redemptoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, miræ pulchritudinis ex argento puriſſimo, auroque perfuſam fecit iconam, leonem, draconemque pedibus conculcantem.

Michael III. Imp. Orientis ſecundum antiquam conſuetudinem cum accepiſſet nouū Romæ creatum eſſe Pontificem, legationem ad eum miſit cum muneribus.

Huius temporibus Michael, filius Theophili Imp. Conſtantinop. & ipſe Imperator, ob amorem Apoſtolorum, miſit ad B. Petrum donum per manum Lazari Monachi, pictoriæ artis nimium eruditi, genere Chazai, Euangelium de auro puriſſimo, cum diuerſis lapidibus precioſis, & calicem ſimiliter de auro, lapidibus circumdatum, reticulo pendente de gemmis albis precioſis miræ pulchritudinis, & vela duo de olouero, cum liſta de chryſoclauo, & parua coopertoria ipſius calicis, ſicut mos Græcorum eſt. Similiter & veſtem de purpura Imperiali munda ſuper altare maius, ex omni parte cum hiſtoria & cancellis, & roſis de chryſoclauo magnæ pulchritudinis deornatam: etiam & velum de ſtauraci vnum; cum cruce de chryſoclauo, & literis de auro Græcis.

Huius temporibus Rex Saxonum, cauſa orationis veniens Romam cum multitudine populi, obtulit dona B. Petro Apoſtolo, coronam ex auro puriſſimo;

bau-

baucas duas itidem ex auro. Spatam cum auro purissimo ligatam. Imagines duas minores ex auro purissimo, Gabatas Saxiscas de argento exaurato quatuor. Saraca de olouero cum chrysoclauo. Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclauo, & vela maiora de fundato duo.

Et ipse Rex Saxonum postulante Sanctissimo Domno Benedicto Papa, vt faceret rogam in Ecclesia B. Petri Apostoli publicam de pondere auri, vel argenti librarum, Episcopis, presbyteris, diaconis, & vniuerso clero, & optimatibus Romanis tribuit aurum, populo verò minutum argentum. Et postmodum finita causa orationis, reuersus est ad proprium Regnum suum, & post paucos dies vitam finiuit, & perrexit ad Dominum.

Multum denique idem Præsul sanctarum Dei Ecclesiarum curam gerens, constituit, vt cum Episcopus, vel presbyter, aut Diaconus moreretur, Pontifex vna cum omnibus Episcopis & presbyteris, atque Diaconibus, nec non & reliquis clericis, ad eius sepeliendum corpus, & commendandam animam conueniret. Similiter etiam ipsi facerent, cum Pontifex ab hac luce migrasset; quod non solum docuit, sed & fecit. Cuius vestigia sequens successor eius in causa pietatis huius, sicut & in cæteris eum tanquam hæres deuotissimus imitatus est. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembrem, presbyteros 5. Diaconum vnum, Episcopos per diuersa loca 66. Sepultus verò est ante fores basilicæ B. Petri Apostoli.

Scripsit Epistolas Decretales duas, *Vnam* Hincmaro Archiepiscopo Ecclesiæ Rhemensis confirmans Constitutiones ab eo pro disciplina Ecclesiastica latas. *Alteram* omnibus Episcopis, in Regno Caroli Regis morantibus, præcipiens quendam clericum nomine Hubertum in multis apud Sedem Apostolicam accusatum adcitari, in cuiuscunque Dioecesi repertus fuerit, quatenus in spacio 30. dierum Romæ compareat.

Primum Concilium Carissiacum.

Pro reformandis moribus Ecclesiæ Gallicanæ, rogatu Caroli Calui Regis congregatum, cum vndique factiones, & subditorum rebelliones ebullirent: & vbique furta, deprædationes, grassationes & cædes, omniaque violentiæ ac turpitudinis genera increbrescerent.

Anno Dom. 856. Carissiacum Villa in qua tunc Rex residebat.

Secundum Concilium Moguntinum.

Sub Ludouico Imp. à Carolo Archiepiscopo congregatum, similiter ob reformando mores Ecclesiæ, cum populus vniuersus nimio horrore tempestatis inopinate, & fulminum fragore conturbatus, misericordiam Dei vnanimiter cum clero implorare proposuisset. *Vide Annales Franc.*

Anno Dom. 857. Circa Kalen. Octobris.

Anno Dom. 857. 24. Aprilis. Ludouici II. anno secundo Michaelis III. anno 16.

NICOLAVS I. Natione Romanus, ex patre Theodoro Regionario, sedit annos nouē, menses duos, dies 20. Huius insignes actus, omnibus à primordio pueritiæ suæ fulserunt, sanctisque moribus claruerunt. Tanta enim sacrorum comptus erat pulchritudine operum, vt nihil ludi, nihilque (vt pueri solent) inhonesti eum delectaret. Vacabat autem patientiæ atque sobrietati, flagrans humilitate, puritateque præcipua. Pater verò eius, cum liberalium fuisset amator artium, & nobilissimo polleret stemmate, castis eum alimentis, almificisque ritibus imbuens, litterarum studijs optimè nati mentem perornabat, ita vt nulla sacrarum species remaneret disciplinarum, quam internis conceptam visceribus suæ cognitioni traditam non haberet, ac propterea, si quos viros probatæ vitæ conspicere poterat, illis confestim adherere, cumq; illis conuersari studebat. Et quadam vice, cum patre prudentissimo viro, ad quendam religiosum accessit, qui S. Spiritus illustratione plura fidelibus prædicabat, statim animi eius magnitudinem ille intuens, amplo eum culmine potiturum dixit: ac proinde huius ordinatione, ad clericatus ordinem perductus est à patre, vt quod diuino senserat nutu, futuris temporibus impleretur. Sergiusque Papa egregia indole præditum eum audiens, parentum deducens ab ædibus in Patriarchio collocauit, &

in ſubdiaconatus conſtituit gradu. In quo mirificis obſeruationibus degens, cæleſti fruebatur amore.

Sergio verò Papa, ab hac corruptibili vita ſubtracto, Romanæ Eccleſiæ gubernacula Præſul Leo ſuſcepit, qui tantæ perſeuerantiæ fructus in eo videns, ingenti illum diaconum conſecrauit dilectione. In hoc quippe ordine eo miniſtrante, tanta illi deſuper conceſſa fuit gratia, vt ſummæ perfectionis à cunctis cerneretur rutilare virtutibus. Amabatur itaque à Clero, à nobilibus laudabatur, à plebe magnificè habebatur. Leoneque Papa defuncto, à Benedicto miræ ſanctitatis Pontifice ad tractanda negotia Eccleſiaſtica aſſumptus fuit, qui illum ſuæ adminiſtrationi ita coniunxit, vt per nullum horæ momentum ſine illo eſſe delectaretur: & quidquid Eccleſiaſticarum rerum vtilitatibus intuebatur congruere, cum eo communicans, definitioni ipſius tradebat. Benedicto verò ad extrema vitæ perducto, Nicolaus eum ſuis humeris cum alijs diaconibus, & ipſe diaconus, geſtans, proprijs manibus tumulo collocauit, dilectionis præmium pendens, quam erga eum habebat, & amoris integritatem.

Eo autem tempore inuictiſſimus Ludouicus Cæſar Roma diſceſſerat: qui cum Benedicti tranſitum cognouiſſet, condolens, concitus reuerſus eſt ad eam vrbẽ. Romano quippe tanto paſtore amiſſo, mœſtiſſimo gemitu lachrymas effundebant. Cumque Clerus, Proceres, & Optimatum genus congregarentur, ieiunijs, orationibus, atque vigilijs inſiſtentes, inceſſabilique Dominum conamine obſecrantes, vt qualem amiſerant, talem illis dignaretur oſtendere virum, quem Pontificatus culmine ſubleuarent. Hæc verò dum gererentur in baſilica B. Dionyſij Confeſſoris atque Pontificis, cum vniuerſo populo, per aliquod ſpatium horarum confabulantes, ſidereo accenſi fulgore vnanimes illum Apoſtolicæ Sedis Præſulem eſſe ſanxerunt, & celeri greſſu ad Principis Apoſtolorum Petri aulam continuo properauerunt, in qua ipſe fugiens latitabat. Dicebat enim indignum ſe eſſe tanti regiminis gubernacula ſuſcipere. Impetum verò qui aderant facientes, viribus illum & vi de eadem baſilica abſtrahentes, ſacris acclamationibus in Patriarchium Lateranenſe introduxerunt. Poſtmodum verò à nobiliſſimorum cœtibus, cunctoque etiam populo in baſilicam B. Petri deductus, Cæſare præſente conſecratus eſt, Apoſtolicaque ſublimatus in ſede factus eſt Pontifex, & Miſſarum ſolemnia, ſupra ſacratiſſimum corpus Apoſtoli beatificè celebrauit. Qui denſis optimatum populique agminibus cum hymnis & canticis ſpiritualibus in Patriarchium iterum Lateranenſe perductus eſt. Coronatur denique, Vrbs exultat, Clerus lætatur, Senatus & populi plenitudo magnificè gratulatur, octauo Kal. Maij.

Nota miraculi loco mutationem dexteræ Excelſi quod Ludouicus II exordio Imperij ſui faſtu nimio tumens, proteruum ſeſe aduerſus Romanos Pont. & contumelioſum exhibens, haud ita pridem aduerſus Benedictum euexerat per Legatos ſuos hominem ſceleſtiſſimũ Anaſtaſium Antipapam, modo ex leone agnus redditus, & ex truculento dracone manſueta columba, non ſolum ſe non immiſcuit liberæ electioni Cleri Romani, nec aliquo prætextu turbauit eam; ſed etiam electum Pontificem magnopere veneratus eſt, & tot tantiſque obſequijs proſequutus.

Tertio autem conſecrationis die cum Auguſto conueſcens, ſapienti famine reſplendebat, & finito conuiuij apparatu conſurgens, Cæſarem veluti chariſſimum ſummo cũ amore oſculatus eſt. His ita peractis Sereniſſimus Imperator inde diſceſſit, tedemque in loco qui dicitur Quintus, collocauit, Beatiſſimus autem Præſul hoc audiens, dilectionis eius compulſus plenitudine atque amoris, ad eundem locum cum Proceribus & Optimatibus properauit Romanis. Quem cum vidiſſet excellentiſſimus Auguſtus, obuius in aduentum eius occurrit, frœnumq; Cæſareis ſuis manibus apprehendens, pedes ipſe, quantum ſagittæ iactus extenditur, equum eius deduxit. Cum quo Imperiale ingreſſus tentorium, ſalubribus ab inuicem fruebantur colloquijs, menſiſq; epulis peroratis, ſpirituali alacritate cibum pariter ſumpſerunt. Cibis verò & menſis remotis, Sereniſſimus Cæſar beato Præſuli plura contulit dona: quibus ſuſceptis, equum conſcendens, vnde diſceſſerat conabatur reuerti, cum Auguſtus amore eius incenſus, conſcenſo Imperiali equo, eum deducere ſpacioſiſſimum per locum non eſt dedignatus; deſcendenſque ex equo, iterum equum Pontificis per aliquod ſpacium pedes deduxit, dulciſſimiſque ſibi ad inuicem oſculis datis digreſſi ſunt. Cæſarque ad tentorium remeans, cœptum proſecutus eſt iter, Præſul verò nobiliſſimorum cœtibus ſeptus Romam regreſſus, prædeceſſorum ſuorum exem-

plo

plo donarijs varijs & pretiosis templa vrbis ornare non destitit. Tum & aliarum ciuitatum ditionis Romanæ Ecclesias non neglexit, sed & apparamentis necessarijs ditauit, & ruinas murorum pluribus in locis restaurauit, aut à fundamentis erexit.

Huius temporibus Michael III. Imp. Constantinopolitanus ad B. Petrum Apostolum per duos Episcopos & quatuor viros Patricios, munera regia misit, Calicem de auro lapidibus preciosissimis circumdatum, & in circuitu pendentes hyacinthos in filo aureo habentem. Similiter & patinam ex auro prossimo cum diuersis lapidibus albis, prasinis & hyacinthinis. Vestem de chrysoclauo cum gemmis albis, habentem historiam Saluatoris, & BB. Apostolorum Petri & Pauli, cum nomine ipsius Imperatoris. Et alia multa dona porrigentes Pontifici, legationis verba sibi iniuncta protinus ediderunt. Porro fatus Imperator Græcorum, inuenta pro imaginum sacrarum depositoribus occasione, missos Apostolicæ Sedis per suprafatos suos legatos Constantinopolim dirigi postulauit, intentans scilicet causam Ignatij Patriarchæ, & Photij Constantinopolitanæ Ecclesiæ peruasoris; cupiens hinc eundem sanctum virum Ignatium iudicio Sedis Apostolicæ callidè per inuidiam, vt postmodum patuit, condemnare, Photiúque neophytum ipsi Ecclesiæ subrogare. Tunc Pontifex pessimæ Imperatoris cogitationis ignarus, duos Episcopos illuc, Rodoaldum scilicet & Zachariam direxit. Præcipiens, vt quicquid de sacris imaginibus quæstio afferet, Synodicè diffinirent, & ipsius Ignatij Patriarchæ, Photijque neophyti causam solemniter inquirerent tantum, & sibi renunciarent. Qui, sancti Pontificis paruipendentes statuta, corrupti pecunia more Vitalis atque Meseni processerunt; & non solum Photio neophyto contra sibi interdictam sententiam communicauerunt, sed etiam consecrationi eius fauendo, conuocata generali Synodo Ignatium virum sanctissimum è throno deposuerunt, idque factione Bardæ Patricij, penes quem summa erat administrationis Imperij, qui sanctum Patriarcham duodecimum annum iam Ecclesiam administrantem, in carcerem horrendum tyrannicè detrusit. Eo quod vir sanctissimus ei, propter vxoris insontis repudium, & cum cognata sibi sponsa consuetudinem, Ecclesia interdixisset. Legati verò Pontificij Rodoaldus Portuensis, & Zacharias Anagninus, Episcopi, quid cum Photio & Ignatio fecerunt, primò per Leonem à secretis, & prædicti Imperatoris epistolam, Pontifici Summo nunciarunt; postea ipsi reuersi, quod cũ Photio egerant, præconijs maximis extollebant, & quod in Ignatiũ nequiter operati fuerant, multis oppositionibus vituperabant. Pontifex igitur attẽto eo quod contra suã dispositionẽ processissent in omnibus, minimè verbis illorum credebat: sed tam ad Michaelem Imperatorem, quam ad Photium literis scriptis, per eundem Leonem à secretis, eas Constantinopolim misit, significans, quod nec in depositionem Ignatij Patriarchæ, nec in subrogationem Photij consentire velit, donec veritate agnita, coram se legitimum causa finem acciperet. Etenim aientibus alijs ipsius Præsulis in hoc fuisse decretum; & alijs acclamantibus Ignatium iniustè extitisse depositum, Pontifex supernum arbitrum Deum precabatur, vt per suam clementiam, quem nulla latent abscondita, patefaceret Ecclesiæ suæ, in talibus suum non fuisse consensum. Tunc zelo fretus diuino vocauit Episcoporum Concilium, & suos deuiasse legatos luculenter probans Zachariam Episcopum, qui tunc aderat, sicut olim beatus Papa Fœlix Vitalem & Mesenum Episcopos, qui Petro Alexandrino hæretica fece coinquinato coacti consenserant, sacerdotali gradu, imo Ecclesiastica communione priuauit, eo quod in pluribus Apostolica interdicta excessisse inuentus est. Et Rodoaldi Episcopi causa, quem cum Sancta Synodo pariter Papa Pius, mandata sua etiam in Gallijs violantem, & excommunicationem frangentem, iudiciumque canonicum subterfugientem damnauit, suspensa est. Ibidem quoque Diaconum quendam nomine Peponem, à Pandulpho Episcopo Sedem Apostolicam appellantem, iniustè depositum, officiò suo restitui iussit: & quia sine certo numero Episcoporum, immo sine criminis approbatione, & ipse dia-

conus

nus sine oris professione fuerat iudicatus, omnem illam iudicij sententiam cassauit, & ad rectitudinis tramitem Apostolica pietate reduxit.

Interea multi Rauennatum, qui à Ioanne eiusdem vrbis Archiepiscopo in rebus, & iuris sui proprietatibus incommoda sustinebant ad hunc beatissimum Papam, vt à tantis oppressionibus eruerentur, veniebant. Quorum clamores pie audiens, & per litteras & per legatos suos Archiepiscopum commonuit, qualiter à talibus actibus cessaret: sed ille mente confusa monita pij patris contemnens peiora prioribus addere minime metuebat. Nam quosdam temere excommunicabat, quosdam à visitatione sedis Apostolicæ auertebat, quorundam verò res siue legali indicio occupabat. Nec non & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ plurima prædia auferebat. Missos Pontificis spernebat, & gloriam B. Petri Apostoli, quantnm in se erat euacuabat. Præcepta etiam iuris S. Petri, si apud quoscunque inueniebat, frangebat, & ad ius S. Apollinaris transferebat. Nam presbyteros & diaconos, non solum sibi subiectos, sed etiam per Aemiliam constitutos, ad Apostolicam sedem pertinentes, siue canonico iudicio deponebat, & alios carceri, alios autem fœtidis ergastulis retrudi faciebat. Alios crimen quod non fecerant, scriptis confiteri cogebat. Constituta præterea Ecclesiastica absque sedis Apostolicæ consensu deprimebat. Et vocatus à Summo Pontifice Romam, se ad Synodum non debere occurrere iactitabat.

Nec mirum cur postea ista fecerit, qui cautiones & indiculos, qui soliti sunt ab Archiepiscopis Rauennatibus in scrinio fieri, in initio consecrationis suæ more Fœlicis decessoris sui falsauit. Et quædam barbara scripta, quædam verò falsa composuit. Quem eodem tempore Papa prædictus, ter ad Synodum suis litteris vocauit, & ille venire contemnens à Sancta Synodo communione priuatus est. Deinde Papiam pergens, Imperatoris Ludouici auribus molestiam intulit, solamenque mundanum quæsiuit. Tunc largiente ei Augusto legatos præcipuos, cum illis superbiæ repletus tumore Romam peruenit. Sed Pontifex almus, quia contra sacrorum Canonum leges, excommunicato ipsi legati communicauerunt, benigne eos redarguit. Illis autem, quæ egerunt defluentibus, Archiepiscopo edixit, vt in Kal. Nouemb. ad Synodum à qua fuerat excommunicatus occurreret, plenamq; satisfactionem ostenderet, nec non & tantis præuaricationibus finem imponeret. Ille autem noluit, sed retrorsum abiens recessit. Et ecce Aemilienses, ac Senatores vrbis Rauennæ cum innumero populo ad vestigia Pontificis cum lachrymis properantes rogabant, vt ad imitationem Domini nostri Iesu Christi pro recuperatione eorum non dedignaretur proficisci Rauennam, quatenus inspectis omnibus ad summam eos perduceret libertatem.

His temporibus id est secundo anno Nicolai Papæ in Gallia Scholam publicæ, vtriusque eruditionis, diuinæ videlicet & humanæ institutæ sunt. Quo etiam tempore & Constantinopoli bonarum literarum schola aperta sunt opera Bardæ Cæsaris qui solus omnia in Imperio illo moderabatur Michaele nihil de rebus publicis curante, quã theatra & certamina equorum. Atque ita ex eo tempore doctrinæ in vniuersa Christianitate reflorescere cœperunt, quæ iampri-

Itaque Rauennam sanctissimus proficiscens Papa, Ioannem Archiepiscopum non repperit ibi; qui de aduentu Papæ audiens, Papiam vsque continuò ad Imperatoris aures molestandas iter arripuit. Tum Præsul optimus, omnibus Rauennensibus, Aemiliensibus & Pentapolitanis res, quas Ioanne Archiepiscopo & Gregorio fratre eius rapientibus amiserant, clementer restituit; ex præceptionis suæ decreto, quæ retrancidit, confirmauit. Præfato autem Archiepiscopo Papiam perueniente, conciues eiusdem vrbis vna cum Luitardo Episcopo suo à Romano Pontifice consecrato, cum audiuissent illum à Summo Pontifice excommunicatum esse, in tantæ se custodiæ circumspectionem dediderunt, vt nec in suis domibus eum reciperent, nec hominibus eius paterentur aliquid venundare: ne per tale commercium saltem locutionis eorum viderentur esse participes, ac per hoc excommunicationis notam incurrerent. Et cum de assistentibus ipsius Archiepiscopi aliquos per plateas incedentes vidissent, clamabant. *Isti de illis excommunicatis sunt, non licet nobiscum illis misceri*. Tunc videns Archiepiscopus non posse se per hoc voluntatis suæ machinamenta perficere, itendidem se ab Imperatore adiuuari poposcit. Cui per internuntium Augustus respondit. *Vadat fastu deposito & se Pontifici humiliet, cui & nos, & omnis Ecclesia se inclinat, & obedientiæ ac subiectionis colla submittit: quia quod cupit, aliter minimè consequi poterit*.

Hæc

Hæc vbi Archiepiscopus audiuisset, anxiari animo cœpit, & iterum importunis precibus legatos Imperiales impetrans Romam peruenit. Cuius arrogantiam beatissimus Papa despiciens, in qua prius sententia fuerat, immobilis permansit, Augustalibus verò missis eiusmodi responsum dedit, si dilectus filius noster Dominus Imperator huius Archiepiscopi actus & mores benè cognosceret, ipse non solum pro illo nos minimè flagitaret, sed etiam vt se corrigeret, eum ad nos etiam nolentem dirigeret. Tunc multis in vnum iussu Papæ de diuersis prouincijs conuenientibus Episcopis, eidem Archiepiscopo destinauit, vt coram veniens de se plenissimam satisfactionem ostenderet, & quæ præuaricatus fuerat satius emendaret. Quod ille audiens, & se à nemine adiuuari posse conspiciens, in angustiæ lamenta & nimiæ tribulationis se contulit molestias, & quos poterat cum lachrymis implorabat dicens. Miseremini mei, miseremini mei, & clementiam summi Præsulis vt mei misereatur exposcite: quia ecce paratus sum ad omnia, quæ præceperit peragenda. Quod nonnulli videntes & audientes summo referebant Antistiti, & responsionis illius, quas lamentabili voce dabat suggestiones ad liquidum exponebant. Tunc compatientissimus Papa, Dominũ qui non vult mortem peccatoris imitatus, misericordiaque motus, præfatum Archiepiscopum ad humilitatis viam tandem conuersum suscipere decreuit. Illeque confestim appræhensa charta repromissionis & iuramenti sui, quas tempore consecrationis suæ vitiauerat scripturas, propria manu describẽs, iuxta consuetudinem antecessorum suorum composuit. Et domum, quæ dicitur Leonina, in qua beatissimus Præsul, cum Episcopis, presbyteris, proceribus & optimatibus multis astantibus residebat, ascendit, prædictasque scripturas quas fecerat, super viuificam Crucem, & super sacrum Euangeliorum Codicem posuit, easque manu tenens audientibus cunctis clara voce iurauit, se omnibus diebus vitæ suæ, ea obseruare & firmiter tenere atque perficere, quæ in ipsis scripturis continebantur. Quas etiam in conspectu omnium ore proprio legit, & postea Summo Præsuli tradidit.

dem regnantium rusticitate ac ruditate ad nihilum prorsus reciderant. Nullumque prorsus iam tunc era vestigium Athenarum Scholarum. Sed omnium philosophantiũ Dux fuerat & magister in Græcia Leo ille philosophus magnus ex fratre nepos Ioannis Patriarchæ, Thessalonicensis postea Archiepiscopus. Qui Magistrum habuit Michaelẽ Psellum, virum inter Monachos Sanctissimum atque doctissimum.

His ita peractis, in basilicam Saluatoris, cum omnibus Episcopis & Clero, altera die Pontifex descendit, & prædictum Archiepiscopum; de crimine hæreseos, quo impetebatur, expurgantem se audiuit, & communioni Sanctæ Ecclesiæ restituit; vtque sacrarum missarum solemnia celebrare possit, licentiam ei benignus indulsit. Sequenti verò die, præsidente in eadem domo Leonina Sanctissimo Papa, cum vniuerso sacerdotum & Cœpiscoporum collegio, locus iuxta morem vt resideret assignatus est ei. Interim Aemilienses astiterunt Episcopi, dantes quærimoniam in libellis eidem Archiepiscopo, dicentesque se multa præiudicia ab eo esse passos. Quæ audiens Pontifex vna cum sancta Synodo, contra Ecclesiasticæ regulæ normam talia esse censuit, ac propterea acclamante sancta Synodo corrigenda esse statuit, ne grex dominicus sibi principaliter commissus lacerandus cuiuis relinqueretur. Ipsique Archiepiscopo iniunxit; vt quolibet anno ad sedem Apostolicam personaliter accederet. Episcopos per Aemiliam non consecraret, nisi post electionem Ducis, Cleri, & populi, singularem ad id licentiam inscriptis à Sede Apostolica haberet. Nullam dationem à Clero exigeret. Sedem Apostolicam accedere volentes non impediret. Et nullius vnquam hominis res aut possessiones inuaderet, aut titulo superimposito occuparet, nisi in præsentia Apostolica, aut missi eius, legali ordine illas in iudicio conuinceret.

Huius præclari Pontificis anno tertio, scilicet Octobris trigesima Tyberis alueum suum egressus, adeo inundatione aquarum intumuerat vt templum S. Laurentij in Lucina, & templum S. Syluestri fluctibus suis repleret ita, vt ex gradibus qui ascendunt in basilicam B. Dionysij, præ multitudine aquarum, ne vnus quidem videretur. In basilica verò Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in via Lata, ne portæ quidem ipsæ Ecclesiæ poterant, videri. Multa igitur damna fecit, nam & muros & domos euertit, & agros desertauit, euellens segetes, & eradicans arbusta. Simili modo die 27. Decembr. natali S. Ioannis Euangelistæ,

ſtæ, alueum ſuum tranſcēdens, omnia fecit.

Lotharius Rex teſte Reginone relicta vxore legitima vt poſſet pellicem ſuam in vxorem ducere, Guntharium Colonienſem Archiepiſcopum rogauit vt eum liberum à matrimonio ſolueret, promittens in vxorem accipere eius neptem. Archiepiſcopus hac vana ſpe illectus Theutgaudum Treuirenſem Archiepiſcopum in ſuam ſententiam pertraxit, qui aduocatis aliquot Epiſcopis per grauem errorem, excogitatis varijs repudij cauſis declararunt Lotharium coniugio eſſe ſolutum, & poſſe adultera dimiſſa cum alia matrimonium licite contrahere. Eo quod Themperga Regina inceſtus cum fratre Hũberto commiſſi ſe ream confiteretur, & quod à patre Lothario Auguſto eidē inuito obtruſa in vxorem fuiſſee. Sed Pontifex eos qui Cōcilio illi interfuerũt excommunicauit.

Eodem præſtantiſſimo Præſule culmen Apoſtolicum gubernante Ludouicus Auguſtus B. Petro Apoſtolo dona contulit. Lotharius verò Rex, relicta Theutberga Regina, Valdradam concubinam in matrimonium ſumpſit. Super quare Pontifex intimò corde dolens, qualiter hoc malum ab Eccleſia Dei pelleret, ne huius morbi peſte Rex ille alios pollueret, diligenter cogitare cœpit: præſertim quod Theutgaudum Treuirenſem, & Guntherum Colonienſem Archiepiſcopos, cum Haganone Bremenſi, & cæteris Epiſcopis talem prædicto Regi auctoritatem & licentiam dediſſe audierit, vt ſecura conſcientia Theutbergam reijcere, & Valradam concubinam in matrimonium legitimè copulare poſſet. Vnde ſine mora miſſos ſuos in Franciam deſtinauit, præcipiens & monens, vt in Metenſium vrbe aggregato Synodali conuentu, requirerent, cur idem Rex Theutbergam reieciſſet & Valdradam in vxorem accepiſſet. Quo requiſito & inuento, legitimum finem imponerent.

Cæterum legati Apoſtolici eo peruenientes, & huiuſmodi cauſam ſcrutantes, à Lothario Rege inter cætera id audierunt. Quicquid ego feci, iſtorum Epiſcoporum conſilio vſus feci. Erant autem ibi præſentes ſupranominati Archiepiſcopi, quos authores in tanto ſcelere ſanctus iam Papa compererat, qui etiam coram Domino Papa hoc matrimonium ſe defendere poſſe ſpondebant. Cum itaque legati ſedis Apoſtolicæ, licet in multis ſeducti, Romam redeuntes, ea quæ a Rege & Archiepiſcopis ſupradictis audierant ac cognouerant, Summo Pontifici retuliſſent, Pontifexque pijſſimus Archiepiſcoporum illorum aduentum præſtolaretur, ecce illi Romam venientes obtutibus ſe illius ſacris præſentari petierunt; benigneque à Pontifice ſuſcepti, libellum ei obtulerunt dicentes, ſe nihil plus, vel minus egiſſe, niſi ſicut libellus ipſe cantabat. Quo diligentiſſime ſcrutato, non pauca in eo reperta ſunt, prophani & multis inauditi ſermonis turpitudinem habentia, quæ Epiſcopalem excedentes ordinem, ipſos ſicut phreneticos ligauerunt. Itaque conuocata Synodo in Laterano, inuenti ſunt vnde damnationis notam incurrerent: præcipuè, quia authores ſe tanti diuortij fuiſſe clamabant, & ſententiam, quam in Ingiltrudin vxorem Boſonis Papa tulerat, quæ eundem virum ſuum Boſonum, per ſeptenne tempus reliquerat, atque excommunicata etiam & anathematizata à ſede Apoſtolica extiterat, ad eum reuerti curauerant, communicantes ac conuerſantes cum ea, diſſoluiſſe ſe non negabant, ſed altiſone publicabant, & epiſtolam Pontificis ad libitum falſauerant. Tunc iudicante & decernente Synodo, à ſancto Præſule ſacerdotali honore priuati ſunt. In hac quoque Synodo, ſanctus Præſul Synodum Metenſem caſſauit, quod in ea contra Dei voluntatem & ſuam informationem omnia geſta eſſent.

Idem pijſſimus Papa omnium cæcorum, claudorum, & debilium nomina in ſcriptis retinens, quotidianum illis victum procurauit, valentibus verò mendicis ſemel in hebdomada menſam ordinauit, vt certis notis inſigniti, ſingulis diebus alij atque alij ad menſam accederent, & nullus pauper in vrbe haberetur, qui vel vno die per hebdomadam de ſuis eleemoſynis non eſſet refectus.

Interea Carolus Francorum Rex cognomento Caluus, obtulit ſancto Apoſtolo Petro, ex auro puriſſimo veſtem, habentem gemmas praſinas, hyacinthinas & albas. Sanctiſſimus autem Pontifex populum tot calamitatibus oppreſſum Deo commendans, & Eccleſiæ illius ſibi commiſſæ curam non negligens, vetera templorum ædificia renouabat cemiteriaque iam in ruina poſita pulchro ordine reſtaurabat.

Photius ſedis Conſtantinopolitanæ inuaſor, & hæreticus condemnatus à Papa Nicolao I. congrogatis ſuis Epiſcopis viceuerſa Ponti-

Et quia ſtrenuus erat in cognoſcendis atque tollendis abuſibus, ideo ex toto ferè orbe Chriſtiano ad eum concurrebant cum diuerſis quæſtionibus vt eas reſolueret, & beatificis illos inſtitutis ſatiaret. Totque diuerſis in rebus ad eum conſultationes fuerunt directæ, quot nemo vſquam reminiſcebatur à priſcis temporibus ad ſedem Apoſtolicam directas fuiſſe. Et quia in Sardiniæ Inſula paſſim inceſtas & illicitas cum proximis plebs vniuerſa contrahere ſolita fuerat nuptias,

eapro-

eapropter missis eo legatis suis, Paulo Populonensi Episcopo, & Saxone venerabilis monasterij sanctorum Ioannis & Pauli Abbate, gentem illam Sardorum à tanto reuocauit errore, licet plurimos inuenissent ex eis aduersos, qui disciplinæ monita recipere contempserunt. Quos illi secundum præceptionis summi Præsulis auctoritatem excommunicauerunt, quousque pœnitentiæ medicinam requirentes incestam copulam desererent.

Sub id etiam tempus Hincmarus Rhemorum Archiepiscopus, Rhothadum Suessonicæ vrbis Episcopum, sedis Apostolicæ iudicium appellantem, contra Sardicensis Concilij regulas, deposuit, custodiaque arcta seruari præcepit. Cuius innocentiæ libellos postquam beatissimus Papa recepisset, monens ipsum Archiepiscopum litteris, Romam eum cum suis missis dirigere iussit. Venienteq; Rhothado ad vrbem; & per nouem circiter menses, morante, nemo ex accusantium parte adfuit, qui coram sanctissimo Præsule cum eo contenderet, aut illum accusaret: tunc in vigilia Natiuitis Domini, quo die secundum veterem sedis Apostolicæ consuetudinem, Pontifex cum Clero & populo, in basilica Dei Genitricis ad Præsepe, missarum solemnia celebrare consueuerat, omnibus adstantibus & audientibus sanctissimus Præsul ambonem conscendens, fecit de ipso Rhothado publicè sermonem, significans qualiter sedem Apostolicam appellans depositus fuerit, & in conspectu suo nullus per tot menses accusatorum occurrerit; quare consentiente sibi Episcoporum, presbyterorum, Diaconorū, & omnium ferè de Clero conuentu, decreuit vt dignus esset indui sacerdotalibus indumentis. Qui vestitus indumento Episcopali, pollicitus est omni tempore: se suis infestatoribus responsurum. Cumque sic expectaret vsque ad 12. Kal. Feb. & ne sic quisquam adfuisset aduersus eum, iterum summo Pontifici libellum tradidit, cum omnibus suis in basilica Sacræ Virginis Agnetis foris muros via Numentana existenti, rogans suppliciter vt Episcopatui suo restitueretur. Et cum nemo ex accusatoribus compareret, omnium consensu, restitutionis forma relecta est, & ille consensu omnium, in Ecclesia S. Constantiæ, iuxta eandem S. Agnetis basilicam missarum officia solemniter celebrauit. Sequenti verò die, congregata in domo Leonina denuo Synodo, excusatoq; ipso, in gradum pristinum restitutus est, & ad propriam sedem cum Apostolicis sanctionibus remissus, quatenus vestitus Episcopalibus infulis, si prouocatus fuisset de cætero, suis accusatoribus, coram sedis Apostolicæ Præsule responderet. Cum quo & sanctissimus Pontifex, tàm pro restitutione illius, quàm pro abolenda Regis Lotharij copula, & pace etiam atque concordia Regum Galliarū conseruanda, Arsenium Episcopum ilico destinauit.

Placentinæ quoque Ecclesiæ Antistitem Seufredum, à sede propria cuiusdam Pauli Diaconi perfidia pulsum, per legatos suos eodem tempore Papa almificus restituit, & eundem Diaconum sedis illius proprio rectore superstite, inuasorem præsumptuosum, competenti cum suis sequacibus increpatione corripuit.

Vrbem Ostiensem contra Sarracenorum incursiones firmiori fabrica muniuit, & turribus fortissimis ornauit. Aquæductum antiquitus ruina obrutum, magno sumptu in S. Petro restaurauit. Regem Bulgarorum Michaelem per suos legatos ad fidem Christianam conuertit: qui itidem suos ad Pontificem legatos direxit, & dona non parua, tam sanctis locis, quam ipsi Pontifici misit, rogitans vt reliquum Bulgaricum populum ad veram Christi cognitionem perduceret. Quare Pontifex magnæ sanctitatis viros, Paulum Populonensem, & Formosum Portuensem Episcopos ad prædicandum genti illi confestim direxit; quibus & de Constantinopolitana Ecclesia inquirendi atque sibi nunciandi, curam commisit: quo seorsium Donatum Episcopum Ostiensem, Leonemq; Presbyterum S. Romanæ Ecclesiæ, atque Marinum Diaconum, missos suos direxit. Qui cum eo celeriter per Regnum Bulgariæ properarent, ecce in finibus Constantinopolitanorum quendam Theodorum finium custodem inuenerunt, qui eos vltra procedere non modo non permisit, sed & iniurijs innumeris affecit. Illi itaque per quadraginta dies illic morantes, vt cognouerunt, quod iussu Impera-

ficem anathemate damnauit, missiq; magnis muneribus Ludouico Regi Frãcia & vxori eius Eugilbernam pollicebatur eos Imperatores in Vrbe Constãtinopolitane se proclamaturum, si sanctum Pontificem ab Ecclesia vi eijcerent. Qua enim illi à puero insita erat mẽtis elatio, ad superbiam & insaniam maximam illam euexerat, vt absque timore & verecundia hæc audere non dubitaret. Cæterum Basilius Macedo Imperator proclamatus, missos a Photio cum anathemate Romã legatos id Nicolaũ Pontificem ex itinere reuocauit, ipsũque Photium à sede Patriarchali deiecit, inque Monasterium Humbra nuncupatum deportari præcepit. Sãctissimũ vero Patriarcham Ignatium ab exilio missa naui Imperatoria cum illustri legatione reuocauit honorificentissime, & in suum thronũ restituit.

peratoris repulsi essent, Romam reuersi sunt rebus infectis ex itinere tam longinquo. Episcopi autem ad Regem Bulgariæ destinati, magna suscepti deuotione, cœperunt salutaribus edocere populum monitis, & à minimo vsque ad maximum, sacro fonte cum Dei gratia abluerunt: omnemque ritum Christianæ fidei, sicut à sanctissimo Papa instructi fuerant, in consuetudinem Bulgarorum tradiderunt. Tunc Rex iterum legatos Romam expediuit, & pro gentis suæ instructione à Pontifice presbyteros sibi dari, Formosum verò Episcopum Portuensem Archiepiscopum Bulgariæ constitui expetijt. Dominus Papa itaque pro tanto rerum successu, infinitas Deo laudes rependens, non paucos ipsemet probans presbyteros, quos dignos reperit, prædicationis gratia in Bulgariam direxit; cum quibus Dominicum Trinensem, & Grimoaldum Polimartiensem Episcopos destinauit, vt gentem illam instruerent. Formosus verò cum Dominico (Paulo Populonensi pro socio Grimoaldo adiuncto) iterum Constantinopolim pro schismate ibi exorto, de quo superius egimus, proficiscerentur.

Sed dum hæc agerentur, Dei iudicio Michaelem Imperatorem Græcorum, vltio digna perculit, & nefanda nece peremit. Succedente autem Basilio, Photius Neophytus ac inuasor sedis Constantinopolitanæ, vt mœchus statim pellitur, & iuxta decretum Sedis Apostolicæ, Patriarcha Ignatius suo redditur throno.

Non enim quæ sua sunt, sed quæ Dei, hic sanctus Pontifex primo loco posuit & quæsiuit, & cum adiutorio S. Petri bella Domini summo dispensationis libramine spiritaliter præliari curauit. Prælatos siquidem quosque, ne subditos læderent, magna prouisione moderans, vt pater commonuit: & vt subiecti Prælatis subessent, iuxta vniuscuiusque priuilegia pastoraliter quoque decreuit. Cuius sanctum studium qui vult agnoscere, in epistolis suis, quas bene libratas per mundi partes direxit, luce clarius inuenire valebit. Quippe qui animam suam in manibus suis posuit, qui nulla nisi cœlestia cogitabat, qui ieiunijs, vigilijs, & orationibus nocte ac die vacans, nec requiem corpori, nec membra dabat sopori. Nam si cuncta, quæ Christi gratia plenus, virtutibus atque fide sanctitatis opera gessit, & moribus vitaque docuit, & impleuit, chartis inserere vellemus, prius fortasse membrana, quam sermo deficeret.

Huius quoque beati Præsulis temporibus, tanta vbertas & victuum copia extitit, vt omnem memoriam famis sui decessoris diebus factæ, obliuioni traderet. Hic fecit ordinationem vnam per Mensem Martium, Presbyteros 7. diaconos 4. Episcopos per diuersa loca numero 65. Migrauit ad Dominum Idib. Nouemb. Indict. 1. Corpus eius sepultum est ante fores basilicæ B. Petri Apostoli.

Scripsit Epistolas Decretales tam multas, vt nescio an aliquis alius Pontificum Romanorum scripserit plures: ex quibus Decreta seu Rescripta, ex Gratiani volumine per Ioannem Cochlaum in vnum collecta, in viginti Titulos sunt dispartita.

Primam Epistolam scripsit ad omnes Orthodoxos fidei cultores per Asiam & Lybiam constitutos Secundam ad Michaelem III. Græcorum Imp.

Prima verò Epistola Nicolai Papæ I. Acta Ignatij & Photij demonstrat, & ordinem temporum epistolarum perscribit.

II. Conqueritur Synodum Constantinopoli iniussu sedis Apostolicæ causam fuisse Ignatium honore priuare, & in eius locum Photium substituere. Ostendit multis rationibus laicum ad Pontificalis dignitatis gradum conscendere non posse. Promotionemque propterea Photij non vult comprobare, nisi prius causa à legatis examinetur, & ad se integra deferatur. His adiungit nonnulla de imaginum adoratione.

Tertiam ad Photiũ throni Constantin. innaserem.

III. Reseruat totam causam Photij in aduentum legatorum.

Ad omnes fideles in Oriente.

IV. Docet Orientalem Ecclesiam sine vllo suo consensu à legatis sedis Apostolicæ Ignatium depositum, Photium substitutum.

Ad Michaelẽ Imp. Græcorum.

V. Improbat depositionem Ignatij, & promotionem. Photij à legatis temere approbatam. Affert multa pro Ignatio, & contra Photium, cuius electio-

nem

nem cum Nectarij & Ambrosij promotione; aut Concilium in quo Ignatius fuerat damnatus, cum Niceno conferendum non esse demonstrat. Moneq; Imperatorem, vt Ecclesiæ perturbatores compescat, ac Epistolam suam deprauatam fuisse queritur.

VI. Diluit argumenta Photij, qui exemplo Ambrosij, Nectarij, & Tharasij se merito ex laicorum gradu ad Episcopalem dignitatem peruenisse affirmabat, eumq; tum quod laicus esset, tum quod Ignatius adhuc viueret, iniustè ad eum dignitatis gradum conscendisse demonstrat.

Ad Photium inuasorem sedis Const.

VII. Narrationis ordo de Photij depulsione, & Ignatij Patriarchæ restitutione: nec non de Zachariæ, ac Rhadoaldi dudum Episcoporum depositione, ac excommunicatione, cum Capitulis interpositis.

Legati sedis Apostolicæ pecunijs corrupti deposuerãt Ignatium Patriarcham eapropter & ipsi à Papa depositi.

VIII. Reprehendit Imperatorem, qui superbia & arrogantia inflatus multa insolentia ad Pontificem scripserat. Deinde ostendit depositionem Ignatij nullius esse momenti, quoniam à suspectis, excommunicatis, & inferioribus Episcopis fuerat damnatus. Præterea commemorat multa de priuilegijs Romanæ Ecclesiæ. Iubet ad se venire Ignatium & Photium, aut eorum legatos, si ipsi non possunt. Denique monet Imperatorem, vt suis præceptis obtemperet: eumq; obiurgat quod Ignatium in Concilio deponi curauerit, primusque illius depositioni subscripserit.

IX. Hortatur Imperatorem ad Legatos benignè audiendos; repetit quæ in superioribus Epistolis de Ignatio, Photio, Rhodoaldo & Zacharia dicta sunt. Docet epistolam à se missam corruptam fuisse, restituitque loca deprauata, & demonstrat Photij promotionem vel ea de causa reijciendam, quia à Gregorio Syracusano damnato fuerat consecratus; & Imperatorem, qui eum defendebat, arguit. Petit vt epistolam contumeliarum plenam, quam ipse Imperator miserat, iubeat comburi: sin minus, dictatores eius, dispositores, atque præceptores minatur se excommunicaturum. Et vt epistola ad illius dedecus in Episcoporum Concilio coram omnibus comburatur, præcepturum. Tandem ostendit plurimum conducere causæ Ignatij & Photij, vt vterque Romam veniat.

X. Percenset omnia, quæ à die, quo Constantinopolim missi sunt Rhodoaldus & Zacharias, fuerunt acta. Item commemorat Concilij Romani decreta: repetitq; omnia, quæ in superiori epistola dicta sunt de promotione Photij, & de Gregorio Syracusano, qui Photium consecrauit, & de epistola Imperatoris, quam comburi iubet.

Ad Episcopos sedis Const. subiectos & vniuersum Clerum hanc Epistolam scribit.

XI. Exprobrat Photij multa crimina, quæ in occupanda Ignatij sede commisit: probat, illum & diuinum & humanum ius violasse, nunciat ipsum depositum fuisse: & si non paret sententiæ, minatur illi perpetuam vsque ad obitum excommunicationem.

Ad Photium.

XII. Dolet se depositum fuisse de spe, quam ob multa, quæ à principio de eius pietate audierat in ipso collocauerat: hortatur eum vt resipiscat, & causam Ignatij apud Imperatorem agat, ipsisque legatis sedis Apostolicæ faueat.

Ad Bardam Cæsarẽ auunculum Imp. Michaelis III.

XIII. Certiorem Ignatium facit de omnibus, quæ in eius causa à reditu legatorum Zachariæ & Rhodoaldi acta fuerunt, & qualiter Photius fuerit in Concilio depositus & anathematizatus cum suis sectatoribus. Ipse verò vnà cum suis restitutus.

Ad Ignatium Patriarcham Constan

XIV. Hortatur Augustam, quam multis laudibus ornat, ad patientiam, & ad collocandum in Deo spem suam. (Hanc enim ipsius filius Imp. Michael, cum duabus filijs virginibus ignominia affectam, in monasterium detruserat.) Ostẽditque se in Ignatij restitutione omnem suam ponere operam.

Ad Theodoram Imperatricem matrem Michaelis Imp.

XV. Rogat Augustam, vt agat partes Ignatij apud Imp.

Ad Eudociam vxorem Michaelis Imp

XVI. Singulos Senatores Constantinopolitanos rogat, vt faueant causæ Ignatij, & abstineant à communione Photij.

XVII. Ad Lotharium Regem Francorum qui postulabat à Pontifice legatos mitti ad Synodum; quos dum mittit, præcipit Synodo, duos de Caroli Loth-

rij patrui Regno Episcopos accedere, sicuti de Ludouici & Caroli fratris eius regno, alios conuenire iusserat.

XVIII. Ad Carolum Regem Francorum: iubet autem duos de eius Regno ad Synodum Metensem proficisci,

XIX. Commendat Ludouico Imperatori legatos ad Synodum missos, ad quam duos de Caroli regno Episcopos ire præcipit.

XX. Carolum Regem rogat, vt Balduino Comiti parcat, qui Vasallus ipsius existens filiam eius rapuerat, & in vxorem acceperat.

XXI. Ad Hermentrudam Reginam, vt Balduino qui eius filiam rapuerat, ignoscat.

Carolus cognomento Caluus.

XX. Mandat Archiepiscopis per Galliam & Germaniam constitutis, vt ad Synodum Metis celebrandam, vna cum legatis accedant, ibique Lotharium Regem euocent, qui sedis Apostolicæ non expectato iudicio, Theupergam vxorem repudiauerat: minatur se eum excommunicaturum, nisi pœnitentiam & satisfactionem egerit.

XXIII. Omnibus Episcopis & Archiepiscopis in Concilio Metis residentibus, vt causam Theupergæ iudicent, & Concilij Acta ad se mittant.

XXIV. Trasulfo Abbati Corbeiæ, cuius monasterij priuilegia confirmat in perpetuum.

XXV. Carolum Caluum ad pacem cum Imperatore Ludouico Seruandam adhortatur.

XXVI. Archiepiscopis & Episcopis in regno Caroli constitutis, vt eum ad pacem cum Imperatore seruandam adhortentur. Iisdem Arsenium legatum commendat.

XXVII. Ludouico & Carolo gloriosissimis Regibus. Queritur Episcopos Romam ad Synodum missos non fuisse, ait se ad Lotharium ne Romam veniret, literas dedisse, significans illum posse Theupergam cum fideiussione recipere. Nunciat se misisse Arsenium, vt Lotharium ab obtemperandum impellat. Præcipit vt in Ecclesia Coloniensi consecretur Antistes; & tandem vt ipsi Sedis Apostolicæ præceptis obediant.

XXVIII. Laudat Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, quod sedem Apostolicam consuluerit. Dolet Rhothaldum, cum ad eam sedem appellasset, Episcopatu eiectum. Iubet, vt quæ pro illo ipse scripsit, efficiat, & tunc eius Ecclesiæ priuilegiorum pollicetur confirmationem. Hortatur vt Carolum in dilectione Romanæ Ecclesiæ contineat.

Ad Hincmarum Archi ep. Rhemensẽ.

XXIX. Ostendit Rhotaldum Episcopum iniuste in exilium pulsum, præcipit vt suæ Ecclesiæ restituatur. Et si Hincmarus iuste in eum se egisse prætendat, intra triginta dies ipse, vel eius legati Romam veniant: nisi obedierit, missarum celebrationem ei interdicit.

Ad Carolũ Regem Francorum.

XXX. Balduinum se non absoluisse significat: hortatur vt ei parcat, Rhotaldum ab exilio reuocet, Romam ad ipsius causam cognoscendam mittat, atque id ab Episcopis faciendum curet: quod nisi illi impleuerint, à Missarum celebratione remouet.

XXXI. Hortatur Carolum Regem, vt Rhothaldum suæ Ecclesiæ restituendum curet.

Episc. Galliæ in Ciuit. Syluanectensi congregatis.

XXXII. Damnat quæ contra Rhotaldum acta fuerant, quem suæ Ecclesiæ præcipit restitui. De Balduino ait, se pro illo preces tantum ad Imperatorem obtulisse. Exponit quid in Lotharij & Theupergæ causa egerit.

XXXIII. Rothaldo Episcopo significat se pro eius causa sollicitum ad Regem & Episcopos scripsisse. Hortatur vt quamprimum Romam veniat.

Rothaldus erat Episcopus Suessonensis.

XXXIV. Monet Rhotaldum, vt Romam pergat, si iustam causam habere se credat.

XXXV. Carolum Regem commendat, quod se Ecclesiæ Romanæ in Rothaldi causa submiserit.

XXXVI. Hirmintrudæ Reginæ Caroli Calui vxori, scribit fieri non posse, quin à se Rothaldus audiatur.

XXXVII.

XXXVII. Reprehenditur Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, quod Apostolicæ sedis præceptis non obedierit, & Rothaldum ab itinere Romano reuocauerit.

XXXVIII. Eidem ostendit Rothaldum iniuste Episcopatu fuisse priuatum: nec posse Episcopum deponi, sine consensu Romani Pontificis.

XXXIX. Rothaldum suæ Ecclesiæ restituit, & id omnibus Catholicis Episcopis, ac plebi Romanæ significat.

Carolo Regi glorioso

XL. Hincmari pertinaciam in causa Rothaldi, & erga sedem Apostolicam inobedientiam, atque Rothaldi innocentiam ostendit, quem suæ pristinæ restituit dignitati. Regemque hortatur, vt bona Suessonensis Ecclesiæ restuenda curet.

Archiepis. & Episc. per Galliam constitutis.

XLI. Reprehendit Hincmarum de iniusta Rothaldi depositione, quem Episcopatui suo restituit.

XLII. Ostendit iniuste Rothaldum absque sedis Apostolicæ consensu depositum fuisse, quem suæ Ecclesiæ restituit: multa præterea de Decretalium Epistolarum auctoritate commemorat, & de sententia in Episcopos non ferenda, nisi à Romano Pontifice.

XLIII. Clero & plebi Suessionensi, vt Rothaldum recipiant, cuius innocentiam & iniustam depositionem ostendit.

Rothaldo Episc. sancta Eccl. Suesonicæ.

XLIV. Rothaldum suæ Ecclesiæ tanquam innocentem restituit, & omnes qui sibi contradixerint, aut rem aliquam Suessionensis Ecclesiæ vsurpauerint, excommunicat.

Franconi Episc. Tungrensi.

XLV. Parcit Franconi, qui Conciliabulo Metensi consenserat, modo Theugualdum & Guntharium inter Episcopos non recipiat; & ab eiusdem Gunthariј communione abstineat: eumque hortatur vt Lotharium ad salutem reducere conetur.

Episc. Galliæ ad Synodum Suessonen. congregatis.

XLVI. Damnat Suessonensis Concilij acta, & Clericos in eodem Concilio Hincmari auctoritate depositos restituit: ostendit præterea nequaquam huiusmodi acta à Benedicto Pontifice fuisse confirmata.

XLVII. Hincmaro præsidenti in Synodo Suessonensi eadem scribit quæ & Episcopis ab eo conuocatis.

XLVIII. Refellit rationes à Theuperga ad dirimendum matrimonium adductas, prohibetque ei ad vrbem accessum, nisi prius impetrata à Lothario venia, & Vualrada eodem veniente. Ad extremum illam confirmat vel ad mortem, si opus fuerit, tolerandam.

Episc. in regno Lotharij Eccl. Dei gubernatibus.

XLIX. Inuehitur in Episcopos, quoniam Lothario non resistebant: nunciat Vualradam, quæ Romam, vt iussa fuerat, venire noluerat, excommunicatam esse. Iubet, vt sibi significent, an Lotharius iuxta iusiurandum Theupergam apud se habeat: vtque epistolam hanc manifestent: nisi id fecerint, eos communione priuat.

Carolo Regi Franc.

L. Dolet quod fœdus, vt fama erat, cum Lothario percusserit: hortatur vt Theupergam, quæ à Lothario ærumnis afficiebatur, defendat. Damnat monomachiam, quam pro Theupergę causa Lotharius committi volebat. Rogatque vt epistolam, quam Lothario scribit, ad ipsum mittat.

Lothario Regi.

LI. Acriter obiurgat Lotharium, quod Theupergam variè vexasset, & iurare compulisset, Vualradam eius legitimam esse Vxorem. Prohibet Theupergam Romam venire, nisi prius etiam Vualrada eodem veniat. Tandem Lotharium monet, vt hac reiecta, Theupergam vxorem suam recipiat, ne aliter faciens in anathematis sententiam ipse quoque incurrat.

Regi Carolo.

LII. Ostendit sibi gratum fuisse, quod Clericos à Synodo Suessionensi deiectos receperit, & priuilegia à sede Apostolica Hincmaro concessa ei non suffragari. Agit gratias pro Balduino in gratiam recepto: hortatur vt sedem Apostolicam reuereatur, & Rangerium coercendum curet.

LIII. Ludouico Imp. vt Lotharium moneat, vt debito amore Theupergam prosequatur, ac pro Bosonis reuocanda vxore laboret.

Hincmaro Archiep. Rhemensi & omnibus Episcopis in regno Caroli.

LIV. Præcipit vt Bosonis vxorem ad proprium virum redire curet: si autem illa non paruerit, vnà cum fautoribus eam excommunicet.

Ludouico Imper.

LV. Commendat diligentiam quam adhibuit, vt Lotharius sedi Apostolicæ obtemperet: dolet ipsum Lotharium, quamuis sæpè promittat, non obedire, eumque in Colonienſi & Treuirensi Ecclesijs Episcopos canonice eligi non permittere, Vualradam fouere, ac Theupergam ærumnis multis afficere. Hortatur vt illum Romam venire prohibeat, nisi prius sedis Apostolicæ mandata adimpleat. Ad extremum de redditibus, quos in eius regno habebat.

Ludouico glorioso Regi.

LVI. Miratur Teugualdum & Guntharium depositos sibi commedari, quos ostendit, si sententiæ Apostolicæ sedis paruerint, non quidem priorem dignitatem, sed aliud Ecclesiasticum munus posse obtinere.

LVII. Eundem Ludouicum Regem rogat, det operam, vt Episcopi ob quædam Ecclesiastica negotia tractanda congregentur.

Episcopis in regno Ludouici Regis constitutis.

LVIII. Reprehendit Episcopos, quoniam Vualradæ & Engeltrudi non restitissent, & quod nimium soliciti essent de Theugualdo & Gunthario Episcopis depositis, quorum depositionis causas recenset, & Metensem Synodum damnat: præcipitque vt Lotharium corripiant, atque moneant, vt iuxta iusiurandum Theupergam recipiat.

LIX. Monet Odonem Archiepiscopum, vt pastorali cura inuigilare non desistat, eiusque consultationibus respondet; & Ioannem Episcopum Rauennatensem à sede Apostolica receptum nunciat.

LX. Regem Carolum hortatur, vt ius Episcopo Cenomanensi contra Monasterium S. Cirolfi administrari curet: si autem fuerit appellatum, causam ad se deferri iubet.

Roberto Cenomanēsi Episc.

LXI. Refert quæ in superiori epistola scripta sunt, promittitque se Monachis sancti Cirolfi, nisi iure cogente, non assensurum.

Vniuersis Galliarū Episcopis.

LXII. Decernit monasterium S. Cirolfi, vel vt alij dicunt, S. Clarilefi esse immune, & Apostolicæ Sedi immediate subiectum.

LXIII. Præcipit vniuersis Episcopis & Archiepiscopis in Regno Lotharij constitutis, sub excommunicationis pœna, vt Lotharium moneant, vt Hilduino è Cameracensi Ecclesia remoto, alium canonice eligi permittat.

LXIV. Lotharium Regem arguit, quod bona Rhemorum Archiepiscopi diripiat, eiusque iurisdictionem violenter impediat; monetque vt omnibus ei restitutis, Cameracensis Ecclesiæ peruasorem Hilduinum expellat: alioquin se eum excommunicaturum minatur. Ipsum quoque Hilduinum excommunicatum declarat, nisi Apostolicæ Sedis præceptis paruerit.

LXV. Præcipit sub excommunicationis pœna, vt Cameracensem Ecclesiam, quam inuaserat, Hilduinus Clericus relinquat, bonaque ei ablata restituat, vt alius Episcopus Canonice eligi, & à Rhemorum Archiepiscopo consecrari possit.

LXVI. Monet Stephanum Comitem, vt præteritorum criminum pœnitentiam agens, & futura præcauens, sacerdotum præceptis pareat. Sigonem Episcopum suæ sedi, peruasore deiecto restituat, & ad respondendum obiectis coram legatis in Synodo se sistat. Adonem verò, si in Aluernensi Ecclesia morabitur, aut Sigonem Episcopum impedierit, excommunicat.

LXVII. Laudat Hirmentrudim Reginam de obsequio & fide in sedem Apostolicam, eique de muneribus missis gratias agit.

LXVIII. Huberto Abbati, ostendit non debere eum ægre ferre, quod à se fuerit paterne correctus, hortaturque ad patientiam, donec eius causa à Synodo congreganda cognoscatur.

LXIX. Ludouico & Carolo filijs Caroli regis Calui, gratulatur quod in patris eorum gratiam redierint: hortatur ne deinceps ab eo diuellantur: eosq; Synodo interesse iubet ad obiecta responsuros.

LXX. Nunciat Episcopis Galliæ quæ acta sunt de Ignatij causa, queue ab Imperatoribus Constantinopolitanis aduersus Romanam Ecclesiam scripta sunt

Hortatur Archiepiscopos, vt iunctis sibi Cœpiscopis suis curam adhibeant, vt quid malignis Græcorum obtrectationibus sit opponendum inueniant, & ad se mittant.

LXXI. Ad Carolum Regem Galliæ, qua monet eum diligenter procurare, vt Lotharius Engeltrudem vxorem adulteram Bosonis Comitis Regno suo eijciat, & ad virum suum redire compellat. *Hæc epistola cum sequentibus reliquis nouiter in lucem prodijt à Seuerino Binio viro doctiss.*

LXXII. Ad Rodoaldum & Ioannem Sedis Apostolicæ Legatos ad Concilium Metense missos, monens eos, vt exactissimè custodiant, quæ in commonitorio accepto continentur. *Huic Epistolæ adiũgitur statim commonitorium.*

LXXIII. Synodica, de rebus in Concilio Romano III. gestis, ad Episcopos Germaniæ in Regno Ludouici Regis constitutos.

LXXIV. Ad Aduentium Metensem Episcopum, de venia ipsi concessa.

LXXV. Ad Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, de confirmatione Concilij Suessonensis.

LXXVI. Ad Monachos S. Carilephi, qua iubet eos Episcopo suo Cenomanensi obedire.

LXXVII. Ad Episcopos in Regno Caroli, de Monachis, S. Carilephi.

LXXVIII. Ad Hincmarum Rhemensem Archiep. qua ob causam Monachorum S. Carilephi cum ipso expostulat.

LXXIX. Ad Rothaldum Suessionensem Episcopum, in Concilio Syluanectensi depositum, qua illum de rebus post libellum appellationis suæ introductum gestis, certiorem reddit. *Ex Cod. S. Mariæ super Mineruam Romæ.*

LXXX. Ad Rotlandum Archiepiscopum Arelatensem, qua commendat ea, quæ de priuilegijs & auctoritate sedis Apostolicæ scripserat.

LXXXI. Ad Episcopos in regno Lotharij constitutos, qua redarguit eos, quod in commouendo Lothario negligentiores sint.

LXXXII. Ad Episcopos Italiæ, Germaniæ, Neustriæ & Galliarum, de sententia excommunicationis, quam tulerat in Vualradam Lotharij Regis Concubinam.

LXXXIII. Ad Henricum Turonensem Archiepiscopum, qua propter Clericos ab Hincmaro depositos Suessionense Concilium indicit. *Ex Bibliotheca Fabri Parisien.*

LXXXIV. Ad Rodolphum Bituricensem Archiepiscopum, de excommunicatione Guntharij Coloniensis, & Theutgaudi Treuirensis Archiepiscoporũ.

LXXXV. Ad Clericos in Suessionensi Concilio restitutos.

LXXXVI. Ad Primores & nobiles Aquitaniæ, qua admonentur cessare à sacrilegis facinoribus, quibus Ecclesiam Aquitanicam persequebantur, restituere ablata, reddereque bona Ecclesiastica, quæ à Regibus in beneficium acceperant.

LXXXVII. Ad Carolum Regem, per quem curari petit, vt Helbetrudi filiæ Lotharij Imp. & viduæ relictæ Berengarij Comitis restituantur illa bona, quæ Lotharius Rex eidem abstulerat. *Ex Cod. Biblioth. S. Mariæ super Min.*

LXXXVIII. Ad Ronolardum Episcopum, de pœnitentia patris, qui tres filios proprios occiderat. *Cumarus vocabatur ille occisor liberorum suorum.*

LXXXIX. Ad Hincmarum Rhemensem Archiep. non studio, sed ex necessitate vel ignorantia peccantes absoluendos esse.

Scripsit præterea hic Pontifex sanctissimus, Refutationem decem calumniarum à Græcis obiectarum, & librum responsionum ad consulta Bulgarorum, nouiter ad Christum conuersorum.

Primum Concilium sub Nicolao Papa I. Constantinopolitanum, siue Conciliabulum Photianum I. *Anno Dom. 858.*

Celebratum ab impijs sub Imperatore Michaele III. in quo Ignatio Patriarcha sanctissimo exturbato, Photyus Neophytus à Gregorio Syracusano Schismatico, inauguratus est. *Vide Roderi Notas præambulares in Synodum octauam.*

Secundum Concilium Tullense in Gallia.

A duodecim prouinciarum Episcopis celebratum, ob instaurationem pacis & con-

Anno Dom. 859. Conuenerant 39. Episcopi: concordiæ fraternæ inter Ludouicum & Carolum reges Francorum; totiusque status Ecclesiastici redintegrationem. Vbi primò ronouatam Prædestinatianorum hæresim, atque errores Godescalci condemnarunt. Deinde Venilonem Archiepiscopum Senonensem, ad instantiam Caroli Regis, quod ab eo ad Ludouicum defecisset, iudicandū potestati iudicū à Synodo delectorū subiecerunt.

Tertium Concilium Constantinopolitanum, seu Conciliabulum Photianum II.

Anno Dom. 859. Aduersus sanctissimum virum Ignatium Patriarcham ab impijs celebratum. Videns enim Photius quamplurimos adhuc pro Ignatio stare, Imperatori Michaeli ministerio Bardæ persuasit, vt congregati adhærentes sibi Episcopi, eundem Ignatium condemnarent, atque hac arte reliquos Episcopos & populum ab eius affectione diuellerent.

Quartum Concilium Confluentinum.

Anno Dom 860. Nouis Iunij in Secretario basilicæ S. Castoris. Quo inter quinque reges Galliarum pax & concordia sancita fuerunt, illique ipsi opera & consilio Episcoporum, eam inter se singulari iuramento confirmauerunt.

Quintum Conciliabulum Constantinopolitanum, Oecumenicum falsò nuncupatum.

Anno Dom. 861. Quo 318. circiter Episcopi Ignatij iniustam condemnationem & Photij illegitimam intrusionem confirmarunt. Cui sententiæ Legati sedis Apostolicæ diu multumque reluctati, horrendis tandem terroribus inducti subscripserunt. Cum autem nullo supplicio Ignatium inducere possent, vt suam ipsius condemnationem ille propria manu & subscriptione approbaret, subscripsit pro eo Photius ita. *Ignatius indignus Constantinopolitanus confiteor me ingressum esse sine calculis, & his annis non sancte me gessisse, sed tyrannicè.*

Sextum Concilium Romanum I.

Anno Dom. 861. In causa Ioannis Rauennatis Episcopi celebratum, qui subditos suos fideles grauiter afflixerat, & ad Synodum aliquoties vocatus non comparuerat. Quapropter à Pontifice excommunicatus, & frustra à Ludouico Imp. subsidium & auxilium implorans, tandem humiliatus, absolutus fuit.

Septimum Concilium Romanum II.

Anno Dom. 862. Quo occasione quorundam Orientalium hæresis Theopaschitarum iterum pullulans damnata est. Duoque Canones in hac Synodo constituti, reperiuntur in epistola Nicolai Papæ septima.

Octauum Conciliabulum Aquisgranense.

Anno Dom. 862. 3. Kal. Maii. Quo octo Episcopi declararunt Lotharium Francorum Regem à vinculo matrimonij cum Theuperga contracto liberum & solutum esse, ideo quod ipsa cum fratre incœstuosum adulterium admisisset: varijs causis repudiandæ vxoris legitimæ excogitatis, vt Vualradam pellicem, quam à pueritia adamauerat, in coniugem duceret.

Nonum Conciliabulum Metense.

Anno Dom. 863. Mense Iunio. In causa repudij Theutpergæ Reginæ à Lothario Rege facti, celebratum, in quo Rodoaldus & Ioannes Episcopi Sedis Apostolicæ legati, vt inquit Regino, pecunia corrupti, magis fauerunt iniquitati, quàm æquitati, & non tantum dimittendæ Theutpergæ, sed etiam in coniugium sumendæ Vualdradæ auctores fuerunt. Atinsuper (vnà cum Haganone Bergomensi Episcopo) dissoluerunt illam sententiam, quæ in Engeltrudem, quæ per septem annos virum suum Bosonem Comitem reliquerat, auctore Pontifice pronunciata fuerat.

Decimum Concilium Romanum.

Anno Dom. 863. Quo Acta Metensis Conciliabuli reprobantur, & Guntharius Coloniensis; Theutgaudus Treuirensis, Archiepiscopi, vna cum sectarijs & complicibus Episcopis excommunicantur & deponuntur.

Vndecimum Concilium Romanum IV.

Anno Dom. 863. Quo Zacharias Apostolica legatione in Oriente male functus excommunicatur & deponitur. Photius & Gregorius Syracusanus condemnantur. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus sedi suæ per sententiam restituitur: cultusque imaginum aduersus Iconoclastas confirmatur.

Duo-

Duodecimum Concilium Siluanectense.

Quo auctore Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, Rhotaldus Suessonensis Episcopus, deponitur: substitutoque ei alio quodam Episcopo in Monasterium iniquissime detruditur. Anno Dom. 863. Mense Iunio.

Tredecimum Concilium Romanum V.

Quo acta superioris Concilij Syluanectensis reprobantur, & Rothaldus sedi Episcopali, à qua eiectus fuerat, restitui iubetur, cum lege; vt nisi Hincmarus, alijque complures Episcopi, ter quaterue moniti Rothaldum Suessionensem Episcopum iniquissimè sede sua amotum, spacio triginta dierum restituerit, à Missarum celebratione omnes suspensi habeantur, eandemque pœnam incurrant, quam ipsi Rothaldo iniuste inflixerant. Anno Dom. 863.

Quatuordecimum Concilium Pistense.

Ad Sequanam fluuium celebratum (quamuis alij politicum magis quàm Ecclesiasticum conuentum fuisse dicant) in quo plura capitula statuta fuerunt, prouidendo qualiter Ecclesia sancta statum debitum & honorem, regnique habitatores ordinem bonum & iustitiam haberent. Anno Dom. 863.

Decimumquintum Concilium Romanum VI.

Quo Rodoaldus Portuensis Episcopus, in legatione Apostolicæ in Gallijs & Oriente præuaricator inuentus, Episcopatu depositus, & excommunicatus est. Anno Dom. 864.

Decimumsextum Concilium Romanum VII.

Quo Rothaldus Suessonensis Episcopus iussu Pontificis, per Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, post quartam admonitionem à vinculis solutus, Romamque citatus, plenissime sedi suæ restituitur. Anno Dom. 865.

Decimumseptimum Concilium Suessionense.

De ordinatione Clericorum, congregatum iussu & auctoritate Papæ. De quo vide ipsius epistolam ad Henricum Turonensem Archiepiscopum datam, numero 83. Anno Dom. 866. 15. Kal. Sept.

Vltimum Concilium sub Nicolao Papa I. Trecense.

Occasione præcedentis Synodi Suessionensis, de ordinatione clericorum Rhemensium ab Ebbone facta conuocatum. Cuius Concilij acta Epistolæ Synodali inserta, cum destinata fuissent ad Nicolaum Papam I. reddita sunt eius successori Adriano II. Anno Dom. 867. 9. Kal. Nouem.





LIBER XVI.



Adrianus Pontifex bonus et doctus, Alueredum Anglum primus regia corona publicè ornauit. Poly. lib. 5. Ang.

SEQVVNTVR tempora turbulenta, & Romanæ Ecclesiæ nimium grauia, tum bellis fraternis in Gallia turbata, tum infestatione Sarracenorum Italiæ nociua, fœdataque turpi Græcorum inconstantia in Religione atque schismate pertinacissimo. Adhæc mali Christiani ciuitates & loca Romanæ Ecclesiæ hostili animo inuadere soliti, non minorem Pontificibus tristitiam animi, & curam addiderunt. Quæ distinctius in vitis, (& notis ad eas) ipsis Præsulum Romanorum Adriani, & Ioannis videlicet expressa videbis. Nec aliud ad consolationem obuenit, nisi quod Dalmatæ ijs temporibus facta regni diuisione, vnà cum Sclauis Christianorum fidem sunt amplexi: Reges autem Anglorum regia corona ab Adriano Pontifice docorati.

ADRIANVS II.

Anno Dom. 868. 21. Nouemb. Pontifex num. 109. erga pauperes munificentissimus, dandisq; elemosynis miraculose illustratus in thronum Apostolicum, quantumuis reluctaretur, ab obitu Nicolai Papæ menstruo spatio euectus 19 Kal Ian: totius populi ac Cleri consensu.

Natione Romanus, ex patre Talaro, postea Episcopo, regionis tertiæ, sedit annos quinque. Hic ex proximitatis genealogia beatæ recordationis Stephani IV. & Sergij Iunioris Pontificum descendens, dum miris polleret actibus, à venerandæ memoriæ Gregorio IV. Subdiaconi sortitus est ministerium. Deinde verò in Lateranense Patriarchium familiariter assumptus, laudabiliter conuersatus, ad regendum titulum S. Marci Confessoris Christi atque Pontificis, presbyter ordinatus, tam inculpabiliter degit, tam viriliter ministrauit, vt non tantum sicut factus presbyter, sed sicut futurus Pontifex, reuerenter ab omnibus coleretur. Siquidem in eo tanta erat fiducia in Christo, eiusque Genitrice (apud cuius Præsepe iugibus orationibus incumbebat) vt benefaciens non deficeret, nec quidquam discriminis, cuncta quæ habere poterat largiens, incurrere formidaret. Nam cum die quadam, inter conpresbyteros suos à sanctissimo Papa Sergio consuetudinaliter denarijs quadraginta perceptis, domus suæ portas reuertens ingredi vellet, ac præ multitudine peregrinorum, quæ ibi fiducialiter solito more, velut ad horreum commune confluxerat, omnino nequiret; misericordia motus Equestri suo retulit, nil sine tantis fratribus in tantillis denarijs sibi esse commune. Cumq; ille neque tertiæ parti pauperum singulos denarios posse sufficere intulisset: Virtute, inquiens, Christi qui de quinque panibus, & duobus piscibus, quinque hominum millia satiauit, non singulis singulos, sed ternos singulis denarios erogabo. Hæc dicens forinsecus portæ succedens, ac de manu Equestris sui suscipiens, peregrinis cunctis egredientibus ternos sigillatim denarios erogauit. In qua redundatione cum miraretur Equester, non solùm non defecisse denarios, quinimmo superfuisse, liberalis presbyter qui supererant, domum se recipiens, multitudini familiæ suæ ternos nihilominus personatim nummos largitus est. Et cum sex adhuc superessent, vides, inquit, quàm largus & quàm suauis sit Omnipotentissimus Dominus, qui quadragenariam quantitatem nummorum, & fratribus nostris per ternos distribuit, & mihi ternos, & tibi ternos æqua sorte seruauit.

Erat præterea tantæ hospitalitatis & largitatis, vt non immerito beato Iob in

his

his valeat comparari, *nam ab infantia creuit cum eo miseratio, & de vtero matris cum ipso egressa est* (Iob. 31.) Non despiciebat prætereuntem eo quod non haberet indumentum, sed de suarum ouium velleribus calefaciebat latera eius, nec buccellam quidem suam comedebat solus, sed eam cum pupillis & egenis diuidebat. Quippe qui oculus esset cæco, & pes probabatur existere claudo; & vt scriptis virtutum eius multiplicitas referatur. Pater erat pauperum, & cordis viduæ consolator: ostium eius viatoribus patebat, nec erat clausa ianua domus ipsius, quippiam postulantibus ab eo; adeò, vt ab omni gradu clericali, ab omni Senatorio & populari concordissimo cœtu, sicut post mortem IV. Papæ Leonis, ita post obitum III. Benedicti Pontificis, subire summum Pontificium, nisi ipse diuersis argumentis, & exquisitis excusationibus verecundè subterfugeret, cogeretur.

Sed dum Apostolicæ memoriæ sanctissimus Papa Nicolaus rebus excessisset humanis, & iste in præsentiarum tertio quintum & vigésimum annum transigeret, omnes vrbis Romanæ conciues, simul & hi, quos extrinsecus tunc adesse contigerat, tàm pauperes quàm diuites, tam Clericalis ordo, quam cunctum populi vulgus, omnis scilicet ætatis, professionis, & sexus, contemptis omnibus eius excusationibus Adrianum desiderant, Adrianum dari sibi Præsulem ac pastorem exoptant. Nullusq; in totius vrbis amplissimo spacio repertus est, qui non Adrianum prouehi ad hoc culmen, medullitus exoptaret. Multiq; monachorum, ac fidelium laicorum cælitus emissis visionibus, à multo iam tempore Adrianum futurum Pontificem apertis vocibus proclamarunt. Inter quos quidam Adrianum in sede Apostolica pallio humeris obducto reclinatum videbant. Alij eum cum Apostolicis infulis Missas celebrantem. Nonnulli more Apostolico in basilica Lateranensi aureos erogare. Plerique in equo, cuius sessione sanctissimus Papa Nicolaus ad S. Petrum pergens vsus fuerat, eum cum Pontificali pallio impositum præcedentibus axiomaticis, & subsequentibus reliquis turbis in vrbem redire, Patriarchiumque subire consperexerant. Verum vbi euidentibus indicijs hunc eundem vtraque parte procerum qui diuisi esse videbantur deligi claruit, tanta in eum vnitas & animorum & corporum fuit, vt vnum in eis erga eundem Domini sacerdotem cor, & vnus spiritus inesse omnibus videretur.

Collectis igitur omnibus tam Episcopis cum vniuerso Clero, quàm primoribus vrbis, cum obsecundantibus sibi populis, ab Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe, rapitur, trahitur, & ad Lateranense Patriarchium certatim à procerum ac plebis multitudine deportatur. Quod audientes tunc missis Principis, molestè tulere; indignati scilicet, quòd dum præsentes essent, non fuerunt inuitati, nec optatæ à se futuri Præsulis electioni interesse meruerunt. Qui accepta ratione, quòd non causa contemptus Augusti, sed futuri temporis prospectu omissum hoc fuerit, ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præsulum expectandi, mos per huiusmodi fomitem inolesceret; omnem indignationem medullitus sedauerunt, ac ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt. Cumque Patriarchium Lateranense ascenderent atque descenderent, tantis clamoribus vniuersæ plebis, vt sibi diu desideratus vir ad cōsecrandum daretur, clamitantis obsessi sunt, vt nullus eorum loquentis secum collegæ sui verba posset audire. Quorum omnium Vnanimitatis desiderium audiens Ludouicus Christianissimus Imperator, valde gauisus est, & vt tantus Dei famulus Christianæ plebi preficeretur medullitus exoptauit, & mox Imperialem scribens epistolam, cunctos Romanos quod dignum tanto præelegissent officio Præsulem collaudauit. Itaque Sabbato peractis ritè orationibus, vigilijs & eleemosynis, Dominico secundum morem idem venerabilis sacerdos ab vniuersitate ad Ecclesiam S. Petri ductus, per Episcopos reuerendissimos, scilicet Petrum Caucnsem, Leonem Siluæ candidæ, & Donatum Ostiensem (quia Episcopus Albanensis obierat, Formosus verò Portuensis à beatissimo Papa Nicolao ad prædicationem & instructionem Bulgarorum destinatus abierat) bene-

dictionem summi Pontificatus suscipere meruit in nomine Domini. Tantaque ad celebritatem Missæ ipsius extitit multitudo, vt certatim de manu eius omnibus communicare nitentibus, Theutgaudus Treuirorum Archiepiscopus; & Zacharias Anagninus Episcopus, qui à Domno Nicolao sacerdotio denudati, etiam communione caruerant: simulque Anastasius, qui dudum à Leone Benedictoque Pontificibus presbyterio denudatus inter laicos communicare solitus erat, Ecclesiasticam communionem sub congrua satisfactione receperint. Igitur mox ad Patriarchium Lateranense reuersus est, & consuetudinem, qua diuersorum xeniorum hinc inde confluentium, (retentis solum quæ vsibus mensarum sufficerent) pretia capiuntur, exclusit dicens; *Non esse pium quod gratis accipimus, pretio venundare, & cariores habere rationalibus fratribus irrationabiles nummos, pro quibus Christi pretiosus cruor effusus est: sed paruipendantur obsecro hæc pudenda pretiorum commercia, & quod gratis accepimus, gratis etiam iuxta præceptum Domini largiamur, oblationesque Christi cum eius hospitibus, ac inopibus partiamur, propter quos has nobis tribui diuinitus scimus.*

Anno Christi 871. Ludouicus Imp. in vig. Pentec. Romam venit, & postridie ab Adriano Papa Rex Francorum coronatus est succedēs fratri germano Lothario ante triennium defuncto. Cuius regni inuasorem Carolum Caluum patruum Lud. Hincmarus Rhemensis Archiep. vna cum Episcopis Metensis Synodi, Regem coronauerat. Qui exercitu collecto Roma in partes Beneuentanas, perrexit. Cũque cepisset Barim ciuitatẽ, Basil. Imp. Græc. ad eum Ioannem Patritium legatum misit cum literis increpatorijs quod nomen vsurparet Imp. Lud. literis acceptis, viceuersa suum legatũ ad eũ misit, scripta graui epistola, quam vide in Baronio integrã. Qua epistola Basilius Imp. offensus, ad dolos conuertitur, atq: Adelgisum Ducem Beneu. ad defectionem solicitat, qui ciuitatibus Ludou. subiectis, vt ab eo recedentes, ad Græcos deficeret persuasit Ludouicumq. ipsum Beneuentum venientem amice excipiens, de ipso prodendo consiliũ inijt. Interea Ludou. pro Capua recuperãda, quam occupauerãt Græci solicitus, illuc exercitum ducit, & ciues in occursum sibi cũ corpore S. Ger-

Euestigio etiam Dominicum & Grimoaldum Episcopos, quos decessor suus sanctæ recordationis Papa Nicolaus in Bulgariam patriam ire præceperat, & à se, in ipso articulo sui dicessus absoluerat, quique videntes tanti patris obitum ire distulerant, eadem fungentes legatione direxit, & quasdam epistolarum, quas ille mittendas delegerat, vt se eiusdem voluntatis & studij fore ostenderet, suo nomine titulari præcipiens, in quantum tempestas fluctuosi temporis permittebat, pijssimi patris votum pius hæres impleuit.

His ab vrbe dimissis, continuo exules gaudere, cum videlicet Veltriensem, & Stephanum Nepesinum Episcopos, & Ioannem cognomento Hymmonidem, quos procacissima falsitas, serenisss. Augusto incusans, domo patriaque proscripserat, ab Augusta mansuetudine multis epistolarum documentis requirere studuit, dicens, se bonum Ecclesiæ Dei pastorem videri non posse, nisi oues quas fide Sanctæ Ecclesiæ infidelis vir per suam surreptionem proscripserat, recepisset. Qua religiosa suggestione lætificatus Augustus, vnà cum Christianissima coniuge non solum eos propter quos summus Pontifex miserat honorificè ad vrbem remisit, verum etiam quoscunque priuata simultate tanquam reos Imperatoriæ maiestatis, in ergastulis quilibet truserat, vt reuerterentur præcepit absolui. Posthæc summus Pontifex basilicam Nicolaitanam, quam sanctiss. Papa Nicolaus à fundamentis adeo luculenter cum tribus aquæductibus fabrefactis extruxerat, vt omnes Lateranenses basilicas sua pulchritudine superaret, iuxta votum decessoris sui picturis varijs decorauit. Cuius ipse conuersationis exempla sic solertissime sequebatur, vt ab hostibus S. Nicolai, qui omnia eius acta infringere nitebantur Nicolaitanus vocitaretur. Qui tamen rumorem de eo falsum sparserant in vulgus, quasi ille omnia acta decessoris sui, quæ ille zelo diuino sanxerat, infringere voluisset. Vnde accidit, vt omnes Occidentalium regionum Episcopi, solemnes litteras mittentes, religiosam eius memoriam Pontifici inculcarent. A cuius collegio, cum per dies aliquot, quidam Græcorum, & aliarum gentium per id tempus Romæ morantium, se clanculo suspendissent, sexta feria Septuagesimæ, idem sanctiss. Antistes eos secundum consuetudinem refectionis gratia solito plures numero conuocauit: quorum omnium manibus ipsemet aquam humiliter fudit, cibos apposuit, pocula ministrauit; & quod nullus Pontificum ante eum fecerat, vt eos promptiores ad prandium redderet, cum illis discubuit, canticis spiritualibus per totum spatium laudes iugiter concrepantibus. Dum verò surrexisset ab epulis, in faciem suam coram omnibus procidit, dicens, *Rogo vos, & suppliciter obsecro patres, fratres, & filij, vt fundatis Domino pro sancta Catholica Ecclesia sua preces oretis pro Christianissimo filio nostro Ludouico Imp. Augusto, vt ei Deus Omnipotens ad nostram perpetuam pacem, Sarracenorum faciat subditam nationem. Oretis etiam pro me fragili & imbecilli, vt det mihi Christus virtutem, tantam Ecclesiæ suæ multitudinem, in sanctitate & iustitia regendi, qui commisit B. Petro Apostolo cunctos regere quos redemit, quatenus*

qui

qui curarum secularium puluere caligans, plerumque spiritalia minus luculenter intueor, vestra mihi iugis oratio, quæ tanto purior, quanto ab inquinamentis seculi remotior est, diuinitus suffragetur. Cumque illi pro se magis illum oportere preces fundere clamitarent, qui tanto acceptior apud Deum haberetur, quanto solus pro omnibus in labore feruentior est, interna miseratione commotus cum lachrimis respondit. *Quia pro valde bonis orare charissimi, gratiarum actiones Deo persoluere est, peto vt Dominum patrem decessoremque meum sanctissimum, & orthodoxum Papam Nicolaum, habentes in vestris orationibus communes grates Domino referatis, qui eum Ecclesiam suam miseratus elegit, & ad excludendum mundi tumidissimos strepitus, sicut Iosuæ clypeo protectionis armauit, & gladio spiritalis potentiæ roborauit.*

Quo audito cuncti famuli Domini, videlicet Hierosolymitani, Antiocheni, Alexandrini, ac Constantinopolitani, quorum aliqui legationibus mundi principum fungebantur, diutino stupore attoniti, in vocem clarissimam prorupere dicentes. *Deo gratias, Deo gratias, qui talem Ecclesiæ suæ præficiendum disposuit, qui nosset sui patris & decessoris reuerentiam præ oculis ponens, gregem Dominicum in virga & baculo pascere: testamentumque patrum non conuellere, sed implere. Deo gratias, Deo gratias, qui in sede sui Apostoli non posuit Apostaticum Papam; qui domus suæ fundamenta posuit non super arenam, sed super firmissimam petram; qui te succedere fecit sanctiss. Papæ Nicolao, nec ab eius decretis abscedere. Eia cesset inuidia, mendax fama recedat. Domino nostro Adriano à Deo decreto summo Pontifici, & vniuersali Papæ. Vita:* Dictum est ter. Cumque manu silentium innuisset summus Præsul intonuit. *Reuerendissimo, sanctiss. & Orthodoxo Domno Nicolao à Deo decreto summo Pontifici & vniuersali Papæ, sempiterna memoria:* dictum est ter. *Nouo Heliæ vita perennis & immarcescibilis gloria:* dictum est ter. *Nouo Phinees æterni sacerdotij insulas:* dictum est ter. *Sequacibus eius Pax & Gratia:* dictum est ter.

Sed ecce inter tot læta atque felicia, tristitia admodum atque luctuosa admixta sunt. Lampertus siquidem Vnitonis filius Dux Spoletanus, tempore consecrationis huius venerandi Pontificis, Romanam vrbem præter consuetudinē sicut tyrannus intrauit, non rebellantem, sicut victor, satellitibus suis ad prædandum distribuit; maiorum domus multis muneribus vendidit: nullis monasterijs, Ecclesijs nullis pepercit: quinimo nobilissimi generis puellas tam intra vrbem quàm extra, suis satellibus indifferenter diripiendas concessit. Propter quæ apud Augustos pijssimos Romanorum querimonijs prægrauatus, Ducatum perdidit, iram, Principum & inuidiam pene cunctorum Gallorum, tanquam reuera sedis Apostolicæ hostis adiudicatus incurrit. Romanus verò Pontifex tanta tyrannide liberatus Aistaldum, Vualterium, Hilpianum, Odonem, & Theopertum cum cunctis alijs raptoribus & prædonibus, quousque raptus redderent, sibique legaliter satisfacerent, omni Ecclesiastica communione priuauit. Sed Theupertus quæ rapuerat haud difficulter reddere studuit; Histaldus verò vir Deo deuotus, belloque fortissimus ad Præsulem se percutientem tota humilitate conuersus est, eiusque gratia, secundum omnem Romanorum libitum satisfacturus, spem resumendæ communionis accepit. Quam nimirum recipere valuisset, nisi coniurationis Lampertorum postea conscius, cum viris excommunicatis ac rebellibus fugiens, Beneuentum petere maluisset.

His ita compositis, postquam Michael Græcorum Imperator Bardam Cæsarem, Photij fautorem, suum sicut perhibent interitum machinantem peremit, Basilium collegam sibi adoptans Imperatorem constituit. Cumque nouus Imperator Basilius à Catholicis tanquam qui semper eis fauerit, summo studio coleretur, Michael à spadonibus suis, dubium an filij voluntate peremptus est. Moxque Basilius rerum potitus, primo quidem non se fuisse conscium necis Michaelis, vt fertur, omnibus satisfecit: tum verò secundum Romanæ Ecclesiæ constitutum peruasorem Photium pepulit, & Ignatium Patriarcham, populo adnitente, patriarchio restituit, ac ex vtraque parte Ignatij videlicet Patriar-

mani Episc. ipsorum prodeuntes, expulsis Græcis, in gratiam recepit. Reuersusq; iterum Beneuentum exercitum suasu Adelgisi Ducis dimisit, atq; ita proditione illius in manus Sarracenorum peruenit. A quibus detrusus in carcerē omnia iureiurando præstare debuit, quæ proditores ab eo extorquere voluerūt. Castigatus à Deo duobus de causis; prima quod capta Bari Seodam Ducē Sarracenorum omnium hominum flagitiosissimum, impunē dimisisset. Secunda, quod Romam veniens temporibus Nicolai Pont. spreto timore Dei obuium sibi Præsulem cum candidato sacerdotali agmine spreuerit, fustibus Clerum cædi fecerit, cruces, omniaq. sancta ministeria pedibus calcari iusserit, Romamque pene militari deprædatus, Vic. B. Petri quasi vile mancipium ab officio sui ministerij priuare voluerit; iratus quod ad eius nutum Papa Nicolaus duos Episc. condemnatos ad prissimam dignitatem restituere recusauerit.

chæ, Photijque Neophyti legatos Romam per suum Spatharium Basilium nomine destinauit, qui præsente summo Antistite alternatim confligerent, & iustitia suffragante, aut iustificarent Photium, aut perpetuo condemnarent. Sed diuino iudicio disertissimam partem Photij pelagus sorbuit, & simplicissimam partem Ignatij cum legato Imperiali saluam seruauit. Nullusque ex Neophyti parte nisi monachulus, Methodius nomine, solus euasit. Qui postmodum neque Photium pro cuius parte venerat, neque Ignatium, contra quem, sed neque vniuersalis Ecclesiæ, ad quam venerat, iura suscipiens, tertio conuentus, tertio perfidiæ denotatus, semel anathematizatus abscessit. At verò Basilius legatus Imperatoris, & Ioannes Metropolita Cæsareæ Cappadociæ, Nicolao fuerant destinati, huic sanctissimo Papæ Adriano cum Episcopis & proceribus in secretario Sanctæ Mariæ Maioris, iuxta morem Sanctæ sedis Apostolicæ residenti, se satis humiliter præsentarunt, dona & epistolas obtulerunt. Quibus susceptis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cuius conamine Constantinopolitana Ecclesia de schismate purgata surrexerat, multiplices gratias retulere, ac post innumera laudum præconia concordi voce dixere. Deuotissimus filius vester Imperator Basilius, & Patriarcha, munere vestro restitutus Ignatius, dum Ecclesia Constantinopolitana per interuentum vestrum inuasorem Photium propulisset, in archiuo eius librum summa falsitate congestum contra ingenium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sanctissimique Papæ Nicolai reperere. Quem bullatum, quasi vero contagiosum à sua vrbe penitus propulere, vobisque vtpote summo capiti, cui Christus cœlo terraque soluendi, atque ligandi potestatem tribuit, misere. Quem, precamur, suscipientes rimamini, & fraudulentiam, quam insontibus Constantinopolitanis noster versipellis Photius inferre potuit, ex eo, quod in hanc sanctam Romanam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi, audacem linguam exacuit, prorsus aduertite. Et quid Ecclesiæ Dei de hoc latrocinio sit sentiendum, quod sub nomine Synodi furtim ab eo confictum est, palam omnibus promulgate. Vtrarumque partium consessum Pontificem annuenti. R. contra sedem Apostolicam, Pontificemque ipsius, quia Photius vocem non habuit, sententiam forte præcipitare potuit, iudicium verò librare non potuit. Sed à sede Apostolica bis iudicatus, bisq; damnatus est. Et quia viribus suis potius confidens in sanctissimum Pontificem nostrum Nicolaum falsa garrire non timuit, os suum nimirum in cælum posuit, & linguam suam, vt terram pertransiret, exeruit: ideoque Conciliabuli ipsius librum scrutandum admittimus, vt auctor illius & fabricator mēdacij, & inuentor peruersorum dogmatum, tertio iudicetur. Egressus Metropolita librum exhibuit, & in terram præcipitauit, imprecando illi in hæc verba. Tu maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus, Te minister diaboli Photius nouus Simon mendacij compilator aptauit. Te minister Christi Nicolaus nouus Petrus veritatis amator attriuit. Et Spatharius calce suo, ensequе librum percutiens addidit. Credo in hoc opusculo diabolus habitat, quia per os complicis sui Phocy ea, quæ per se dicere nequit, eructat. Nam & subscriptionem Basilij nostri Imperatoris, post subscriptionem Michaelis, quem ebriosissimum subscribere noctu suasit, falsissimè continet, quam eius non esse, restitutio Ignatij declarauit, & satisfactio nostra, si vobis placuerit, iureiurando firmabit. Neque enim vnius semper Catholici Basilij nomen, non potuit falso suis feralibus commentis inserere, qui mutato charactere potuit multorum absentium Episcoporum nomina cum paucis complicibus suis describere. Quorum videlicet Episcoporum vniuersitas tam immunis est huius subscriptionis, quam tenoris ignara, Siquidem nullus Constantinopolitanorum, quando illud conciliabulum collectum fuisset, (quia re vera non fuit) agnouit, sed quia Constantinopolim comprouinciales, veluti regiam ciuitatem, pro diuersis negotijs instar istius vrbis ascendunt, peruicacissimus Photius mendacium suum veritatis medicamento, sicut ei primæuo fuerat institutum, liniuit; dum in locum quorundam sanctissimorum Episcoporum, ciues quidem aliquorum illorum,

rum, sed transfugas, vt fama vulgatum est; muneribus excæcatos, subscribere fecit. Inde est, quod subscriptionum istius videntur diuersi characteres, & quidam eorum acutiori penna, quidam grossa, nonnulli verò decrepitum simulantes grossiori membranam inquinantes describunt, vt videlicet fraude præsentiū, simplicitati absentium illudatur; & illud credat facilius vniuersitas esse verissimum, quod dissimilibus literis fecerit falsitas esse diuersum. At vos illico subscriptionum quidem dissimilitudinem referentes characteres videbitis; fraudem verò, nisi Constantinopolim, vt omnis illa Ecclesia deprecatur, miseritis, minime cognoscetis.

Tunc summus Pontifex vtriusque linguæ peritis librum scrutandum per aliquot dies decreuit, & omnia quæ in eo continebantur, coram, Synodo fideliter propalari quæ vbique omnia strenue perscrutata est. Nam venerabilis Pontifex adnitente omni senatorio popularique conuentu, apud beatissimum Petrum Apostolum in defensionem suæ Ecclesiæ, decessorisque sui, sacrum Concilium conuocauit. Et primo quidem per legatos Constantinopoleos veritate luculenter audita decessoris sui super huiusmodi literas legens, sinistram ipsius famam purgauit. Deinde Photium cum Conciliabulo, complicibusque suis, tertio anathemate perculit. Ad extremum verò cæterorum subscriptionibus & & sententijs roboratum, præ foribus graduum nefandi dogmatis librum cunctorum pedibus conculcatum exussit. Quem nimirum rogus, vt fomentum quoddam ignis excepit, & penè, antequam semiustum credi potuisset, cum magno fœtore, piceoque colore consumpsit. Et cum forte focus inundatione pluuiæ naturaliter debuisset extingui in pluuiam quasi ad guttas olei flamma conualuit, & in laudes Dei, sanctissimique Papæ Nicolai, simulque Adriani summi Pontificis miraculi stupor tàm Latinorum, quàm Græcorum corda resoluit. Post hæc cum epistolis decessoris sui, sicut ab eo fuerat ordinatum, Donatum Episcopum Ostiensem, & Marinum Diaconum Constantinopolim destinauit; deinde eiusdem epistolas suo tantum nomine titulatas, & commonitorium, sed & Stephanum Nepesinum Episcopum sociauit. Eisque præcepit, vt omne scandalum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, solerter sopirent, consecratisque à Methodio & Ignatio sub satisfactione libelli, quem de scrinio susceperant, proprias Ecclesias redderent. Photianis verò sub eadem, ac districtiori satisfactione, communicarent quidem, sed sacerdotum iudicium, vsque ad sedis Apostolicæ sententiam, manente sanctissimi Papæ Nicolai iudicio, protelarent. Itaque multorum anfractuum laboriosos circuitus penetrantes, tandem Christo duce Thessalonicam veniunt, in quam Basilius Imperator Eustachium Spatharium candidatum, cum suæ salutationis officio sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatis, obuiam destinauit. Qui eos admodum honorifice per contigua itineris loca ducens Sillambriam peruenit. vbi à Sisinio Imperiali Protospathario, & Theognisto Patriarchali Eugumeno, qui Romæ apud Sanctiss. Papam Nicolaum, pro rest tuēdo Ignatio sedulus intercessor extiterat, cum quadraginta equis de stabulo Imperiali, & totius mensæ argenteo apparatu, officialibusque, qui sibi ad omnem libitum famularentur, sunt excepti. Ad castrum autem rotundum, in quo est Ecclesia miræ magnitudinis S. Ioannis Euangelistæ nomini dicata, fauore Augustali, sabbato mansionem suscipiunt; Et Dominica, quæ 15. Septembris erat, Indict. 3. singulos equos cum sellis aureis deuotione Imperatoria capientes, obuiati omnibus scholis, videlicet Spathariorum, candidatorum, strategorum, mandatorum, cæterorumque Palatinorum ordinum, omnibusque Clericorum planetatis ordinibus ad portam auream veniunt. Ibi à Paulo librorum custode, Ioseph vasorum custode, simulque Basilio Sacellario, Ecclesiasticis indutis vestibus, salutati sumus à Patriarcha Constantinopoleos, & solemniter processimus, ab omni populo cum cæreis & lampadibus prosequuti. Sicque ad Irænis palatium descendentes in domum, quæ dicitur, magna area, à Ioanne à secretis, Spatharioque candidato, & Strategispathario candidato legati Sedis Apostolicæ excipiuntur; per quos imperialia mandata susceperunt, deuotissime procul-

Photiut in exilium missus non desistebat Imp. sæpius literis suis compellare habens in aula amicum Bahanem Patricium Proconsulē atq; Præpositum virum primariū apud Imp. cuius promotione cæterorum animis se per cōmiserationem insinuare non negligebat: Ad suos vero Episc. Encyclicā scripsit, qua id effecit, vt ne vnus quidem ex sectariis suis ab eo defecerit.

culdubio ſuggerentia, ne forte moleſte ducerent, quod Imperiali natalitio imminente, in craſtinum ſuſcipi non valerent. Quo feliciter celebrato, miſit Imperator in occurſum ipſorum omnes ordines palatinos. Quibus præcedentibus ante Imperatorem in chryſotriclinio ſibi continuo aſſurgentem ſalutabundi conueniunt, Apoſtolicas litteras ei offerunt; quas Imperator ipſemet ſuſcipiens oſculatur. De ſtatu Romanæ Eccleſiæ, & ſalute Domni Adriani Summi Pontificis, deque omni Eccleſiaſticorum, Senatorioque ordine diligentiſſimè perſcrutatur: legatoſque amabiliter oſculatus, Ignatio Patriarchæ iuſſionem Apoſtolicam prolaturos abſoluit. Qui ſequenti die ad Imperatorem redeunt, à quo taliter alloquuntur.

Idem Baſil. Imper. Græc. miſerat legationem cum muneribus ad Lud. Regem Germ. Legatos Lud. Ratisbonæ excepit honorifice & congrua reſponſione data muneribus inuicem affectos dimiſit. Illi vero inter cætera xenia ab Imper. ſuo præſentarũt cryſtallum miræ magnitudinis auro gẽmiſque ornatũ, cum parte non modica ſalutiferæ Crucis.

Sanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ per ambitionem peruicaciſſimi Photij, diuerſis ſchiſmaticorum fluctibus laceratæ, Sancta omnium Eccleſiarum Dei mater Eccleſia Romana, Sanctiſſimi Domini & vniuerſalis Papæ Nicolai (ſicut ex eius literis, quarum auctoritate præſens pater noſter Ignatius, qui violenter fuerat à Photianis expulſus, ſedi propriæ nuper iuuante Domino reſtitutus eſt, poteſt luculenter intelligi) fida prouiſione conſuluit. Quapropter nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis Metropolitis, atque Epiſcopis cenſuram ſanctæ matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ per bienniũ præſtolantes, propter Deum petimus, vt Dei negotium viriliter peragatur, & tandem aliquando auctoritate veſtri ſacri Collegij, tam peſtifera Photianæ tergiuerſationis ſcandala propellantur. Quatenus vnitas & tranquillitas optatæ diutius, iuxta decretum Sanctiſſimi Papæ Nicolai reſtaurentur.

Legati Sanctæ Sedis Apoſtolicæ reſponderunt. Et nos ideo venimus, ideo miſſi ſumus: ſed neminem vnquam Orientalium veſtrorum, in noſtram Synodum ſuſcipere poſſumus, niſi oblato libello, cuius formam de ſcrinio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſumpſimus, nobis fuerit ſatisfactum. Imperator & Patriarcha dixerunt. Quia nouum hoc & inauditum de libello proferendo aſſeritis, neceſſe eſt, vt tenoris illius formam videamus. Nec mora, libelli forma prolata eſt, & de Latino in Græcum conuerſa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidã, libellum proferentes in ſancta Synodo reſederunt, proferre nolentes extra Synodum inglorij relicti ſunt; ſed dietim feruore Spiritus ſancti temperati, præmiſſa libelli ſatisfactione, ad vnitatem ſacræ Synodi reuerſi ſunt. In hanc Synodum Photius ille perſuaſor de multis criminibus perpetratis rationem redditurus adducitur. Omnes epiſtolæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ contra eum prolatæ leguntur. Et depoſitionis ac anathematis ſententia dudum ab Apoſtolica ſede prolata in eum ab omnibus identidem iaculatur; inque ipſius conſpectu nefandiſſimi Conciliabuli prophanata volumina, quibus contra ſanctiſſimum Papam Nicolaum ſuſurra fauce latrauerat, igne combuſta; veritatis, innocentiæque lampas emicuit. Qui laqueum, quem olim alteri parauerat, glorificandus, nunc rationis virtute ad extremam taciturnitatis inertiam deuolutus intrauit: & apertum ſibi communionis oſtium, qui ſub ſatisfactione libelli ſuſcipiendus admonebatur, quaſi cæcus in meridiæ declinauit. Denique geſtis ſalubriter omnibus, quæ in decem ſeſſionibus Synodi textus complectitur, legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ textum Synodi, ne quid Græca leuitas falſum in eam congereret, Anaſtaſio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Bibliothecario, (qui tunc temporis pro cauſa Ludouici Sereniſſimi noſtri Auguſti cum Suppone Archiminiſtro poſt eos Conſtantinopolim diuina diſpenſatione peruenerat) ſubtiliter inquirendum, antequam ſubſcriberent, committunt. A quo, quia in vtriſque linguis eloquẽtiſſimus exiſtebat, ſtudioſiſſime perſcrutatus, omne quod ad laudem Sereniſſ. noſtri Cæſaris, ſanctiſſimus Domnus Adrianus Papa in epiſtola ſui deceſſoris Arſenio Epiſcopo imminente adiecerat, reſecatum inuenit. Quapropter epiſtolam ſedis Apoſtolicæ, fraudulenter corroſam, ſummis clamoribus conqueruntur, fatentes ſe nullo modo Synodalibus actionibus ſubſcripturos, niſi totius epiſtolæ integritas geſtis Synodicis iungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis verò, non eſſe in Synodo de laude Imperatoris, ſed de ſolius Dei tractandum altiſone reſpondentibus, nomenque Imperialis noſtro Cæſari penitus inuiden-

dentibus; tandem ad hoc vſque peruentum eſt, vt interpoſita conditione voluntatis Apoſtolicæ diffinitis ſententijs minus finitè ſubſcriberent, ita legentes. Ego ille vices agens Domni mei ſanctiſſimi & vniuerſalis Papæ Adriani in hac ſancta Synodo præſidens vſque ad voluntatem eiuſdem eximij Præſulis ad omnia, vt ſuperius legitur, conſenſi, & manu propria ſubſcripſi.

His expletis, quidam Græcorum Imperatorem conueniunt, & Conſtantinopolitanam Eccleſiam per oblatos libellos in poteſtatem Romanam redactã flebiliter conqueruntur, ex dubietate ſubſcriptionum. Omnia quæ in Synodo decreta fuerant, reuoluenda, cunctaque reſiduis erroribus confundenda aſſerunt, & niſi libellos reciperent, libertatem priſtinam ſe non poſſe recipere fingunt: & illico quidam libelli à cuſtodibus (quoniam excellentiorum Epiſcoporum libellos legati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, futurorum præſcij, prorſus abſtulerant) defraudantur, ac per hoc incredibiliter conſternati, Supponis Archiminiſtri, & Anaſtaſij Bibliothecarij fideliſſimis auxilijs innituntur. Quibus diuerſo modo non ſine magno laboris periculo imminentibus, libellos quidem vix tandem recipiunt, ſed Imperatoris iram pro nimia diſtrictione ſuæ fidei vehementer incurrunt.

Igitur poſt diem tertium, quo Sacratiſſima Synodus cum ſuis ſcriptionibus omnino in Codice conſummata, retractaque eſt ad omnem elegantiam in Eccleſia S. Sophiæ, in domo ab Imperatore, cum vicarijs Patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, ſimulque Patriarcha Ignatio, qui cum aliquibus ibi reſidebat, callide conuocati ſedere iubentur, & quod Principes Bulgarorum eis literas & dona per Petrum alioſque direxerint, audiunt. Quorum legationem Imperatore potiſſimum imminente ſuſcipiunt. Sicque poſt ſalutationem Petrus Bulgarorum legatus exorditur. Dominus Michael Princeps Bulgaricus, audiens quod pro vtilitate ſanctæ Dei Eccleſiæ ex diuerſis partibus auctoritate Apoſtolica conueneritis, gratanter accepit, vobiſque qui ex ſede Apoſtolica miſſi eſtis, quia in veſtro tranſitu veſtris cum literis viſitare dignati eſtis, multiplices gratias agit. Legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſponderunt. Nos quia vos filios ſanctæ Romanę Eccleſiæ nouimus, inſalutatos vos præterire neque debuimus, neque voluimus, quos nimirum ſancta ſedes Apoſtolica, vt propria membra complectitur. Bulgarorum legati dixerunt. Vſque hodie pagani fuimus, & nuper ad gratiam Chriſtianitatis acceſſimus: ideoque ne in aliquo errare videamur, cui Eccleſiæ ſubdi debeamus, à vobis, qui vices ſummorum Patriarcharum geritis, noſſe deſideramus. Legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſponderunt. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui per te, ô Petre, tuus Dominus. B. Apoſtolorum Principi Petro, cum omni gentis ſuæ regno ſe tradidit, à cuius ſucceſſore, videlicet egregio Papa Nicolao, & pręcepta viuendi, & epiſcopos ac presbyteros ſuſcipere meruit: vos & pertinuiſſe & pertinere debere, etiam in eo monſtratis, quod poſtulatos noſtros ſacerdotes & ſuſcepiſtis, & hactenus veneratione congrua retinetis. Bulgarorum legati dixerunt. A ſancta Romana Eccleſia ſacerdotes nos petijſſe, & ſuſcepiſſe, & hactenus nos habere confitemur, & ei in omnibus obedire decernimus. Verum vtrum Romanę, an Conſtantinopolitanæ Eccleſię rationabilius ſubdi debeamus, cum his Patriarcharum vicarijs diffinite. Legati Romanæ Eccleſię reſponderunt. Propter quę nos ſancta ſedes Apoſtolica cum Orientalibus diffinienda mandauerat, Domino iuuante finiuimus, de cauſa autem veſtra ſecus quam diffinita eſt finiẽda, quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel diffinimus, vel in pręiudicium ſanctę Romanæ Eccleſię diffiniendum cenſemus. Quinimo, quia omnis veſtra patria noſtris ſacerdotibus plena eſt, nulli vos niſi ſanctę Romanę Eccleſię pertinere debere, diffinitiua ſententia quantum ex nobis eſt, promulgamus.

Vicarij Orientalium Patriarcharum Bulgaris dixerunt; quando vos illam patriam cœpiſtis, cuius poteſtati ſubdita erat, & vtrum Latinos, an Gręcos ſacerdotes habuerat, dicite? Bulgari dixerunt. Nos illam patriam à Gręcorum poteſtate armis euicimus, in qua non Latinos, ſed Grecos ſacerdotes reperimus.

Vicarij Orientalium intulerunt. Si Grȩcos ſacerdotes ibi reperiſtis, manifeſtum eſt, quia ex ordinatione Conſtantinopoleos illa patria fuit.

Legati ſanctȩ Romanȩ Eccleſiȩ reſponderunt. A Grȩcis ſacerdotibus argumentum ſumere non debetis, quia linguarum diuerſitas Eccleſiaſticum ordinem non confundit. Nam ſedes Apoſtolica cum ipſa Latina ſit, in multis tamen locis pro ratione patriȩ Grȩcos ſacerdotes, & ſemper, & nunc vſque conſtituens priuilegij ſui detrimenta ſentire nec debet, nec debuit. Vicarij Orientalium Patriarcharum dixerunt. Etiamſi Græcorum presbyterorum ordinationem veſtri iuris fuiſſe doceatis; illam tamen patriam Græcorum regno pertinuiſſe nunquam negare poteritis. Reſponderunt Legati. Sicut Bulgariæ nobis diuerſo modo pertinere ordinationem dicentes mendacium non loquimur: ita nimirũ eandem Bulgariam ex Græcorum Regno fuiſſe nunquam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud ordinant iura ſedium, aliud patiuntur diuiſiones regnorum. Nos de diuiſione regnorum non agimus, ſed de iure ſedium loquimur. Vicarij Patriarcharum dixerunt. Illud quod vobis diuerſo modo Bulgariam pertinere dicitis, addiſcere volumus. Et legati reſponderunt. Sedes Apoſtolica, iuxta quod decretalibus ſanctiſſimorum Romanorum Præſulum doceri poteritis, vtramque Epirum, nouam videlicet, veteremque totamque Theſſaliam, atque Dardaniam, in qua & Dardania ciuitas hodie demonſtratur, cuius nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinauit & obtinuit. Ac per hoc ordinationem, quam tunc paganorum Bulgarorum irruptione amiſerat, non à Conſtantinopolitana Eccleſia modo, vt fingitur abſtulit, ſed ab his factis Chriſtianis ipſa recepit. Secundo modo, quia Bulgari, qui iure gentili ſibi patriam ſubiugantes, eam per tot annos retinent, quod cœperunt ſedis Apoſtolicæ patrocinio, vt ſuperius diximus, ſpecialiter ſemet committentes, nobis debent ſubijci, quos vltronea voluntate magiſtros elegere. Tertio modo, quia eoſdem Bulgaros ſancta Sedes Apoſtolica, iuſſu quondam Sanctiſſimi Papæ Domni Nicolai, tam per aliquot noſtrum, qui hic ſumus, & illic, multas Eccleſias dedicantes, ſacerdotes creauimus, quam per Paulum, Dominicum, Leopardum, ac Formoſum, venerabiles Epiſcopos, ſed & Grimoaldum cœpiſcopum noſtrum, quem hactenus iſti Bulgari cum multis noſtris ſacerdotibus, in conſpectu noſtro habere ſe faſſi ſunt, à diuerſis erroribus ad Catholicæ fidei veritatem multo ſudore, Chriſti gratia adiuuante, transferens, ecce vltra triennium tenuit, tenet, ordinat, ac diſponit. Ideoq; conſequens non eſt, vt ſine conſcientia Romani Summi Pontificis Eccleſia Romana, de quibus præſentialiter veſtita cernitur, ſpolietur. Vicarij Patriarcharum dixerunt. At quem iſtorum modorum diſpenſare modo velitis, edicite. Reſponderunt legati Sancta ſedes Apoſtolica vos, qui reuera inferiores eſtis, ſuper ſua cauſa iudices nec eligit, nec per nos elegit, vtpote quæ de omni Eccleſia ſola ſpecialiter fas habeat iudicandi. Sed neque nobis de hac cauſa ſententiam proferre commiſit. Quapropter, quod ab ea faciendum non accepimus, eius cognitionis iudicium, ei qui librorum multiplicitate ad defenſionem ſui multa proferre præualet, ex integro reſeruamus. A quo omnis veſtra ſententia tanta facilitate deſpicitur, quanta leuitate profertur. Vicarij dixerunt. Satis indecens eſt, vt vos, qui Græcorum Imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in regno noſtri Principis ordinando iura ſeruetis. Quapropter Bulgarum patriam ex Græcorum poteſtate dudum fuiſſe, & Græcos ſacerdotes habuiſſe comperimus, ſanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, à qua quia per paganiſmum receſſerat, nunc per Chriſtianiſmum reſtitui iudicamus. Legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ clamantes reſponderunt. Sententiam quam non electi, neque admiſſi, ſiue timore, ſeu gratia, vel quidquid illud eſt, modo præcipitaſtis potius quam protuliſtis, auctoritate S. Spiritus vſque ad diffinitionem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ omnino reſcindimus, ita vt nullo modo vel nomen habere ſententiæ mereatur. Teq; adiuramus Patriarcha Ignati auctoritate ſanctorum Apoſtolorum Principum coram Deo, ſuiſque Angelis, omnibuſque præſentibus, vt

ſecun-

secundum hanc epistolam sanctissimi restitutoris tui Domni Adriani Summi Pontificis, quam tibi ecce offerimus industriam tuam ab omni Bulgariæ ordinatione immunem, nullum tuorum illuc mittendo, custodias, ne sancta sedes Apostolica, quæ tua tibi restituit, per te sua perdere videatur. Quin potius si, quod non credimus, iustam te habere querimoniam æstimas, sanctæ Romanæ Ecclesiæ restitutrici tuæ solemniter suggerere non omittas.

Tunc Patriarcha Ignatius Apostolicam epistolam suscipiens, licet magnopere monitus eam legere distulisset, respondit. Absit à me, vt ego his præsumptionibus contra decorem sanctæ sedis Apostolicæ implicer, qui nec ita iuueniliter ago, vt mihi subripi valeat, nec ita seniliter deliro, vt quod in alijs reprehendere debeo, ipse committam. Hoc fine collocutio illa finita est. Sed Imperialis commotio, licet spem fronte simularet, augmentum suscepit. Legatos tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad prandium conuocans donis optimis decorauit. Eosq; Theodosio Spathario non ea, qua congruebat sollicitudine deducendi gratia commendauit. Acodyrcharium vsque perducti, negligenterque sine vlla prouisione dimissi. Post dies aliquot nauigantes, in Sclauorum deducti manus, proh dolor, inciderunt, bonisque omnibus ac authentico, in quo subscriptiones omnium fuerant, exemplari denudati sunt: ipsique capite plexi fuissent, nisi ab his, qui ex illis aufugerant, sibi timuissent. Tandem Apostolicis, Imperialibusque literis, ab exilio liberati, & 11. Kal. Ian. die. Indict. 4. Romam reuersi, omnia, quæ superius diximus, coram sanctissimo Pontifice, ac Proceribus retulerunt; nihilque aliud scripturarum, quam librum actionis Ignatij, & libellos, quos à Sclauis receperant, & reliquos libellos, quos supponi Archiministro, & Anastasio prudentissimo Bibliothecario sanctæ sedis Apostolicæ (cuius præscientiæ sollicitudine exemplar amissæ Synodi, quod sibi scribendum impetrauerat, Ecclesia Romana suscepit) dudum Constantinopoli commendauerant, ostendere potuerunt.

Superiore tempore Formosus Portuensis, & Paulus Populoniensis venerabiles Episcopi, qui cum cæteris iussu sanctissimi Papæ Nicolai, causa prædicationis destinati fuerant, remeantes de Christianitate Bulgarorum, ac omnimoda subiectione, qua specialiter sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotissima colla submiserant, sedem Apostolicam recrearunt. Et Michaelis Bulgarici Regis legatum, Petrum nomine, summo Pontifici præsentarunt. Qui legatus cum donis Regalibus, Regias quoque literas obtulit, summum Præsulem summopere precando, vt aut Marinum sibi bene compertum Diaconum, Archiepiscopum consecratum remitteret, aut aliquem ex Cardinalibus duntaxat suæ Ecclesiæ virum sapientia, persona, vitaque Archiepiscopatu dignissimum Bulgaris eligendum dirigeret, quem post approbationem eoruudem, denuo remeantem Archiepiscopali ministerio sublimaret. Sed Marino Constantinopolitanum missaticum deuotissime, vt diximus, sortito, summus Pontifex Siluestrum quendam Bulgaris eligendum direxit, quem cum Leopardo Anconitano, & Dominico Taruiensi Episcopis, simul & literas pro Archiepiscopo, aut Formoso Portuensi Episcopo remittendo importunissime deprecantes, remittentibus Bulgaris magna sub velocitate recepit. Quibus inter nonnulla rescripsit, vt quemcunque nominatim deuotio regalis exprimeret, eum sine dubio Pontificalis prouisio Bulgaris Archiepiscopum commodaret. At verò Bulgarum Rex expectationum moras diutius ferre non valens, ad Græcorum Imperatorem, natorum Theodoræ occasione, alterna Regna sibi alternatim rapere machinabantur adductus, eundem Petrum, quem à Roma sine desiderij sui effectu sero receperat, cum alijs è latere suo Constantinopolim requisitionis gratia, cui potissimum Bulgaria pertinere deberet, emisit, ibique à Legatis nostris, quod iuri Romano pertinerent, sunt conuicti; at postmodum per Orientales Constantinopolitanosque donis ac promissionibus persuasi, Græcos sacerdotes, iuxta quod Grimoaldus Episcopus, qui ab his se repulsum fatetur, suscipientes, nostros eijciunt: & per eundem Grimoaldum Episcopum, quia sine conscientia sedis Apostolicæ, commis-

missum sibi prædicationis officium deserens, Romam ditissimus remeauit, magnum epistolæ volumen, friuolis allegationibus, tanquam sub prætextu deliberatæ sententiæ Synodo præsidentium, implicatum Apostolicæ sedi super excusatione sua remittunt. In quo facto, quia Episcopus à Bulgaris se expulsum epistola tacente asserit, & presbyteri non se pulsos à Græcis vel Bulgaris, sed ab Episcopo circumuentos aiunt, quid tenendum sit dubium profecto est. Interim autem Adrianus Papa obijt, ipsis Kal. Nou. Anno 872.

Scripsit epistolas Decretales complures, quarum hæc summa est.

Hæc epistola habetur Actione 7. Octauæ Synodi versionis Anastasij Bibliothecarij.

I Ad Basilium Imper. Græc. qua eum laudat quod Ignatium Patriarcham restituerit. Nicolai prædecessoris sui pro Ignatio decreta pollicetur se obseruaturum. Cui etiam Theognostum Exarcham commendat.

II. Ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum. Qua miratur quod se de sua restitutione certiorem non fecerit: pollicetur se obseruaturum quæ à Nicolao pro eo decreta sunt. Theognostum Exarcham, nec non Euthymium Imperatoris legatum ei commendat.

III. Ad Basilium Imp. Significat legatos ad Nicolaum missos se recepisse, eumque de Ignatij restitutione laudat. Clericorum causas qui Photio adhæserant, vult in Synodo Constantinopoli iussu suo celebranda agi: in qua etiam iubet Photij conciliabuli exemplaria comburi, & Romanæ Synodi capitula a singulis Episcopis subscribi. Postremo suos & Ignatij legatos commendat.

IV. Ad Ignatium Patriarcham. Narrat præcessoris Nicolai diligentiam, quam in eius restitutione adhibuit, suamque parem voluntatem testatur: gratulatur de eius restitutione, qua de causa Imperatorem commendat. Ostendit eos, qui à Photio ordinati sunt, ab omni ordine esse depositos. Eos autem, qui ab Ignatio promoti, Photio communicauerant, si libellum, quem legati deferunt, subscripserint, recipiendos decernit. Præcipit vt Romanæ Synodi capitula in concilio Episcopi subscribant. Demum Ioannem Metropolitam commendat.

V. Ad Basilium Imp. Laudat eius religionem. Conqueritur Apocrisarios suos nudos ac deprædatos redijsse. Ægrè fert Ignatium Bulgaris Antistitem consecrasse. De tribus capitulis quæ in Synodo octaua manserant indefinita, quæque Ignatius, & Basilius Imp. per literas ad Pontificem scriptas ab eo definiri petiuerant, respondet nihil ab eo diuersum, quod iam constitutum erat, denuo se posse decernere. Eugnomenum & Theognostum de multa sedulitate commendat.

Hæ epistolæ hactenus nunquam editæ prodierunt ex Bibliotheca Nicolai Fabri.

VI Ad Lotharium Regem commonitoria, quatenus malorum hominum consilijs relictis obediat præceptis Apostolicis, relictaque concubina Vualdrada, legitimam vxorem Theutpergam recipiat.

VII. Ad Vualdradam, quam de commissis peccatis pœnitentem, per intercessionem Ludouici Imperatoris absoluit.

VIII. Ad Episcopos Galliæ, de eiusdem Vualdradæ pœnitentia & absolutione.

IX. Responsoria ad Synodum Trecensem, de consecranda Nicolai prædecessoris sui memoria.

X. Ad Ludouicum Regem Germaniæ, qua eum ad pacem hortatur.

Extat inter alias epistolas in eodem prædicto Codice Priuilegium Adriani Actardo concessum, quando ei pallium tribuit.

XI. Ad Episcopos Concilij Suessionensis, de Actardo Nannetensis Ecclesiæ Episcopo.

XII. Ad Carolum Regem, de eodem Actardo.

XIII. Ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, de causa Lotharij Regis, & Actardi Nannetensis Episcopi.

XIV. Ad Erardum Turonensem Archiepiscopum, pro eodem Actardo.

XV. Ad Principes Galliæ, qua monet eos, vt fideles sint Ludouico Imperatori, cui ex legitima successione defuncti Lotharij Regnum de iure competit.

XVI. Ad Principes Galliæ, de virtutibus Ludouici Imp. & Regno Lotharij, ipsi tanquam proximo agnato debito.

XVII.

XVII. Ad Episcopos Galliæ, eiusdem argumenti.

XVIII. Ad Carolum Caluum, qua eum de inuasione Regni ad Ludouicum Imp. iure hæreditario deuoluti reprehendit.

XIX. Eiusdem argumenti ad Episcopos in Regno Caroli constitutos.

XX. Eiusdem argumenti ad Proceres Regni.

XXI. Ad Ludouicum Regem Germaniæ, qua laudat eum, quod se à Regno Lotharij abstinuerit, & aduersus Carolum conqueritur, qui illud inuadendo, tyrannus effectus est.

XXII. Ad Episcopos in Regno Ludouici constitutos, eiusdem argumenti.

XXIII. Ad Carolum Caluum, petens ab eo per legationem, vt filium suum Carolomannum, quem detinebat vinculis liberaret.

Carolomannus Caroli Regis Galliæ filius Diaconus electus primò, postea fit apostata; dumq; Ecclesiam persequeretur, à patre capitur & priuatur oculis. Duziacum in Prouincia Rhemensi.

XXIV. Ad Comites in Regno Caroli, pro Carolomanno captiuo.

XXV. Ad Episcopos in Regno Caroli, pro filio eius Carolomanno.

XXVI. Ad Episcopos Synodi Duziacensis.

XXVII. Ad Carolum Caluum de causa Hincmari Laudunensis Episcopi.

XXVIII. Ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, de eadem causa Hincmari Laudunensis Episcopi.

XXIX. Ad Carolum Regem, eiusdem argumenti.

XXX. Ad eundem Carolum Regem.

XXXI. Ad eundem, & in eodem negotio.

XXXII. Ad Salomonem Regem Britonum cui brachium S. Leonis misit.

Primum Concilium sub Adriano II. Romanum approbatum. — *Anno Dom. 868.*

In quo Photius ter anathemate perculsus est, eiusque volumen contra Nicolaum Papam editum, igni est adiudicatum.

Secundum Concilium Vormatiense.

Anno Dom. 868. 17. Kal. Iun.

Ex parte reprobatum, habitum in causa Ecclesiasticæ disciplinæ, tempore Ludouici Imp. II. In quo 80. Canones ex diuersis Concilijs collecti renouati sunt; sed decimusquintus in ordine, *de occultis furibus per Eucharistiæ perceptionem explorandis*, vti erroneus ab Ecclesia reprobatus est. *Vide S. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 6. ad 3. Bellarm. lib. 2. de Concil. c. 8. Posseuinus in Apparatu sacro, verbo Vormatiense Concilium.*

Tertium Concilium Constantinopolitanum.

Anno Dom. 869. 5. Octob.

IV: in hac *Vrbe Generale. Inter Oecumenica vero seu vniuersalia concilia numero Octauum approbatum.* Centum & duorum Episcoporum. Quo Ignatius ab exilio cum dignitate reuocatus, sedique Constantinopolitanę restitutus est, Photio cum 45. suis sequacibus, omnibusque Iconomachis exauctoratis & Anathemate damnatis, sub Basilio Imperatore, qui auxilio & opera sua hanc Synodū promouit: præsidentibus Legatis Sedis Apostolicæ Donato Ostiensi & Stephano Nepesino Episcopis, atque Marino Diacono Ecclesiæ Romanæ. Hæc Synodus decem Actionibus absoluta est, & post omnium sedium Patriarchalium legatos ab Imperatoribus subscripta. Hanc Synodum Græci Schismatici (quos in Concilio Florentino, Marcus Ephesinus secutus fuerat) omnino reijciunt, & quandam Pseudosynodum Photianam sub Pontifice Ioanne VIII. Constantinopoli post obitum Ignatij celebratam, pro ea substituunt, & Octauam Oecumenicam dicunt, Photiumque schismaticum acerbissimum persecutorem Ignatij; in anathemate mortuum, sanctum esse affirmant. *Vide Raderum in Præfatione huius Concilij.*

Quartum Conciliabulum Metense.

Anno Dom. 869.

Quo Regnum Galliæ à legitimo successore Ludouico, ad Carolum tyrannice translatum est. Et ideo Synodus prædatoria nominatur. Qua absoluta Carolus Caluus Rex Francorum, legationem cum oblatione duarum coronarum aurearum gemmis intextarum, pro duobus Regnis quæ possidebat, misit ad Adrianum Papam. Qui munera oblata respuens, nouam legationem ad Carolum & Ludouicum destinauit.

Quintum Concilium Vermeriense.

Anno Dom. 870 Northmannus à Carolo Rege bona Ecclesiastica in beneficium acceperat pro meritis contra Canones Ecclesiasticos. Vide Flodoardum.

Quo viginti Episcopi, Hincmarum iuniorem Laudunensem Episcopum condemnarunt, quod ille iussu Adriani Papæ excommunicationis sententiam in Northmannum bonorum Ecclesiasticorum detentorem tulisset: eo quod Hincmarus senior Archiepiscopus Rhemensis Sedis Apostolicæ mandato in eo passu non obtemperaret. Quo facto Hincmarus senior cum Rege plurimum offensus, hanc Synodum congregauit, qua neppotem suum, quasi Metropolitano suo inobediens foret, iniustè condemnauit: nec appellationi ipsius ad Sedem Apostolicam deferre voluit. Qua ille prudenter interposita, Pontificis rescriptum facile pro se obtinuit.

Sextum Concilium Attiniacum.

Anno Dom. 870.

Quo Hincmarus Laudensis Episcopus sede sua priuatus, vinculisq; ferreis ligatus eijcitur in exilium, & tandem ab hostibus ne in Episcopatum redeat, excæcatur: quod rescriptum Adriani Papæ pro se impetrasset, illudq; Archiepiscopo suo Hincmaro seniori, & Carolo Regi insinuasset.

Septimum Concilium Coloniense.

Anno Dom. 870. 6. Kal. Octob.

In causa Ecclesiasticæ disciplinæ celebratum. Et ab eisdem Episcopis tunc temporis Ecclesia S. Petri fuit dedicata.

Vltimum Concilium Duziacense.

Anno Dom 871.

Quo Hincmarus Laudunensis Episcopus, ad placandum Carolum Regem professionem fidelitatis emisit, atque obedientiam suo Metropolitano spopondit. *Vide Aimonium lib. 5. c. 24.*

Anno Dom. 872.

IOANNES VIII.

Natione Romanus, ex Archidiacono in Ponntificem assumptus, sedit annos 10. dies 2, Hic decreto suo statuit, vt nulli Ducum liceat quemlibet Episcopum in præsentiam Romani Præsulis introducere; vel census ab eo ad sumptus publicos, seu dona quælibet exigere. Sed nec coram laicis Episcopum concessit in iudicio respondere. Clericos, & Sanctimoniales, pupillos, & viduas sub tutela Episcoporum esse decreuit, & eos ad secularia trahi modis omnibus interdixit. Quemlibet autem Ducem, vel alium contra hæc agentem excommunicandum esse decreuit; perseuerantem verò anathematis vinculo innodandum.

Idem inter cætera de decimis Sacerdotibus dandis constitutum fecit. Eius temporibus Ludouicus Imperator ab Adalgiso Beneuentano Duce, constrictus timore vitæ iureiurando firmauit, nunquam se Beneuenti fines vltra intraturũ, neque ex periculo iniuriæ tunc sibi illatæ vindictam aliquando exacturum. Ab hoc autem iuramento postmodum prædictus Papa eum Romæ absoluit auctoritate Dei, & S. Petri, affirmans nihil sibi obesse, quod ob mortis periculum euadendum coactus fecerat: nec Sacramentum esse dicendum, quod contra salutem Reipublicæ quamuis cum multis execrationibus fuerit prolatum. Idem post obitum Ludouici II. tres Imperatores ordine sibi succedentes coronauit, Carolum Caluum, Ludouicum III. cognomine Balbum, & Carolum Crassum. Hic cum Sarraceni totam ferè Italiam depopularentur, omne auxilio hominum in quibus spem expellendorum barbarorum collocanerat, planè destitutus, pacem, & quietem ab infidelibus annuo censu, ac tributo redimere coactus fuit. Idem à Lantberto Spoletano Duce multiplices iniurias passus, & sub custodia retentus, coactus ab vrbe progredi, & in Gallias se conferre, vbi per totum fere meratus est annum. Impius verò Dux quem Sanctissimus Pontifex quasi dilectum amicum apud B. Petrum Apostolorum Principem honorificè receperat, deuastato tyrannicè omni penè territorio Sancti Petri, Optimates Romanorũ fidelitatem Carolomanno Sacramento firmare coegit. Cumq; diffidentes inter se Francorum Principes conciliare intenderet, & eam ob causam iterum in Galliam iter arripere meditaretur, vt bello ciuili sedato, promptos, & expeditos Francos habere posset ad ferendum auxilium Ecclesiæ Romanæ periclitanti,

in fine anni 882. inter tot tantasque ærumnas, confectus curis, mœroreque consumptus, moritur 18. Kal. Ianuar. Sepultus est autem ante Ecclesiam S. Petri iuxta portam quæ appellatur Iudicij.

Scripsit Epistolas penè innumerabiles, quarum præcipuæ.

I. Ad Bosonem Comitem Gallum, cui gratias agit, quod eius opera legati ad Imperatorem peruenerint, & illis iniuncta confecta sint: eumq; rogat, vt quamprimum auxilia sibi contra Sarracenos mittenda curet.

De Bosone Regin. l. 2 Cron. & Annoni. l. 5. c. 24 & aliis in loci

II. Ludouico Regi Germaniæ. Dissensiones inter ipsum & Imperatorem scribit se non posse sedare, nisi alteram prius audiat partem: interea monet, vt pacem cum omnibus, & præcipuè cum Imperatore seruet, & subiectos compescat.

III. Guaiferio Principi Salernitano. Ostendit se paratum esse firmare pactum quod fecerit: rogatq; sibi ad ipsum eunti hospitium parari.

De Guaiferio Leo Epis. Ostien. l. 1. Cron. Cassi: cap. 42.

IV. Clero, ordini & plebi. S. Vualuensis Ecclesiæ. Inuehitur in quendam Ecclesiæ Vualuensis inuasorem, legitimo adhuc superstite Episcopo, laudat eos quod illum minimè recipiendum duxerunt, simul præcipiens, ne vnquam eum admittant, alioquin excommunicationis sententiam minatur.

V. Athanasio Episcopo Neapolitano. De Neapolitanorum Duce eius fratre queritur, qui suis monitis non parebat. Quare hortatur, vt ab eo se separet; alioquin cum eo ac cæteris fautoribus anathemati subijcietur.

VI. Leoni & Petro Episcopis, legatis suis ad Cæsarem destinatis. Miratur eos ad se non reuerti incursionibus Sarracenorum lacessitum: obtestatur, vt quantocius redeant. Quod si vim ab aliquo patiantur, præcipit, vt fortiter se gerant, & id sibi significent.

VII. Ioanni Bosoni Comiti. Dolet, quod sibi deprecanti auxilium contra Sarracenos non tulerit: significat vrbem in magno discrimine versari, cum ad eam oppugnandam fama sit magnum exercitum venturum. Quare eum rogat, vt quantocius opem ferat; legatos ab eo detineri miratur.

VIII. Carolo Imperatori, cuius precibus, cum Burdigalensis prouincia à paganis esset deuastata, Burdigalensem Episcopum, in Bituricensi Ecclesia Cardinalem constituit, illi committens eius Ecclesiæ administrationem.

IX. Laudulfo Episcopo Capuano, Nunciat legatos ab Imperatore redijsse, quem in Episcoporum & optimatum conuentu Romanæ Ecclesiæ iura recognouisse, præcipuè verò terræ Capuanæ pactum suo iuri commisisse scribit, ideo in eius partes se venturum promittit.

Huius Concilii & legatorum meminit Aimoinus lib. 5. de gestis Franc. cap. 33.

X. Adalardo Episcopo Veronensi. Commendat eum ob præclaras virtutes, & iubet, vt Romam ad Concilium veniat.

XI. Carolo Imperatori. Ludat eum de iudicio in Emmenum prolato, & hortatur vt cum illo clementer agat.

XII. Ad Imperatorem & Imperatricem. Precatur Imperatorem, vt Medelgero, qui Romam veniam petitum venerat, homicidium perpetratum condonet eumque in gratiam recipiens, cum parentibus defuncti pacem inire iubeat.

XIII. Clero, plebi, & Ordini S. Bituricensis Ecclesiæ, vt Frotario Burdegalensi Episcopo, omnes obediant; cui tandiu illam Ecclesiam committit, quam diu Pagani Burdegalensem diœcesim obtineant.

XIV. Episcopis per Bituricensem prouinciam constitutis, eiusdem argumenti.

XV. Gesiliberto Episcopo sanctæ Cartensis Ecclesiæ, vt Modelgero restituat ea, quæ propter homicidium amiserat. Præterea, vt res ablatas monasterio S. Amantij restituendas curet.

Vmfredus Comes abstulerat quasdam possessiones Monach.

XVI. Dominico Oleuolensi, & Leoni Caprensi, Episcopis, significat quosdam, qui Romam ad Concilium vocati venire neglexerant, se excommunicasse, nisi ad certam præstitutam diem venerint: hortatur, vt quamdiu illi abfuerint, eorum officia exequantur.

XVII.

XVII. Vrſo Duci Venetiarum. Rogat Epiſcopos, qui Romam ad Synodum euocantur, ſuis ſumptibus alat; quibus niſi acceſſerint, excommunicationis ſententiam minatur.

XVIII. Felici Mandanaucenſi, & Petro Equilenſi: Epiſcopis ſacris interdicit, ob non exhibitum Gradenſi Archiepiſcopo obſequium; eoſque ſub excommunicationis pœna Romam ad Concilium venire, & ſi impediti fuerint, vicarios mittere iubet.

XIX. Dominico vocato Torcellenſis Eccleſiæ electo, inuehitur in eum, quod bis vocatus Romam non acceſſerit: eumque niſi venerit, conſtituta die excommunicat.

XX. Vrſo Duci Venetiarum, gratias agit, quòd Apoſtolicæ ſedis monitis paruerit. Epiſcopos ad Synodum venire iubet.

XXI. Carolo Imperatori, narrat calamitates à Sarracenis Eccleſiæ illatas, & Imperatorem precatur, vt auxilium aduerſus eos ſibi mittat.

XXII. Lamberto Comiti, vt compeſcat ſibi ſubiectos à malis, quæ perpetrabant; quos ſi emendare non potuerit, minatur illos ſe excommunicaturum. Legatis multa ei viua voce referenda ſe iniunxiſſe ſignificat.

Acimundum & Vualpertum Episc. ad eum direxerat legatos.

XXIII. Carolo Imperatori, laudat quod legatos benignè exceperit, eiuſq; religionem commendat; rogat vt Eccleſię hoſtes coerceat. Addit quædam de Stephano & Sergio Eccleſiæ theſaurorum raptoribus.

XXIV. Carolo Imperatori. Scribit intellecturum eſſe Imperatorem ab Epiſcopo Adelgario, cui pallium concedit, cur laudabile eius ſtudium in cauſa Eccleſiæ ex voto non præceſſerit. De Anſegiſo & Lamberto ita geſtum, vt ipſe præuiderat ſignificat; ipſumq; Aldegarium Epiſcopum vt fidelem mediatorem inter ſe & Imperatorem ſe decreuiſſe.

De Aldegario Aimon: lib.5.cap.33.

XXV. Delto Epiſcopo, vt vicem ſedis Apoſtolicæ fungens Venetias pergat, & Epiſcopos eius regionis Romam ad Concilium, ſicut iuſſerat, venire faciat.

XXVI. Rehildi Auguſtæ, rogat vt Romanæ Eccleſiæ ſuffragetur.

De Rechilde Aimonius lib.5. c. 24. & alibi.

XXVII. Carolo Imperatori commendat Vuigbodum Parmenſem Epiſcopum.

XXVIII. Guaiferio Principi Salernitano. Laudat eius fidei conſtantiam erga ſedem Apoſtolicam. Adelgiſij & complicum fraudes deteſtatur, ſuumque & aliorum Eccleſiaſticorum auxilium contra Sarracenos ei pollicetur; & hortatur, vt in fide perſiſtat, vtque Epiſcopum Surrentinum ad ſe mittat.

XXIX. Epiſcopo Capuano, eiuſdem argumenti.

XXX. Carolo Imperatori. Nunciat propter imminentia pericula legatum ad eum mittere ſe non potuiſſe, tum multis exponit, vrbem magno in diſcrimine verſari, cum Sarraceni, vaſtata Campania, excurſiones longiores tranſmiſſo Aniene faciant: nonnulli præterea Chriſtiani latrocinentur. Quare obnixè petit, vt promiſſa auxilia quantocius mittat. Duos præterea hac de cauſa legatos ad eum deſtinat.

Aimon.l.5.c.35. hos legatos dicit fuiſſe Petrum Tori Sempronii, & Petrum Senogalliæ, Epiſcopos.

XXXI. Ricchildi Auguſtæ, vt coniugem ſuum ad opem Eccleſiæ contra Sarracenos quamprimum ferendam hortetur.

XXXII. Carolo Imp. mittit palmam; & malis, quibus à Sarracenis prauiſque Chriſtianis afficiebatur expoſitis, auxilia petit.

XXXIII. Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo Aioni Epiſcopo Beneuentano. Commendat eum de zelo erga ſedem Apoſtolicam; monet vt ſibi adiumento ſit in expellendis Sarracenis, ſuumque fratrem ad idem faciendum impellat.

XXXIV. Anſperto Archiepiſcopo Mediolanenſi, reſpondet, Abbatem, qui nullo comprobato crimine à Regij Cœnobij Præpoſitura depulſus fuerat, eſſe reuocandum; homicidam autem, & facinoris ſocium ab omni præpoſitura pellendum.

XXXV. Omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis in Regno Imperatoris Caroli conſtitutis. Exponit mala, quæ à Sarracenis inferebantur, & monet, vt Im-

Imperatorem hortentur ad opem celeriter ferendam.

XXXVI. Episcopo Capuano. Mittit legatos, vt Docibilis Hypatus petierat: hortatur vt det operam vna cum legatis, vt pactum cum Sarracenis initum dissoluatur; se quicquid ab eo constitutum fuerit, approbaturum.

XXXVII. Frothario dudum quidem Burdegalensi, nunc autem Bituricensi Archiepiscopo, quem Ecclesiæ illi præficit, quod Burdegalensis prouincia à Paganis sit deuastata.

XXXVIII. Docibili & Ioanni Hypatis, hortatur vt dent operam, ne Christiani fœdus cum Sarracenis faciant.

XXXIX. Pulchari Præfecto Amalytano. Monet vt fœdus cum Sarracenis initum dissoluendum curet.

XL. Sergio Magistro Neapolitano. Dolet ipsum sæpe monitum fœdus cũ Sarracenis soluere noluisse: præcipit, vt tandem pareat: sin minus, minatur, se iterum eum excommunicaturum. Pollicetur, si fideles legatos miserit, benigne se suscepturum.

De Sergio vide Leonem lib. 1. cap. 42.

XLI. Episcopo Neapolitano. Quæritur Neapolitanos cum infidelibus fœdus inijsse, nec ab ipso eorum Antistite ad viam veritatis reuocari. Quare hortatur, vt ipse, & illi resipiscant. Præterea pollicetur se benigne suscepturum Neapolitani Ducis legatos, si miserit: paratumque ad omnia se fore, quæ pro Ecclesiæ Dei vtilitate perficienda retulerint.

XLII. Carolo Regi. Monet vt bona ablata à monasterio sanctimonialium restituenda curet: quod nisi intra sexaginta dies fecerit, & per legatum id sibi nunciauerit, vel causam cur non sint restituta, non reddiderit, eum excommunicat.

Hic Carolus nominatus est Crassus. Filius Ludouici Germaniæ Regis, postmodum fuit Imper. creatus Regno lib. 2.

XLIII. Eugilbergæ Christo dedicatæ. Consolatur eam ob mortem mariti, atque monet, vt Carolo Imperatori fidem seruet, seque eius intercessorem apud eundem Augustum futurum pollicetur.

Eugilberga fuit vxor Ludouici II. Imp vide Marsicanum l. 1. c. 38.

XLIV. Vuigbodo Episcopo Parmensi. Hortatur vt quoscunque potest ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensionem excitet, & ad se cum suis veniat, vt communi consilio Sarraceni ab Italia expellantur; mittit desideratas epistolas, quas afferendas curet ijs, quibus scribuntur.

XLV. Aioni Episcopo Beneuentano. Laudat eius promptum ad Ecclesiæ defensionem studium: tum hortatur, vt contra Sarracenos opem ferat, & fœdus cum illis ictum dissoluendum curet.

XLVI. Gregorio Imperiali Pædagogo. Gratulatur Imperatorem contra Sarracenos classem ad Ecclesiæ defensionem misisse, eumque Ducem constituisse. Tum monet, vt decem Achelandia ad littera à piratis Sarracenis expurganda mittat.

XLVII. Imperatori, nunciat se Adelardum Episcopum Veronensem excommunicasse, quod Nonantulanum monasterium inuasisset.

XLVIII. Ioanni Rauennati, Ansperto Mediolanensi, & Vuaiperto Aquileiensi, Archiepiscopis. Eiusdem argumenti.

XLIX. Vniuerso Clero Veronensis Ecclesiæ. Eiusdem argumenti.

L. Landulfo Episcopo Capuano. Monet vt sibi significet, an Neapolitanorum Dux fœdus cum Sarracenis initum frangere velit, & det operam, vt idem Dux Guaiferius, & Pulchar vnà secum Traiectum se conferant, quò ipse est iturus: paratum se ad ea, quæ promiserat: & maiora concessurum, si ipse Dux in sententia persistat.

LI. Pulchari Præfecturio. Eiusdem argumenti.

LII. Guaiferio Principi Salernitano; Eiusdem argumenti.

LIII. Ausperto Mediolanensi Archiepiscopo, & Antonio Episcopo Brixiensi, vt Rauennam ad Synodum accedant; quod nisi paruerint, minatur eos se excommunicaturum.

LIV. Imperatori, cuius auxilium contra Sarracenos implorat, qui deuastata Campania, omnia Romæ suburbana deprædabantur.

LV. Vrso Duci Venetiarum. Inobedientiam accusat, & monet, vt episcopos Venetiæ ad Synodum Rauennæ celebrandam accedere curet, & ipse quoque vel veniat, vel legatos mittat.

LVI. Petro & Leoni episcopis Venetiæ. Vt Rauennam ad Concilium proficiscantur, in quo componendæ sunt controuersiæ, quæ cum Metropolitano nonnullis intercedunt.

LVII. Archiepiscopo Rauuennati præcipit vt cum suis suffraganeis ad Concilium accedant.

LVIII. Ad Aquileiensem. Quæ de eo sinistrè ferebantur, in generali Concilio canonicè terminanda significat.

LIX. Archiepiscopo Rauennati, certum præscribit diem, quo Rauennæ cum omnibus suis Suffraganeis affuturus sit, quòd si quis parere contempserit, excommunicationem illi minatur.

LX. Eidem. Scribit se iussisse, vt omnes Italiæ Episcopi, & præcipuè Venetiarum, ad Synodum Rauennæ celebrandam accedant.

LXI. Lamberto glorioso Comiti, significat Romanorum Procerum obsides dari non posse: monet, ne ad vrbem veniat, quia ipse eum excipere non potest.

Carolomannus Caroli Calui filius Ludouici Pii Imp nepos de quo vide Aimoinum lib.5.c.28.

LXII. Episcopo Iniuensi. Causam Leontardi cuiusdam, qui homicidium cum alijs commiserat, ei delegat: hortatur, vt quoniam grauissimam illi antea pœnitentiam constituerat, modo leuiorem assignet.

LXIII. Carolomanno. Dolet de Caroli Imperatoris obitu; hortatur vt promissa pro Romanæ Ecclesiæ dignitate impleat. Legatos se missurum pollicetur: eius precibus Theotmaro Archiepiscopo pallium mittit: quem Apostolicæ sedis redditus, quos apud Boioariam habet, Romam annuatim transmittere iubet.

LXIV. Theotmaro Archiepiscopo Iuuannensi. Pallium ei concedit, mandat, vt redditus, quos Romana Ecclesia apud Boioariam habet, Romam mittat.

LXV. Ederendo Archiepiscopo gentis Anglorum. Laudat eius pium erga sedem Apostolicam animum, dolet de aduersis, monet vt pro ecclesia fortiter gerat: ostendit vxores non esse dimittendas: nunciat se ad Regem scripsisse, vt debito eum honore prosequatur: demum eius ecclesiæ priuilegia confirmat.

Sergius erat Magister militiæ Neapolit. de quo Leo Ostiẽsis lib.1. cap.42.

LXVI. Athanasio episcopo Neapolitano. Commendat zelum fidei, quem ostenderat aduersus Sergium ecclesiæ Dei hostem, Hortatur, vt in dies magis pro ecclesiæ sibi commissæ defensione laboret. Petrum Diaconum ei commendat.

LXVII. Omnibus eximijs Iudicibus, & vniuerso populo Neapolitanæ ciuitatis. Laudat eos, quòd zelo diuino accensi Sergium à se abiecerint, & Athanasium episcopum suæ Reipublicæ Rectorem elegerint. Præcipit, vt ei pareant, offerens se vnà cum ipso eorum commodis consulturum.

LXVIII. Lamberto glorioso Comiti. Scribit se in Galliam velle proficisci, ideò sub excommunicationis pœna præcipit, ne se absente Romanæ ecclesiæ territorio, vel Romæ aliquod damnum inferat.

LXIX. Landulfo Episcopo Capuano. Monet vt consentiat cum Athanasio episcopo Neapolitano ad ecclesiæ Romanæ defensionem, & curet pactum cum Amalfitanis factum, ab ipsis obseruari.

LXX. Ariperto Archiep. Berdunensi. Reprehendit quòd alium episcopũ, præter eum, quem Clerus & populus elegerat, in Venciensi ecclesia consecrauerit; præcipit vt Romam accedat.

LXXI. Cumperto glorioso Comiti. Præcipit vt bona Romanæ Ecclesiæ, quæ occupauerat, restituat.

Gaudericum & Zachar Episc. ad eum in legat. Spol. direxit

LXXII. Lamberto glorioso Comiti. Monet ne Romam eam ob causam veniat, vt Apostolicę sedis hostibus auxilium ferat. Quòd si alia de causa venerit, honorificè se eum excepturum promittit: plura legatis iniungit, quibus fidem

dem adhiberi iubet. Adelbertum Romanæ Ecclesiæ hostem se non posse, ait, in communionem recipere.

LXXIII. Eidem Comiti. Grauiter eum reprehendit, quod in litteris, quas scripsit, honorem debitum Apostolicæ Sedi non habuerit, & ne legati absque eius consensu mitterentur, postulauerit.

LXXIV. Guaiferio Principi. Hortatur vt in sua integritate perseueret, & Amalfitanos corripiat, quod auxilium nauale non miserint, & nimia calliditate in se vtantur.

LXXV. Michaeli Regi Bulgarorum. Dolet quod Græcos sequatur. Hortatur ad Romanæ Ecclesiæ gremium redeundum: tum de dono misso gratias agit. Postremo Sergium quendam per subreptionem ad sacerdotium & episcopatum promotum, depositum fuisse significat.

Hanc epist. misit per Eug. & Paulum Episc. Mense Aprili die 16.

LXXVI. Petro Comiti Bulgaro. Hortatur vt Michaelem Regem ad Romanæ Ecclesiæ gremium reuocet.

LXXVII. Michaeli Regi Bulgarum. Eiusdem argumenti.

LXXVIII. Reuerendissimo Confratri Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano, quem tertio iam commonet, ne Bulgarum regionem ad Ecclesiam Romanam iam antiquitus pertinentem vsurpet, & omnes ab eo, vel ab eius Suffraganeis in ea regione consecratos episcopos intra triginta dies illinc educat: & nisi post duos menses paruerit, Dominici corporis & sanguinis communione, & si perseuerauerit in contumacia, Patriarchali etiam dignitate priuat.

LXXIX. Episcopis, & cæteris Clericis Græcis, Bulgariæ diœceseos inuasoribus, ac per hoc excommunicatis. Quos etiam dignitate priuandos declarat, nisi intra 30. dies ex omni Bulgarica regione decesserint. Si quis autem paruerit, restituendum ei Episcopatum decernit, quem in Græcia habebat; & si nullum antea habebat, vacantem, si dignus est, eidem conferri iubet.

LXXX. Basilio Imperatori. Dolet Constantinopolitanam Ecclesiam schismate adhuc laborare: qua de re legatos mittit.

Legati ad Imp. fuere Eugenius & Paulus Episcopi

LXXXI. Basilio Imp. Augusto. Vt legatis à se missis fidem adhibeat, & opem Romanæ Ecclesiæ ferat.

LXXXII. Archiepiscopo Mediolanensi. Monet vt quantocius ad Synodum in Gallia cum Suffraganeis accedat. Quæritur de perfidia Lamberti Spoletani Comitis.

De Lamberto & Adelberto vide Aimon: lib. 5. c. 37.

LXXXIII. Angelbergę Imperatrici. Vt in Romanę Ecclesiæ fide perseueret: cui præsentium latorem commendat.

LXXXIV. Ioanni Archiepiscopo Rauennatensi. Exponit mala, quæ à Lamberto Comite Romæ sunt perpetrata: seq; in Gallia ad implorandum auxilium aduersus eum iturum ostendit.

LXXXV. Beringario glorioso Comiti, regia prosapia orto. Rogat, vt Imperatori nunciet quę à Lamberto Romæ perpetrata sint, detque operam, vt eum compescat.

LXXXVI. Angelbergæ eximperatrici Deo dicatæ. Dolet eam molestijs affici, & quæritur de iniurijs quas Lambertus ecclesiæ Romanæ inflixit. Rogat vt conseruet beneuolentiam, quam erga ipsam habere solebat.

LXXXVII. Ludouico glorioso Regi, filio diuæ memoriæ Caroli II. Imperatoris Augusti. Condolet de morte patris eius. Hortatur, vt pacem cum Christianis habeat, & Ecclesiæ inimicos exterminet, & præcipuè Lambertum Spoletanum comitem, in quem multis inuehitur, exponens mala, quæ in Vrbe Roma commiserat. In Galliam se profecturum significat, ibique Synodum celebraturum, auxilium denique implorat.

LXXXVIII. Ludouico Boioariorum Regis Filio. Hortatur ad seruandam pacem cum patruelibus: inuehitur in Lambertum Spoletanum Ducem: rogat episcopis significet, vt ad Synodum accedant.

LXXXIX. Carolomanno glorioso Regi, eiusdem argumenti.

XC. Carolo glorioso Regi Excusat se, quòd ad eum legatum non miserit in-

interclusa sibi via à Lamberto eiusque fautoribus, qui vrbem Romam tenebant obsessam.

XCI. Angelbergæ Imperatrici diuæ memoriæ quondam Domini Ludouici pijssimi Imperatoris coniugi. Scribit in anniuersario die Ludouici eius viri sacra pro eo se facturum: rogat vt in sui defensione perseueret, & Synodum Trecis se habiturum significat.

XCII. Eidem Imperatrici. Arelaten se venisse significat, ibique omnia prospera reperisse: hortatur vt Romanæ Ecclesiæ commodis prospiciat.

XCIII. Arelatensi Archiepiscopo, pallium ei concedit, vices suas committens: monet quid in causis difficilioribus sit agendum. Arguit Metropolitanos Gallicos, quòd ante pallij receptionem episcopos consecrent. Præcipit, vt se certiorem faciat de his, quæ gesta fuerint.

XCIV. Eidem, optat vt magis in dies virtutibus crescat: tum simoniam, quę in Gallię & Germaniæ partibus emerserat, detestatur.

XCV. Episcopis per Gallias constitutis, pręcipit obedire Arelatensi Archiepiscopo, quem legatum suum in Gallijs constituit.

XCVI. Venerabili Isaac epis. Lingonensi. Ad Synodum Trecis celebrandam venire iubet, missis prius Cauillonam viris, qui se recto tramite eo deducant, congruis per eius diœcesim paratis hospitijs.

XCVII. Omnibus epis. Comitibus, & cuncto populo Christiano. Excommunicat eos, qui sibi apud Cauillonam ciuitatem equos & argenteum vas furati fuerant, nisi intra tres dies restituant.

XCVIII. Omnibus Suffraganeis, Rostagni Archiepiscopi Arelatensis, Iubet, vt cum ab eorum Archiepiscopo ad Synodum in vrbe Lingonensi celebrandam vocati fuerint, accedant.

XCIX. Perignario, Ansigisi, Frothario, & Ioanni de Toronia. Hortatur, vt cum cognouerint de Ludouici Regis aduentu, ad locum veniant, vbi celebrandum erit Concilium.

C. Archiepiscopo Teutranno. Monet, vt sibi cum suis suffraganeis obuiam veniat, & Adalbertum Synodo adesse iubeat, vt rationem reddat eorum, de quibus Bernarius epis. quæstus fuerat.

CI. Venerabili Remorum epis. Miratur eum ad se non venisse: monet, vt quamprimum cum Suffraganeis ad Synodum veniat.

CII. Mironi, & Huncfrido germano suo, mandat ad Synodum venire, quod multorum scelerum dicantur esse rei.

CIII. Archiepiscopo Arelatensi, præcipit, vt ad vniuersalem Synodum cum suis episcopis quamprimum veniat.

CIV. Frothario epis. Biturgensi. Conqueritur aditum ad eius sedem ipsi Frothario interclusum: iubet vt ad Synodum vnà cum suis epis. accedat, annuens se Ludouico Regi præstolari.

CV. Bernardo nobilissimo Marchionum, monet vt Frothario aditum ad suam sedem patere faciat.

CVI. Liudberto Archiepis. Moguntino, vt Ludouicum Regem adhortetur, vt ad Synodum veniat; quod si impeditus fuerit, legatum mittat.

CVII. Supponi glorioso Comiti. Agit gratias de fidelitate erga Romanam Ecclesiam, quędam apud Carolomannum facienda iniungit.

CVIII. Liutberto Archiep. monet vt Bosonis filiabus hereditatem restitui faciat.

CIX. Mactefredo illustri Comiti, vt Bosonis filiabus hæreditatem restituat.

CX. Theodorico Archiep. Bisincorensi. Miratur illum ad se, sicut debuerat, non venisse; monet vt id quamprimum faciat: & ne in Laozonensi Ecclesia episcopum antequam secum loquatur, constituat.

CXI. Omnibus fidelibus in Gallia, pręcipit ne quisquam Pictauiensis Ecclesię bona inuadere & diripere præsumat: & vt ablata restituantur.

CXII.

CXII. Frothario Archiep. Burdegalensi, monet vt ad Synodum vnà cum episcopis suis accedat, seq; comparet ad respondendum ijs, quæ obijciebantur.

CXIII. Adalardo Archiep. Turonensi, Confirmat priuilegia Ecclesiæ prædijs concessa.

CXIV. Eidem, monet vt Vualderami causam ad exitum perducat, vel ad se remittat.

CXV. Bernardo Comiti. Iubet vt ipse cum quibusdam alijs ad Synodum accedat, in qua Bituriensis epis. de obiecto sibi infidelitatis crimine purgare se volebat.

CXVI. Vuibbodo epis. Commendat illius fidem, & hortatur vt legatum mittat, antequam cum Carolomanno in colloquium veniat, cui eum quoque interesse iubet.

CXVII. Carolo glorioso Regi. Agit gratias de obseruantia erga Romanam Ecclesiam, miratur quod ad se legatos non miserit. Rogat, vt ante colloquiũ, quod cum Ludouico Rege habiturus est, aut ipse veniat, aut legatos mittat.

CXVIII. Ludouico glorioso Regi, eiusdem argumenti.

CXIX. Carolo Regi. Arguit, quòd vocatus ad se non venerit, sicut Ludouicus Rex fecerat. Monet sub excommunicationis pœna, vt sui Regni finibus contentus, nullam Bosoni molestiam exhibeat.

CXX. Bernardum hominem sceleratum & contumacem excommunicat.

CXXI. Reuerendissimis & sanctissimis, Frothario Archiep. Bituricensi, & Anselmo Lemouicensi, Acfrido Pictauiensi, Dodoni Decauensi, Ratberto Cenomanensi, Hildeprando Sagiensi, epis. nec non & alijs omnibus epis. & Comitibus, alijsq; personis illustribus, sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, in quorum parochijs S. Mauritij Turonensis Ecclesiæ prędia esse videntur. Præcipit, vt inuasores bonorum Turonensis Ecclesiæ, cogat restituere, & decimas soluere.

CXXII. Rostagno Archiepiscopo Arelatensi, & Sigeboddo Narbonensi. Vt Vualdefredi Vceticensis epis. causam, contra Ractefredum epis. canonicè iudicent.

CXXIII. Vgonem & Emmonem, nisi ad fidelitatem Ludouici Francorum Regis redierint, excommunicat.

CXXIV. Mahendolensi episcopo, nec non & omnibus episcopis Britannicis, vniuersisque fidelibus. Arguit eos, quòd à Turonensis Archiepiscopi iurisdictione se subtraxerint, eiusque bona inuaserint. Præcipit vt ei pareant, & delictorum veniam petant.

CXXV. Ludouico Regi, diuæ memoriæ Caroli Imp. filio Bosonis obseruantiam erga se laudat, cui auxilium ad subigendos Ecclesiæ hostes mitti rogat. Egilmarum epis. commendat. Alios autem epis. qui venire iussi in sui auxilium non venerant, monet, vt Regia auctoritate compellat.

CXXVI. Ansberto Archiep. Mediolanensi. Increpat eum, quòd sibi auxilium non tulerit; & iam tertio monet, vt sibi Papiam certa die, cum suis Suffraganeis occurrat.

CXXVII. Eidem narrat labores pro Ecclesia susceptos; monet vt sibi cum omnibus episcopis suis Papiam occurrat.

CXXVIII. Berengario glorioso Comiti, omnibusque Optimatibus Longobardorum Regni, sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, vt sibi Papiam occurrant.

CXXIX. Ludouico Regi, gloriosi quondam Regis Ludouici filio. Miratur quod filiabus Bosonis, pro quibus alias rogauerat, hæreditatem iure debitam non restituerit. Iterumque monet, vt restituat.

CXXX. Supponi illustri Comiti. Miratur eum sibi, vt decebat, non occurrisse; certiorem reddit de his, quæ cum Ludouico Rege egit; monet vt ad se veniat.

CXXXI. Berengario Comiti. Commendat eius caritatem erga Romanam Ecclesiam. Significat celebratam in Gallia Synodum, seque incolumen reuersum: monet vt ad se venire festinet.

Hic ponitur Reclamatio & Proclamatio Hincmari Episc. quondam Laudensis qui ad Summũ Pontificem prouocat & exponit, quæ à suo Archiepis. Rhemensi iniustè passus sit.

Hic Frotharium Archiep. & ciuitatem eius inuadens vastauit.

Vgonis Lotharii Regis filii naturalis meminit Aimoinus lib. 5. c. 39.

CXXXII. Hugoni Abbati, monet vt dissensionem inter Abbonem & alios ortam sedet.

CXXXIII. Omnibus iudicibus & Ducibus, populoque Rauennatensi, fidelibus nostris. Iubet vt ciuitatem contra Lambertum viriliter defendant.

CXXXIV. Romano Leuitæ egregio, à Rauennatibus fidelibus nostris electo. Lætatur eum Rauennatem Archiepiscopum electum, iubet ne quicquam electionis causa vlli promittat: & epistolam suam Leoni, & Romanis scriptam afferendam curet, eorumque responsum ad se dirigat. Res Ioannis, & Deus dedit, Ducum, restituat.

CXXXV. Theodorico Archiepiscopo & Isaac episcopo, præcipit, vt excommunicent eos, qui Vuiperto Comiti filiam eripuerant, & regionem illam populabantur.

CXXXVI. Vgoni glorioso Comiti, monet vt quosdam facinorosos puniat.

CXXXVII. Hugoni, Theodorico, & Bernardo, illustrissimis Regni Francorum. Vt fœdus cum Bosone ictum seruent.

CXXXVIII. Vulgario Monacho, vt Valperto episcopo obediat.

CXXXIX. Mediolanensi atque Rauennatensi Archiepiscopis cum omnibus Suffraganeis suis, præcipit, vt quoties episcopus Ticinensis eos ad Synodum vocauerit, accedant.

CXXXX. Ioanni episcopo Ticinensi, raptores vxoris cuiusdam Rugiberti excommunicari iubet.

CXLI. Ioanni epis. Papiæ, vt sibi Turinum obuiam veniat: & epistolas à se scriptas quibusdam episcopis dirigat, vt ipsi ad Concilium accedant.

CXLII. Vuibbodo Parmensi, Paulo Placentino, Paulo Regiensi, & Liudoino Mutinensi, epis. iubet vt Papiam ad Synodum accedant.

CXLIII. Omnibus fidelibus, præcipit ne quispiam Monasterio S. Augentij quicquam detrimenti afferat.

CXLIV. Omnibus epis. in Regno Ludouici Regis. Rescribit eos, qui pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ in bello ceciderunt, si charitate erant præditi, veniam suorum delictorum esse consecutos, illisque indulgentiam concedit.

CXLV. Vtifredo epis. Vinciensis Ecclesiæ. Qui cum excommunicatis communicauerat. Missarum celebratione prohibet, donec sibi occurrat.

CXLVI. Hardoni epis. Belbacensi, decernit impuberes, qui alium occiderant, posse, peracta pœnitentia, ordinari.

CXLVII. Heumaro & Vuidoni Reuerendissimis epis. vt Bertildi vxorem ad se venire iubeant, illiusque adiutores nisi resipuerint, communione priuent.

CXLVIII. Vualeno epis. Metensi. Ne sponsus cogatur vxorem ducere sponsam ex alterius concubitu prægnantem, & de crimine confessam.

CXLIX. Ioanni epis. Ticinensi, vt cum quodam, qui pœnitentiam quinquennio egerat remissius agat.

CL. Ioanni Aginulpho epis. Gebaldanensi, præcipit, vt præsentium latoribus ablata restituenda curet.

CLI. Theodorico Archiepiscopo Vesensionensi. Fulcardum & Berelindam ab excommunicationis vinculo significat se absoluisse.

CLII. Ad omnes epis. Catholicos, vt sua instituta obseruent, iusteque iudicent.

CLIII. Romano Archiepiscopo Rauennatensi, præcipit vt Romam ad Synodum cum suffraganeis accedat.

CLIV. Eidem, vt Luponem presbyterum in Sarsennati Ecclesia Episcopum ordinet.

CLV. Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi. Vt Romam ad Synodum cum Suffraganeis accedat, vbi de Imperatoris electione agetur. Iubet, ne quemquam Regem excipiat, antequam ipse Imperatorem elegerit, nisi paruerit, eum excommunicat.

ALVI. Galderi glorioso Principi Beneuentanorum, consolatur eum de damnis

damnis ab Agarenis illatis, auxilium pollicetur, seque in eius partes venturum.

CLVII. Aioni epis. Capuano Commendat eius erga se obseruantiam, certiorem eum de sua incolumitate reddit, tum consolatur de obitu fratris.

CLVIII. Nobili viro Daferio Comiti, consolatur eum, opemque ei pollicetur.

CLIX. Athanasio epis. Neapolitano, vt sibi indicet locum, vbi simul possint de communis patriæ salute colloqui.

CLX. Carolo Regi, hortatur vt legatos mittat, & in auxilium Ecclesiæ Romanæ veniat.

Hic Carolus cognomento Caluus coronatus in Imp. à Io. VIII. die Nat. Dom. anno 876. Acta huius coronationis recitata in Cōcilio Ticinensi edita sunt ex Bibliotheca Petri Pithœi cum veteribus Francorum Annal.

CLXI. Athanasio epis. Neapolitano. Commendat eius erga se obseruantiam: de suo incolumi reditu certiorem ipsum facit: hortaturque ad perseuerantiam, donec simul conueniant,

CLXII. Eidem, eiusdem argumenti.

CLXIII. Aureliano, Auteramno, Thodorico & vniuersis Cœpiscopis illorum, pręcipit, ne Bichertinum incognita causa excommunicet, necue res eius inuadat.

CLXIV. Bosoni glorioso Principi. De incolumi eius prosperitate gratulatur, se tum eum, tum Angelbergam Imperatricem charos habere ostendit. Rogat, vt Adelberto & illius coniugi Rotildæ bona, quæ in Prouincia possiderant, retinere permittat.

CLXV. Liudtefrido Comiti, & coniugi suæ. Excommunicat eos, quia monialem à monasterio rapuerant.

CLXVI. Vbiberto epis. Arguit eum, quod bis vocatus, ad se venire neglexerit: pręcipit vt veniat obiectis responsurus.

CLXVII. Berengario glorioso Comiti. Declarat suam in eum beneuolentiam: commendat eius erga Romanam Ecclesiam obseruantiam. Rogat, vt Stephanum epis. intuendis Ecclesiæ suæ iuribus adiuuet.

CLXVIII. Pandenulfo glorioso Comiti. Rogat, vt legatis Imperatoris per eius regionem transituris auxilium præstet. Condolet de Paganorum in eum incursione. Excusat se cur ad eum non eat: hortatur vt sit animo forti, promittitque subsidium.

Pandenulphus erat Dux Capuanus vt asserit Leo in Chron. Cassinen. lib. 1. c. 45

CLXIX. Gregorio glorioso Primicerio, & Imperiali Baiulo, Commendat eius studium erga Ecclesiam & Imperatores, significat se ad Constantinopolitanæ Ecclesię perturbationes sedandas paratum esse. Ostendit Imperatoris legatos honorifice se excepturum quos etiam à Comite Capuano recipi, & ad se mitti iam antea mandarat.

CLXX. Theodosio Patriarchæ sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Excusat tardum legatorum eius reditum, per quos quędam munera ad eum mittit, rogans vt pro se assiduè Deum deprecetur.

CLXXI. Carolomanno glorioso Regi, vt in Vercellensi Ecclesia Gospertus diaconus constituatur episcopus.

CLXXII. Carolo glorioso Regi, Hortatur vt quamprimùm contra infideles & Ecclesiæ oppressores auxilio veniat.

CLXXIII. Vuibbodo epis. vt vnà cum legatis, quos ad Carolomannum mittit, eat, vel aliquem vice sua mittat. Arguit, quòd bona Angelbergæ diripi non prohibuerit: hortatur, vt ea recuperanda curet.

CLXXIV. Michaeli Regi Bulgarorum. Hortatur, vt ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ, à qua seductus recesserat, cum sua gente reuertatur.

CLXXV. Petro Cerbulæ, & Sundicæ, cæterisque optimatibus, & consiliarijs Michaelis Regis Bulgarorum. Eiusdem argumenti.

CLXXVI. Sedesclauo glorioso Comiti Sclauorum, præcipit, vt legato, quem ad Regem Bulgarorum mittit, iter tutum præbeat, ac necessaria suppeditet.

CLXXVIII. Excommunicat Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum, quia

quia ad Synodum vocatus venire comtempserat.

CLXXVIII. Gregorio Primicerio ac Baiulo Imperiali. Rogat vt legatos Constantinopolitanos ad se mittat, pollicetur, cum Francorum Rex Romam venerit, se ad eum auxilio iturum,

CLXXIX. Vibbodo epis. vt apud Carolomannum, vel Carolum eius fratrem de Ecclesia Dei à Paganorum infestationibus defendenda agat: Et si archicapellanus Caroli Romam venerit, ipse quoque veniat: sin minus, eorum Regiam voluntatem sibi literis aperiat.

CLXXX. Eidem. Scribit se tacitum tenere quod secretò ex ipso audierat, & auxilium, quod promiserat, ab eo omnino expectare, præterea se bene valere.

CLXXXI. Ansperto Archiepiscopo Mediolanen. Arguit eum quòd tertiò vocatus ad Concilium non venerit, præcipit vt Synodum celebrandam cum suis epis. accedat, & cum Francorum Regibus, qui in Italiam fuerint ingressi, placitum non faciat. Aliter excommunicationem minatur.

CLXXXII, Eidem, eiusdem argumenti.

CLXXXIII. Theodosio Diacono, electo sanctæ Ecclesiæ Nonensis. Laudat eius erga Romanam Ecclesiam obseruantiam, & præclaras eius virtutes: testatur suam iu eum beneuolentiam: monet vt à se consecratiouem Episcopalem accipiat.

CLXXXIV. Branimiro nobili Bulgaro. Suscipit eum ad Romanæ Ecclesię gremium redeuntem. monet vt in Dei amore perseueret: impartitur benedictionem Apostolicam, quam petierat. hortatur vt permittat legatum suum ad Regem Bulgarorum deferre.

CLXXXV. Omnibus Sacerdotibus & vniuerso populo sub ditione Branimiri constitutis. Excipit eos ad Romanæ Ecclesię gremium redeuntes. Monet vt perseuerent.

CLXXXVI. Carolomanno gloriosissimo Regi. Hortatur ad Ecclesiæ Romanæ defensionem, quæ à Sarracenis multis afficiebatur detrimentis. Rogat vt legatos benigne excipiat, & fidem illis in omnibus adhibeat.

CLXXXVII. Carolomanno Regi, vt in Vercellensi Ecclesia Conspertus creetur episcopus.

CLXXXVIII. Anselmo epis. Lemouicensi. Decernit non separandum virum ab vxore, qui filium suum necessitate vrgente baptizauit.

CLXXXIX. Michaeli Regi Bulgarorum. Agit Deo gratias, quòd legatos ad se miserit. doctrinam Ecclesiasticam, & Canonica instituta recepturus. Hortatur vt ad Romanam Ecclesiam redeat. Et si ei placuerit, se legatum missurum pollicetur.

CXC. Reuerendiss. & Sanctiss. epis. Vitali Iadrensi, Dominico Absarensi, cæterisque epis. Dalmatiæ. Et Ioanni Archipresbytero sanctæ Sedis Salonitanę, omnibusque sacerdotibus & senioribus populi, habitatoribus Spalatensis ciuitatis atque Zarensis, cæterarumque ciuitatum. Monet vt ad gremium Romanæ Ecclesiæ reuertantur, & electus ab eis Archiepiscopus consecrationem & pallium à se, & non ab alio accipiat. Vtque Legato quædam verbis relaturo fidem adhibeant.

CXCI. Rostano Archiepiscopo Arelatensi. Igibodo Archiepiscopo Narbonensi, Eroberto Archiep. Aquensi. Vt Nemornensem epis. à monasterio Romanæ Ecclesiæ subiecto remoueant, & si non paruerit, eum excommunicent, & à ministerio sacerdotali suspendant.

CXCII. Michaeli Regi Bulgarorum. De legatione ac muneribus missis gratias agit, dolet eum defecisse ab Ecclesia Romana, ad quam monet vt reuertatur: ostendit Græcos Bulgarorum diæcesim, cum sit Romani Pontificis, contra Canones detinere.

CXCVI. Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi. Arguit quod sedi Apostolicæ obediens non fuerit, eiusque legatos iniuriose tractarit, & excommunicatus

catus miſſas celebrarit. Ideo monet, vt ad Synodum ſe purgaturus quamprimum vel per ſe, vel per legatos accedat.

CXCVII. Ludouico glorioſo Regi. Gratias agit de propenſa voluntate erga Romanam Eccleſiam, hortatur vt ad eam à paganorum incurſionibus defendendam veniat, eique tacitè Imperium pollicetur.

CXCVIII. Airrado Archiepiſ. Hortatur ad deprauatos populi mores corrigendos, prohibet tum matrimonia inter propinquos contrahi, tum virum relicta vxore aliam ſibi adiungere, vel duas ſimul habere. Vetat res immobiles Eccleſiæ tanquam proprias vſurpari: ſtatuit Clericos eſſe ſub proprij epiſ. poteſtate.

CXCIX. Baſilio, Conſtantino & Alexandro glorioſiſſimis Impp. ſemper Auguſtis. Imperatorum precibus commotus, vt pax ſit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diſpenſat cum Photio, vt in Ignatij locum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha ſubrogetur, ſtatuens ne deinceps quiſquam ad Patriarchalem dignitatem, niſi per gradus Eccleſiaſticos aſcendat. Iubet Patriarcham Conſtantinopolitanum Bulgarorum diœceſim ſub Eccleſiæ Romanæ iuriſdictione relinquere. Monet omnes vt Patriarchæ debitum præſtent obſequium: præcipit vt ad Eccl. communionem eos, qui à Methodio, & Ignatio initati fuerant, admittant: excommunicat illos, qui cum Photio noluerint communicare.

Epiſt hæc deſumpta ex Cod. Vatic. charactere Longobardico exarato. Photius impoſtor ad vſitatam artem falſandi literas Roman. Pont. rediens, hanc quoque Epiſt. falſificauit, addendo, minuendo atque mutando ſenſum Pont. in abolitionē Octauæ vniuerſalis Synodus.

CC. Omnibus epiſ. & confratribus Eccleſiæ Conſtantinop. ſedem reſpicientibus, eiuſdem argumenti.

CCI. Photio Patriarchæ Conſtantinop. quem ſuæ ſedi reſtituit, dummodò in Synodo veniam poſtulet: decernit ne deinceps vllus è laicis in eadem Eccleſia ſtatim epiſ. ordinetur. Iubet Bulgaricam diœceſim Eccleſiæ Romanæ reſtitui.

CCII. Eximijs viris, Ioanni, Leoni & Paulo, Patricijs, atque Stiliano, Io: & Metroſani Reuerendiſ. Metropolitis & cæter. ſacerdotibus, ſeu cuiuſcunq; ordinis Clericis & laicis. Iubet eos ſchiſmate ſedato ad Eccleſiæ vnitatem redire, & Photio communicare.

CCIII. Paulo Anconitano, Eugenioque Hoſtienſi, epiſ. Conſtituit eos vnà cum Petro presbytero Legatos, vt, ſicut illos monuerat, pacem in Eccl. Conſtantinop. conficiant.

CCIV. *Angelbertæ Imperatrici. Significat ſe modò abſoluere* nolle Anſpertum Archiepiſ. ſed ſi in Synodo crimina, quæ obijciebantur, diluerit, tunc eum excommunicatione abſoluturum. Ait ſe pro Ludouico Imperatore in anniuerſario eius die ſacra facturum.

CCV. Landulfo filio Landonulfi, eiuſq; germanis. Scribit Traiectum ſe iturum, & quæ paci eorum conducant, curaturum, ibique cum de alijs, tum de Landulfo Capuanæ Eccl. epiſ. electo acturum.

CCVI. Gnaterio glorioſo Principi. Arguit quod contra Capuanos arma ſumpſerit; rogat vt mancoſos ſibi ab Amalphitanis reſtitui curet.

CCVII. Leoni epiſ. Dolet Capuæ diſcordias eſſe excitatas, ſignificat ſe Traiectum iturum, ibique de Landenulfo epiſ. electo, cuius confirmationem petierat acturum.

CCVIII. Landulpho venerabili presbytero & electo Capuano epiſ. Laudat eum, quod ad propinquorum ſuorum inſidias euitandas Capua fuerit egreſſus, & in diſcordijs ſedandis elaboret. Significat Traiectum ſe iturum, ibiq; de eius electione deliberaturum,

CCIX. Pulchari Præfecto. Arguit, quod nec fœdus cum paganis initum ruperit, nec ditionem S. Petri, ſicut promiſerat, defenderit. Præcipit, vt pecuniam pro ea re datam ad ſe remittat.

CCX. Congregationi Cœnobij Pultarienſis. Dolet eorum calamitates, ſignificat ſe, vt ipſi petebant, ad Boſonem, & Hugonem ſcripſiſſe, vt eos ab aduerſarijs tuerentur, mittit exemplar teſtamenti, quo Gerardus Comes vnà cum eius coniuge certa bona cuidam monaſterio Eccleſiæ Romanæ le-

Hugonis istius meminit Regin. lib. 2.

gauerat.

CCXI. Hugoni Abbati, vt monasterium Pultariense tueatur.

CCXII. Hugoni & Radolpho dilectis fidelibus nostris. Significat villam Vendoaram, nec Bosoni, nec alijs se concessisse; monet vt eam suo nomine defendant, ac gubernent, de qua re Bosoni ait se scripsisse. Arembertum, cui Boso eam donauerat, excommunicat, si in illam inuaserit.

CCXIII. Bosoni glorioso Principi, vt Vendoaram Villam quam contra fidem occuparat, & Aremberto cuidam concesserat, liberam Ecclesiæ relinquat, & ab ea suos & alienos remoueat; monasterium quoque Pultariense tueatur.

CCXIV. Guaiferio glorioso Principi. Monet vt à molestijs desistat, quas Capuanis inferebat, significat se in eius regiones iturum, & discordias sedaturum.

CCXV. Pandenulpho glorioso Castaldo. Significat se Guaiferio scripsisse, vt ab inferendo Capuanis damno desisteret.

Imperator à Rom. Pont. eligitur, & coronatur. Vel ab Electoribus ab eo constitutis, pro vt nūc practicatur. Nam antiquitus [hæreditarij Princ. erant, semel à Senatu, vel militibus electi.

CCXVI. Carolo glorioso Regi, scribit se literis cum, vt ad Imperium promoueret, ad vrbem aduocasse. Rauennam vsque ad eum processisse, sperasseque se auxilium ab eo aduersus Romanæ Ecclesię hostes recepturum: quæ spes ita eum frustrata est, vt nunquam hostes magis sæuierint, petit vt Ecclesiæ opem ferat, & dum iter parat, legatos ad se mittat; suosque legatos commendat.

CCXVII: Carolo Regi. Dolet se non posse cum eo colloqui, Arnulfum legatum ad eum mittit, petens ne Romanam Ecclesiam ab hostibus lædi patiatur, ideoq; eius legatum cum Arnulfo ad se mitti iubet.

CCXVIII. Romano Archiep. Rauennati. Miratur, quod iniurijs lacessitus ad se non confugerit. Nuncium Rauennam mittit, qui omnia contra eum gesta diligenter inquirat: & eos, qui iniuriam intulerant, Romam venire compellat: quibus cùm ipse ad Synodum proficiscatur, vbi eius causa agetur, eumque arguit, quòd in sua Eccl. non resideat.

CCXIX. Sanctissimis epis. eximijs Marchionibus & Comitibus, cunctisque sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus. Præcipit vt Ticinensi epis. cui potestatem excommunicandi tribuerat, obediant.

CCXX. Romano Archiepiscopo Rauennati, præcipit vt Romam ad Synodum veniat.

CCXX. Omnibus episcopis, presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omni Clero Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis, præcipit, vt in locum Ansperti Archiepiscopi in Romana Synodo priuati, alium à se consecrandum sufficiant. Mittit legatos, qui vnà cum ipsis electioni intersint, quibus in omnibus obediri iubet.

CCXXII. Carolo glorioso Regi. Significat Anspertum dudum Archiepis. Mediolanensem in Romana Synodo priuatum, ac Iosephum, quem ille in Vercellensi Ecclesia epis. ordinauerat, depositum: rogat, vt Conspertum in Vercellensi Ecclesia epis. à se consecratum, tueatur.

CCXXIII. Omnibus presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & omni Clero, ac primatis, omniq; populo Vercellensi, præcipit, vt Conspertum à se illis epis. constitutum recipiant, & congruo honore colant. *I*osephi inuasoris acta nulla esse declarat.

CCXXIV. Notingo Nouariensi epis. Monet, vt res Angelbergæ restituat, sin minus, denunciat illi excommunicationem, nisi intra duos menses ad reddendam de his rationem Romam veniat.

CCXXV. Petro epis. Pulchari Præfecto, atque vniuerso populo Amalfitano. Significat se eos excommunicasse, donec se à Paganis separent, minatur illis alias pœnas, nisi quamprimum pareant.

CCXXVI. Theodorico Theatino, Heodicio Firmano, *I*oanni Aprutiensi & Helmoino Pinnensi, epis. Ostendit mulierem, quæ vi, minisque coacta

cta religiosum habitum susceperat, ad vota seruanda non teneri, huius tamen causam illis definiendam committit. Quod si qua oriatur difficultas, eos vel eorum legatos cum ipsa muliere ad se venire iubet.

CCXXVII. Athanasio epis. Neapolitano, Petro epis. Caietano, Pulchari Præfecto Amalfitano, & Decibili atque Ioanni gloriosis Hypatis à paribus. Præcipit, vt fœdus cum Sarracenis ictum rumpant, quod nisi Kal. Decemb. fecerint, eis excommunicationem minatur. Pulcharum monet, ne Landulpho Capuano iudici molestiam inferat.

CCXXVIII. Helmoino epis. Pennensi. Arguit quòd ad Synodum non accesserit: iubet statuta die ad se venire, & interim quendam absoluere, quem iniustè excommunicauerat.

CCXXIX. Arpaldo epis. Asculano. Arguit quòd ad Synodum non venerit, iubet ad se venire, vt ijs, quæ à suis clericis obijciebantur, respondeat.

CCXXX. Miratur, quòd cum Papiam venerit, vbi simul conuenire debebant, legatos ad se non miserit, petit illos destinet, vt se ad eum conferre possit.

CCXXXI. Eidem Carolo Regi. Gratias agit, quòd cùm à se fuerit Conspertus Ecclesiæ Vrcellensis epis. ordinatus, eius ordinationi libenter acquieuerit. Se excusat, quòd Anspertum Archiepiscopum Mediolanensem eius precibus non absoluat. *Carolo glorioso Regi Francorum.*

CCXXXII. Paulo epis. Regiensi. Iubet Ecclesiam in villa Carpana sitam restitui, ibique sacerdotem constitui, & sacrum Chrisma annuatim ad eandem mitti.

CCXXXIII. Ioanni epis. Ticinensi, præcipit, vt Ecclesiam in Carpana villa sitam, quam Paulus Regiensis epis. reficere neglexerat, restituat, ibique sacerdotem proprium constituat, & sacrum Chrisma annuatim mittat.

CCXXXIV. Egilberto epis. Arguit eum, quòd cum excommunicatis à sede Apostolica communicarit; iubet ne cum Liutfredo & Oderico excommunicatis communicet.

CCXXXV. Egifredo, Supponi, Eripaldo, Berardo Bonifacij filio, & Cotephredo, gloriosis Comitibus, rogat vt bonorum Angelbergæ Imperatricis curam sustineant.

CCXXXVI. Teutmaro Archiep. Miratur eum morari, & ad se non venire, monet vt statim veniat.

CCXXXVII. Antonio epis. Brixiensi, & nobilissimo viro Berengario Comiti. Liutfredum Comitem, qui monialem, quæ è monasterio effugerat, suscepit, & bona Angelbergæ Imperatricis diripuit, excommunicat, nisi statuto tempore satisfecerit. Monet ne quisquam cum eo communicet.

CCXXXVIII. Euniberto glorioso Comiti. Minatur illi excommunicationem, nisi res S. Petri, & Angelbertæ Imper. restituat.

CCXXXIX. Gisulpho Abbati monasterij S. Christinæ. Eius curę monasterium Angelbergæ Imperatricis committit.

CCXL. Gregorio Spatario, Theophylacto Turmacho, atque Diogeni Comiti, Imperialibus. Gratulatur de victoria contra Sarracenos parta. Miratur cur Romam non venerit, mandat, vt contra Sarracenos sibi auxilio veniat. *Sæpius deuicit Sarracenos per suos Duces Basil. Imp. sed tum miraculose victoriam obtinuit cũ eorum Ducẽ Chrysochirem ad mœnia Theophrices ciuitatis cũ infinita multitudine occidit.*

CCXLI. Athanasio epis. Neapolitano. Commendat eius erga sedem Apostolicam obseruantiam. Hortatur, vt sicut promiserat pactum cum Sarracenis ictum frangat. Amalfitanos per legatum suum ea de re admonitos, si parere neglexerint, excommunicandos significat.

CCXLII. Petro epis. Pulchari Præfecto, & omnibus sacerdotibus ac clero, atque vniuerso populo Amalfitanæ ciuitatis. Monet, vt rupto cum Sarracenis fœdere, ad Ecclesię gremium reuertantur, & eam ob rem singulis annis decem millia mancosorum, & eo anno mille daturum se promittit, nisi paruerint minatur excommunicationem.

CCXLIII. Carolo glorioso Regi. Rogat eum, vt Hieronymum Lausonensem epis. pacificè retinere permittat, nec non vt Theoderico Archiep. res eius Ecclesiæ à quodam Hubone ablatas reddi iubeat.

CCXLIV. Liutohardo epis. Vercellensi, quem pro Hieronimo Lausonensi epis. ad Carolum Regem legatum constituit.

CCXLV. Theodorico Archiep. Sanctæ Chrisopolitanæ Ecclesiæ. Dolet eius Ecclesiæ calamitates. Carolo Regi se scripsisse affirmat, vt eum in omnibus tueatur, & res eius restitui iubeat. Hortatur, vt fortiter se gerat, & Lausonensis epis. apud eundem Regem causam agat, detque operam, vt suam Ecclesiam retineat.

CCXLVI. Carolo glorioso Regi. Commendat eius erga Romanam Ecclesiam obseruantiam, rogat vt legatum sibi auxilio mittat.

CCXLVII. Sfentopulchro glorioso Comiti. Gratulatur de eius & subditorum illius obseruantia erga sedem Aostolicam, recipit eos in fidem suam: ostendit Methodium Archiep. othodoxam fidem fuisse professum, cuius iura & priuilegia confirmat, eumque ad eos regendos mittit. Nitensis Ecclesiæ epis. consecratum significat, & alium ad se vult mitti, quem alij Ecclesiæ præficiat. Iubet omnes ipsi Archiepiscopo obedire. Concedit vt diuina officia Sclauonica lingua recitari possint, dummodo Euangelium Latina prius recitetur.

CCXLVIII. Landulfo epis. Suricorum. Obiurgat quod violauerit quæ ipse inter eum & Laudenulphum Capuanum epis. de frugibus illius Ecclesiæ decreuerat. Minatur illi excommunicationis pœnam, nisi suis decretis pareat: præcipit vt si se læsum sentiat, cum eodem epis. causam dicturus ad se veniat.

CCXLIX. Carolo Regi gloriosissimo. Gratulatur de eius erga Romanam Ecclesiam obseruantia, cuius eum defensorem elegit. Monet ne aduersarijs fidem habeat: laudat quod ditionem S. Petri ab hostili incursu defendi iusserit. Bosoni tanquam tyranno auxilium se non daturum affirmat; optat eius aduentum, & rogat vt legatos mittat.

Photius sedi Const. restitutus multa mala fecit, literasq. Pont. & Commonitorium falsificauit, legatos seduxit & schisma ingens in Eccl. introduxit. Igitur Io. Papa VIII. accepto Euangelio, ambonem conscendit & omnibus audientibus ita dixit. Quicumq. non habet damnatũ Photium diuina sententia, sicut ipsum reliquit Nic. & Adrianus sanctiss. Papa prædecessores mei, sit anathema. Tandẽ legatos à se antea ad eum missos præuaricatores inuentos damnauit & deposuit de gradu Sacerdotali.

CCL. Photio. Gratulatur de concordia Ecclesiæ Constantinopolitanæ; miratur multa, quæ statuerat, mutata esse; approbat quæ Constantinopoli in Concilio pro causa illius acta sunt, si tamen legati contra sua mandata non egerint.

CCLI. Augustis Orientis. Comendat studium in Ecclesiæ concordia stabilienda. Monet, vt in eo persistant: agit gratias de dromonibus auxilio missis: de monasterio S. Sergij, & de Bulgarorum diœcesi sedi Apostolicæ restituta; rogat vt Dei Ecclesiam tueantur: demum ea, quæ pro Photio in Synodo Constantinopoli acta sunt, se approbare significat, si tamen legati contra sua iussa non egerint.

CCLII. Carolo glorioso Regi. Gratias agit de eius erga sedem Apostolicam obseruantia, suam erga eum beneuolentiam testatur, aduentum eius pro Ecclesiæ necessitatibus expectat, monetque vt aliquem legatum mittat. Queritur de Georgio quodam excommunicato, qui ipsius Imperatoris auctoritate fultus, bona Romanæ Ecclesiæ inuaserit; rogat vt promissa auxilia mittat.

CCLIII. Romano Archiep. Rauennati, iubet eum Romam ad Synodum causa dissoluendi quasdam quæstiones aduenire.

CCLIV. Omnibus epis. per Ducatum Spoletanum & Camerinensem, & ad omnes epis. per diuersas Prouincias constitutos, vt Romam ad Synodum aduenniant.

CCLV. Carolo Regi. Lætatur de eius incolumitate, Deumque orat, vt omnia ei prosperè eueniant. Nunciat Sarracenos à Græcis victos, seque à Sarracenis, & alijs etiam valdè premi: quare petit, vt sibi quam citissimè auxilio veniat.

CCLVI. Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi. Inobedientiæ eum arguit, præcipitque vt Rhodoaldum, & Vuarlenum monachos, quos iniustè in carcerem coniecerat, ad eorum monasterium honorifice remittat.

CCLVII.

CCXVII. Salomoni Procuratori Papię, eiusdem argumenti.

CCXVIII. Adelberto Marchioni, ab excommunicatione eum absoluit, eiusque homines si spatio quindecim dierum intra mensem Martium Ecclesiæ satisfecerint.

CCLIX. Eundem monet vt perficiat quæ per legatos mandauit.

CCLX. Ansperto Mediolanensi Archiepiscopo. Confirmat Iosephi epis. Astensis ordinationem, qui alias contra Canones Vercellensis Ecclesię fuerat epis. constitutus.

CCLXI. Anselmo epis. minatur excommunicationis pœnam, nisi ad sui Archiep. Mediolanensis obedientiam redeat.

CCLXII. Attonio excommunicato epis. scribit, nisi Ecclesiæ Mediolanensis bona quæ abstulerat restituat, & ad obedientiam sui Archiepiscopi cum socijs redeat, veniam non concessurum.

CCLXIII. Ludouico & Carolomanno Regibus & Hugoni Abbati. Rogat, vt vnam cum Carolo Imperatore de reuocanda ab exilio & Romam remittenda Angelberga consentiant: Vbi eam ita se custoditurum pollicetur, vt nihil mali contra Imperatorem moliri possit, & si quid moliatur, Imperatori se eam redditurum promittit. *Vide Regni l. 2. Chron. & Annon. l. 3. c. 40.*

CCLXIV. Omnibus epis. sacerdotibus, seu Clero, ac populo sanctæ Mediolanensis Ecclesię. Recipit Hadericum sub tutela sedis Apostolicæ, & excommunicat omnes, qui illi, vel eius Ecclesijs molestiam intulerint.

CCLXV. Athanasio epis. Neapolitano. Arguit eum, quod non fregerit fœdus quod cum Sarracenis fecerat cùm promiserit illud rumpere. Ostendit multa mala eius causa à Sarracenis, Christianis fuisse inflicta. Munatur illi excommunicationem nisi fœdus illud rumpat.

CCLXVI. Adelchisio epis. Tridentino. Arguit quòd in bona Veronensis epis. inuaserit. Eius causam quibusdam epis. se commisisse, significat, monet vt eorum acquiescat sententiæ.

CCLXVII. Ioanni Bononiensi, Egilulfo Mantuano, & Eicardo Vincentino atque Viatori Ferrariensi, epis. causam inter Tridentinum & Veronensem epis. versantem committit, monet vt eam iure definiant, & ad se sententiam mittant, vt eam confirmare possit.

CCLXVIII. Methodio Archiepiscopo, Gannoniensi. Gratulatur de Orthodoxæ fidei cultu, & de eius erga religionem studio & cura: precatur in dies spiritualem profectum maiorem, eumque consolatur.

CCLXIX. Carolo Imperatori. nunciat se ijs malis à Sarracenis affici, vt amplius sustinere non possit. Rogat eundem, vt sibi subsidio exercitum mature mittat, eiq; palmam cum benedictione mittit. *Intellige Carolum III. cognomento Crassum. qui coronatus fuit in Imperat. Roma die Natalis Dom. Anno 881*

CCLXX. Omnibus epis. Caietam, Neapolim, Capuam, Berolasim, Amalfim, Beneuentum & Salernum incolentibus à paribus. Athanasium Neapolitanum epis. qui sæpè monitus, nunquam, sicut promiserat, fœdus cum Sarracenis ictum rumpere voluit, à se cum omnibus ei consentientibus excommunicatum significat.

CCLXXI. Romano Archiepiscopo Rauennati. arguit quòd Albericum Comitem Rauennam asciuerit, & nobiles Rauennates contra iusiurandum sibi præstitum vexarit. Cùm Neapoli reuersus fuerit, ait se ea omnia curaturum. Iubet Dominicum Archidiaconùm Fauentinæ Ecclesiæ Episcopum consecrari.

CCLXXII. Eidem. Arguit eum quòd alterius legitimam vxorem raptori tradi consenserit, & Romanæ Ecclesiæ ausus fuerit aduersari: has ob causas illum à conferendis sacris ordinibus suspendit, donec à Synodo, ad quam eum iubet venire, eius causa cognoscatur.

CCLXXIII. Eidem. Iubet Placentinos clericos, quos sine commendaticijs literis ad eum confugientes receperat, ad eorum epis. remitti; eiusdem etiam Ecclesiæ clericos absolui, donec cum eis ad Synodum veniat.

CCLXXIV. Constantino Sacerdoti Ecclesiæ Fauentinæ. Excommunicat eum,

eum, quòd absque sua licentia ab Archiepiscopo Rauennate ad Fauentinæ Ecclesiæ epis. promotus fuerit: prohibetque eum illius Ecclesiæ administrationem attingere, donec ad Synodum Romam veniat.

CCLXXV. Romano Archiepiscopo Rauennati. ad Synodum Romam sub pœna excommunicationis venire iubet, vt ad ea, quæ obijciebantur respondeat.

CCLXXVI. Romano Archiepiscopo Rauennati. cunctisque iudicibus & populis S. Ecclesiæ Romanæ subiectis. Deus dedit Rauennatem iniustè excommunicatum absoluit: confirmat illius cum Maria vxore coniugium, iubet eum defendi.

CCLXXVII. Carolo Imperatori. Petrum & Zachariam legatos ad eum mittit, causa corrigendi mala, quæ se, eo regnante, perpessum queritur.

CCLXXVIII. Omnibus venerabilibus sacerdotibus & Clero, atque vniuersis iudicibus populoque Rauennati. præcipit vt se à Rauennatis Archiepiscopi in Synodo excommunicati communione separent, quousque eum absolutum cognouerint.

CCLXXIX. Carolo Imperatori, Gratulatur de eius incolumitate, gaudet ipsum aduenturum esse statim in Italiam; hortatur vt maturè Romanę Ecclesiæ auxilio veniat, & Guidonem prædatorem ab Ecclesiæ finibus eijci iubeat.

CCLXXX. Liutuuardo epis. gratias agit, quod dederit operam, vt Imperator in Italiam ad Ecclesiæ defensionem veniret.

Geneua nunc nidus Caluini starum, vocatur aliter Colonia Allobrogum ciuitas libera sub protectione Galliæ Regis.

CCLXXXI. Clero & populo Geneuensi, præcipit vt Optando epis. à se consecrato obediant.

CCLXXXII. Omnibus Archiepis. & epis. atque Comitibus Italiæ. Hortatur dent operam, vt Carolus Imperator Angelbergam Romam venire patiatur, quam se ita custoditurum promittit, vt nihil contra ipsum Carolum cum Bosone moliri possit; & si quid tentauerit, se eandem remissurum pollicetur.

CCLXXXIII. Vuilberto Archiepis. Agrippinensi. Commendat eius vigilantiam, & presbyterum quendam excommunicatum, nunc ipsius testimonio longa pœnitentia purgatum, eius precibus commotus absoluit, & sacerdotali ministerio restituit. Causam Gedeonis adulteri ei committit, vt sententiam canonicè ferat.

CCLXXXIV. Barnimiro glorioso Comiti, omnibus sacerdotibus, iudicibus, cunctoque populo fideli. Ostendit sibi gratissimam fuisse eorum in sedem Apostolicam obseruantiam. hortatur ad perseuerantiam: iubet legatos ad se mitti, quibus reuertentibus legatum suum se missurum pollicetur, cui ipsi fidelitatem iuxta Ecclesiæ ritum promittant.

CCLXXXV. Archiep. Rauen. Laudat eius studium erga sedem Apostolicam, eumque monet vt perseueret. pollicetur eum à se in amicorum numerum referre. Præcipit vt Romam veniat.

CCLXXXVI. Carolo Imp. Gratulatur de eius obseruantia erga Romanam Ecclesiam. Lætatur ipsum Rauennam venire velle, vt de Ecclesiæ & Imperij statu agat, rogat vt ante diem, quem præstituerat, accedat.

CCLXXXVII. Michaeli Regi Bulgarorum. Miratur quod legatos non miserit, quemadmodum iamdiu promiserat, monet vt id quamprimum faciat.

CCLXXXVIII. Oteramo Viennensi epis. Arguit quòd foueat socios Bosonis, idq; à se imperari asserat. Præcipit vt Romam accedat, vt crimina quæ ipsi obijciuntur diluat.

CCLXXXIX. Leoni epis. Thianensi. Item Landulfo epis. & Landoni Gastaldio patri eius, vt Auxentij filium ab Attinulfo captum, patri restituendum curent.

CCXC. Ludouico & Carolomanno gloriosissimis Regibus, gratias agit de eorum erga sedem Apostolicam obseruantia, suumque illis auxilium pollicetur.

CCXCI. Vgoni Abbati, Bernardo Guitoni, & alijs gloriosis Comitibus. Gratias agit quòd Ludouicum & Carolomannum Reges, ab eorum parentibus sibi commendatos protegant, hortatur vt in eo persistant, suamque opem pollicetur.

CCXCII. Oterano Viennensi epis. Arguit eum, quòd in carcerem detruso Optando epis. à se consecrato, alium ipse Geneuensi Ecclesiæ præfecerit. Præcipit sub excommunicationis pœna, vt eundem propriæ sedi restituat, atque ad Synodum veniat, & ad diluenda ea, quæ ipsi obijciebantur, se paret.

CCXCIII. Carolo Imp. Queritur multa bona Ecclesiæ Romanæ à Guidone quodam Marchione erepta, rogat vt Ecclesiam defendat, & ipsemet adiutor veniat.

CCXCIV. Athanasio epis. Neapolitano. Ab excommunicatione eum absoluit, & ministerio sacerdotali restituit, dummodò pactum cum Sarracenis initum, sicut promiserat, rumpat, & ex eis aliquos, cæteris iugulatis, captos mittat, nec deinceps cum eis fœdus feriat.

CCXCV. Oteramo Viennensi Archiepiscopo, eiusdem argumenti. Præterea mittit literas Maurianensi epis. vt cum Gratianopolitano ad Synodum veniat.

CCXCVI. Adalberto Maurianensi epis. dolet Gratianopolitanum epis. ex Ecclesia per vim ab eo expulsum, iubet vt Romam ad Synodum cum eodem accedat.

CCXCVII. Michaeli Regi Bulgarorum, hortatur vt ad fidem & obedientiam. Romanæ Ecclesiæ redeat, & legatos mittat.

CCXCVIII. Liutuardo Vercellensi epis. Quæritur nullam sibi contra Sarracenorum excursiones opem ferri, rogat, vt ab, Imperatore celeriter postulet auxilium. Legatum suum commendat, petit det operam vt Angelberga ab exilio reuocetur, & Romam mittatur.

CCXCIX. Anselmo Archiepiscopo Mediolanensi, Ecclesiæ illius priuilegia confirmat, hortatur vt in Romanam Ecclesiam sit fidelis. Narrat Sarracenorum & iniquorum Christianorum iniurias; rogat vt pro Ecclesia ad Dominum preces effundat.

CCC. Romano Archiepiscopo Rauennati, præcipit vt Ioannem Diaconum benignè excipiat, & res ei ablatas restituat.

CCCI. Omnibus venerabilibus sacerdotibus & Clero Rauennatis Ecclesiæ. Vt Maimbertum quendam, quem alias ab Ecclesia Rauennate expelli iusserat, comprehensum, legato suo & Ioanni Duci tradant, & ad se mittendum curent.

CCCII. Martino, Ioanni, Demetrio atque Romano gloriosis Ducibus, nec non & alijs fidelibus nostris. Eiusdem argumenti.

CCCIII. Ioanni Duci & Misso nostro, vt Maimbertum captum ad se ducat, & mulieres, quæ apud ipsum sunt, detineat, & Romano Archiepis. epistolam deferendam curet.

CCCIV. Sacerdotibus, Senatui, populoque Rauennati. Dolet eorum Antistitis mortem, monet vt electum ab eis Archiepis. congruo persequantur honore. Ecclesiam Rauennatensem, & Deus dedit & Ioannis Ducum bona defendant.

CCCV. Hugoni regia prosapia edito & religiosissimo Abbati. Hortatur vt ad se cum Ludouico Rege veniat. Monet vt à quorundam anathematizatorum se communione separet.

CCCVI. Embolimo, vt Carolum Regem in Romanæ Eccl. dilectione & defensione confirmet, ac moneat, vt suis respondeat epistolis.

CCCVII. Supponi glorioso Comiti. Mandat vt ad montem Cinisem obuiam sibi veniens, Imperatricem Angelbergam & Præsules Mediolanensem & Parmensem idem facere moneat, vt simul, quæ ad vtilitatem Ecclesiæ pertinent, tractare valeant.

CCCVIII.

CCCVIII. Ioanni epiſ. Ficoclenſi, viſitationem Fauentinæ Eccleſiæ paſtore deſtitutæ, eiuſque curam ei committit, donec nouus paſtor eidem præficiatur.

CCCIX. Aldefonſo Regi Chriſtianiſſimo. Ouetenſis Eccleſia Galleciæ Metropolitana efficitur, & legatos commendat.

CCCX. Eidem Regi Gallæciæ. Monet Eccleſiam S. Iacobi conſecrari.

CCCXI. Clero Salernitano. Diſpenſat cum quibuſdam excommunicatis.

CCCXII. Michaeli Regi Bulgarorum, ne incidat in ſchiſma.

Primum Concilium ſub Ioanne VIII. Ticinenſe.

Anno Dom. 876. Quo Imperium Carolo (cognomine Caluo) collatum confirmatur, qui ipſo die Natalis Domini inunctus & coronatus fuit. *Acta Coronationis vide in fine Annalium Francor. à Pithœo Pariſ. editorum.*

Secundum Concilium Pontigonenſe.

Anno Dom. 876. Vide Odoranum Monachum Senon. in Annalibus. Quo iuſſu ſedis Apoſtolicæ Galliarum epiſ. electionem Caroli confirmarunt Regni ipſius anno 37. Imperij autem primo 16. Kal. Auguſti. *Acta huius Concilij recitantur ab Aimoino lib. 5. cap. 32. & ſequen.*

Tertium Concilium Neuſtrienſe.

Anno Dom. 877. Celebratum aduerſus Hugonem Lotharij Regis filium illegitimum, inuaſorem Regni, præſidente Hincmaro Archiep. Rhemorum. *Vide Flodoardum lib. 3. Hiſt. Rhem. cap. 18.*

Quartum Concilium Trecenſe.

Anno Dom. 878. Quo excommunicatio in Formoſum Portuenſem epiſ. alioſq; hoſtes Eccleſiæ à Ioanne Papa VIII. lata confirmatur, & Ludouicus Imp. III. cognomento Balbus coronatur. Hincmarus Laudunenſis ſedi priſtinæ reſtituitur. *Vide Aimonium lib. 5. c. 37. & Flodoardum lib. 3. cap. 29.*

Quintum Concilium Romanum.

Anno Dom. 879. Menſe Maio. Ob electionem noui Imperatoris poſt obitum Ludouici III. cognomento Balbi congregatum; electuſque fuit Carolus Craſſus, filius Ludouici fratris Caroli Calui, ſed poſt biennium vſque. *Vide Regin. in Chron. & Aimoin. lib. 5. c. 39.*

Sextum Concilium Romanum II.

Anno Dom. 879. Quo Petrus in cauſa Photij reſtituendi miſſus eſt Conſtantinop. vt eum à cenſuris Eccleſiaſticis abſolueret.

Septimum Conciliabulum Conſtantinepolitanum Oecumenicum Pſeudo octauam reprobatum

Anno Dom. 879. Epiſcoporum 395. quo poſt obitū Ignatij reſtitutio Photij eſt confirmata, ſancta verò Oecumenica Synodus Octaua ſub Adriano ſecundo celebrata planè abrogata; & è Symbolo illa particula FILIOQVE ſublata fuit: Baſilio Imperatore & Photio procurantibus, & Pontificem doloſè loco gratitudinis diffamare conantibus. Qui ad hoc Marinum Epiſ. (qui ſibi in ſede ſucceſſit) virum animi conſtantiſſimi Conſtantinopolim miſerat, vt cuncta, quæ perperam, per tres legatos ad reſtitutionem Photij miſſos, in hac Synodo geſta erant, planè infirmaret. Quare ab Imperatore Baſilio in carcerem ille coniectus & triginta diebus detentus fuit. Ioannes verò Papa VIII. ipſum Photium anathemate percuſſit, legatoſque ſuos præuaricatores condemnauis & depoſuit, vbi certius cognouit, quæ contra Oecumenicam Synodum Octauam facta & perpetrata fuiſſent.

Octauum oncilium Romanum III.

Anno Dom 881. Quo Athanaſius Epiſ. ſimul & Princeps Neapolitanæ vrbis, propter fœdus cum Sarracenis initum excommunicatus eſt.

Anno Dom. 882. 5. Kal. Feb Car. III. an 2. Baſilii Maced. anno 16.

MARINVS I. (Qui perperam Martinus II. nominatur.) Galleſio oppido oriundus, poſt triduum ab obitu Ioannis, vnanimi conſenſu totius cleri, ex epiſcopo Pontifex Summus creatus. Sedit annum vnum & dies 20. Hic dum Diaconus eſſet, miſſus fuerat cum Donato atque Leone Conſtantinopolim, ad inſinuandam Pho-

Photio anathematis sententiam, qua à Nicolao Papa perculsus erat. Iterumq; Adriani II. tempore, cum Donato & Stephano logationis Apostolicæ munere functus, Constantinopoli Photium deposuit, Ignatium restituit, atque Sacrosanctæ Oecumenicæ Synodo Octauæ præsedit. Bulgari eum sibi Episcopum dari apud Adrianum II. instituerunt, sed non impetrarunt. Creatus à Ioanne Pontifice epis. tertio Constantinopolim missus est, ad ruinam illam reparandam quę per Petrum, Paulum, & Eugenium, tres Sedis Apostolicæ istuc pro Photio restituendo ad Synodum ablegatos facta erat. Cumque ibidem summa animi constantia coram Basilio Imperatore, cuncta quæ prædicti tres legati perperam gesserant irrita reddidisset, triginta diebus in carcere detentus fuit. Hac confessionis gloriosa corona redimitus, ab eodem Ioanne VIII. ablegatus est ad Athanasium Neapolitanæ vrbis epis. & Principem, vt si fœdus, quod ille cum Sarracenis initum habebat dissolueret, eum à sententia excommunicationis, quæ Synodali iudicio in eum lata erat, absolueret. Initio Pontificatus sui Photiū, omniaq; eius acta ad munus episcopale spectantia, damnauit, & Conciliabulum pseudo octauum planè reprobauit. Qua de causa Basilius grauiter offensus furoreque incensus, Romam scribens dicebat. Marinum non esse Pontificem, eo quod alterius Ecclesiæ epis. iam ante ordinatus fuisset. Aliaq; multa aduersus eundem Papam sanctissimum effutiens, solio Pontificio eum deijcere satagebat. Hic Formosum epis. Portuensem, munere Apostolatus apud Bulgaros olim præclare functum, aliarumque legationum meritis exornatum, quem Ioannes episcopatu deposuerat, & iuramento obstrinxerat, se nunquā ad sedem epis. rediturum, sed laica communione contentum deinceps quieturum, in vrbem & episcopatū reuocauit, atque eundem in pristinū statum restituit. Fulconi quoq; Rhemensi Archiepiscopo, qui Hincmaro surrogatus erat, post emissam orthodoxæ fidei professionem pallium concessit. Scholam Anglorum Romæ existentem rogatu Aelfredi Regis à tributo liberam fecit. Huius temporibus, Northmanni Treuirorum, Tungrorum, Vbiorum, aliorumque circumiacentium populorum vrbes & oppida incendijs & rapinis deuastarunt. Photius etiam schismaticus hoc tempore Aquileiensi Archiepiscopo imperito & schismatico de Processione Spiritus Sancti respondens, causam dedit, quod sicut iam diu ante hæc tempora Hispaniarum & Galliarum Ecclesiæ, ita etiam ad retundendam Photij eiusque sectariorum de processione Spiritus S. hæresim, Romana Ecclesia additamentum illud Filioque ad Symbolum Constantinopolitanum posterioribus hisce seculis adiecerit, & in Ecclesia publicè decantauerit. Marinus autem Apostolico munere laudabiliter perfunctus, migrauit ex hac vita 15. Kal. Febr. Anno Redemptoris 884. Post obitum eius sedes biduo vacauit.

Hoc eodem Anno incensum est à Sarracenis monasterium S. Vincentii ad fontes vulturni atque nongenti monachi ab eisdem barbaris decollati.

ADRIANVS III.

Natione Romanus. Patre Benedicto sedit annum vnum, Menses 3. dies 19. Solicitatus à Basilio Imp. vt cum Photio in rebus fidei & religionis communicaret, non tantum petitioni eius non acquieuit, verum etiam exemplo prædecessoris sui Marini eundem tanquam laicum acerrimè est insectatus. Quo facto Imper. grauissime contra eum commotus, hostiles ei litteras contumelijs plenissimas transmisit. Quas illo defuncto acceperat Stephanus Papa, & vt ei responderat vide in Appendice Octauæ Synodi Oecumenicæ.

Anno Dom. 884. 13. Kal. Febr.

Hic de electione Pontificis decreuit, ne in ipso creando Imperatoris auctoritas exspectaretur, idq; ideo, vt Cleri & populi libera sint suffragia. Eius tempore Cassinense monasterium à Sarracenis incensum. Hic mortuus est anno Domini 885. Septimo Idus Maij & sepultus in Basilica S. Petri.



LIBER XVII.

Adriano successit Stephanus VI. sed appellatione quintus. Qui enim Stephanum II. paucis diebus sedentem è nu. Pōtificatū perperam omittunt, iidē in posteris ordine recensendis & numerandis, aberrant.



REQVENTES mortes Pontificum, secutæ sunt mortes Principum, vnde & Schismatis in Ecclesia & tyrannidis in Principatu occasio, vtrobique verò tumultuum & odiorum materies. Cum & Francia Hunnorum Northmannicæque gentis procellis turbaretur, & Italia Sarracenorum deuastaretur incursionibus: & in Oriente perniciosæ repullularent hæreses, & in Africa dudum exorta nondum sedarentur inter Episcopos schismata. Quæ singula in progressu latius patebunt, tum ex vitis Pontificum, tum ex Concilijs ea de causa celebratis.

Anno Dom. 885.

STEPHANVS VI.

Natione Romanus, ex patre Hadriano, de regione Via lata. Sedit annos sex. Hic nobili prosapia ortus, studio & sollicitudine Zachariæ sanctissimi Episcopi consanguinei sui, & sedis Apostolicæ Bibliothecarij egregie sacris dogmatibus erat instructus, quem Adrianus II. conspiciens moribus bonis pollentem, & litterarum studijs feruentem, à prædicto inclyto genitore suo eum accepit, & ad subdiaconatus gradum Deo fauente prouexit, statuens eum inter alios sibi familiarem, & in Patriarchio Lateranensi Ecclesiasticum peragentem officium. Erat enim corpore castus, animo beneuolus, vultu hilaris, eloquio prudens, opibus largus, ingenio felix, pupillorum & inopum nutritor, mœrentium consolator, & vt generaliter comprehendam, omnium virtutum floribus adornatus. Quamobrem in Ecclesiæ seruitio perdurans & magis ac magis specialibus studijs vacans, à piæ memoriæ Pontifice Marino bene notus, & familiaribus obsequijs adscitus, in presbyterum tandem tituli Beatorum quatuor Coronatorum consecratus fuit. Defuncto verò venerandæ memoriæ Adriano Papa III. in villa quæ Vuilczahora nuncupatur super fluuiū Scultinum in Aemilia, cuius tempore Romani ciues, multa tam locustarum deuastatione, quàm pluuiæ sterilitate, seu famis inopia passi fuerant incommoda, credentes se posse huius venerabilis viri sanctitate releuari, per Dei misericordiam facto conuentu sanctissimorum Episcoporum, & totius Clericalis ordinis, nec non nobilium, Senatorum & virorum illustrium cœtu, acclamantibus omnibus vna cum omni populo & vtriusque sexus multitudine, dixere. *Domnum Stephanum Presbyterum Deo dignum omnes volumus, omnes quærimus, & petimus nobis præesse Pontificem, quia proculdubio credimus, eius sanctitate nos posse liberari ab imminentibus periculis.*

Tunc quia supranominatus Adrianus Pont. Rom. reliquerat Ioannem venerabilem Ticinensem Episcopum, vt Missum Caroli excellentissimi Imperatoris pro tuitione vrbis, omnes cum eodem legato Imperiali iuncti vnanimes venerunt ad domum, vbi cum patre ipse almificus Stephanus sancta meditabatur colloquia: & ecce fractis foribus tenetur, & ducitur electus Dei Pontifex ad eundem titulum SS. quatuor Coronatorum sibi creditum reluctans plurimum,

simul cum patre, reclamantibus vtrisque, & indignos se tanto honore profitentibus. Vbi & omnes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scholæ gaudentes coniunctæ eundem venerandum electum trahentes, ad Lateranense Christo præduce perduxerunt palatium; cum omni honore & debita reuerentia. Priusquam autem ad sacrum palatium perueniret, tanta pluuiarum cælitus facta est inundatio, quæ sua vbertate terram, à multo retro tempore aridam, refecerat, vt aperto indicio Deus ostenderet, tanti viri meritis ac precibus, omnibus se velle propitiari populis. Quo scilicet in eodem residente palatio, gaudent vtriusque ordinis proceres, & debitam fidelitatem cæperunt exhibere. Adueniente autem proximo die Dominico, ad B. Petri Apostolorum Principis limina omnis Romana Ecclesia eum honorabiliter detulit, vbi etiam consecratus Pontifex, Missarum ex more celebrauit solemnia. Et rediens, cum debito honore ac honorificentia ad Lateranense palatium, suum ministerium miris cœpit decorare operibus. Deinde cum venerabilibus Episcopis, & Augustali Legato, ac honorabili Senatu, per omnia sacri palatij perrexit vestiaria, quæ in tantum deuastata reperit, vt desacratis vasis, quibus mensas tenere festis diebus Pontifices consueuerant, paucissima inuenirentur. De reliquis verò opibus, nihil omnino. Sed quid mirum si à vestiario omnes gazas ablatas reperit, qui sacraria perquirens, de pluribus donarijs & Ecclesiarum ornamentis penè nihil inuenit? Sed & crux illa aurea famosissima, quam Belisarius Patricius in honorem B. Principis Apostolorum Petri instituit, & plurimæ sacratissimorum altarium aureæ vestes, cum reliquis preciosis ornamentis defuerunt. Et ideo ipse beatissimus Papa coram tantis testibus ea requirere præuidit, vt cuncti cognoscerent, nihil tale suis temporibus esse attentatum. Idcirco graui mœrore affectus est, quia deuastatis vestiarijs, horrea simul & cellaria vacua inuenta sunt, & quid erogaret Clero & Scholis non habebat, vel vnde captiuos redimeret, orphanos & viduas pasceret in tam validissima quæ instabat fame carebat. Itaq; conuersus ad patrias facultates, quas incliti sui parentes possederant, abstulit & larga dextra prout potuit pauperibus erogauit: & ita Deo miserante factum est, vt famis inopiam suo studio mitigaret. Ministros itaque hinc inde & familiares perquirens, tales suis obsequijs aggregauit, qui & vitæ sanctitate, & fidei sinceritate, & prudentiæ celebritate, & eloquentiæ facunditate, & morum denique probitate pollerent. Cum autem ad prandium sedebat, orphanos quotidie aduocabat, quos vt filios alebat: Conuocatos verò nobiles, cum corporeis pasceret cibis, spiritualibus epulis refouebat: & tantum Dei timorem mentis oculis ferebat, & in diuinis laudibus insistebat, vt ad eius prandium sacra per singulos dies lectio recitaretur. Missarum autem solemnia quotidie celebrabat, nisi cum vtilitatem populi ad se reclamantis perficere cupiebat, vt oppressos subleuaret & afflictis subueniret.

Hunc Pont. ferunt diuinitus admonitũ fuisse, vt Diodori, Mariani, aliorumq; Mart. sub Steph. primo occisorũ corpora quæreret, inuentaq; in vrbem transferret Surius To. 1. die 17. Ianu.

Inoleuerat illis temporibus pessimà illa consuetudo, vt mortuo Summo Pont inuaderent homines Sedis Apost. Patriarchiũ atq; deprædarentur ipsum: Quod etiã in Pol fiebat per longũ tempus, mortuo quocunque Episcopo.

Intuitus verò insolentiam populi, & cæcitatem cordis sui, vaniloquis & nefarijs fabulis & otiosis sermonibus vacantis in Ecclesia, & audiens quosdam vulgante fama, maleficijs & incantationibus vti, hac allocutione Missam celebrans populum admonuit. Filiationem vestram charissimi commonemus, vt conuenientes ad sacratissimum Dei templum, id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis. Si enim veraciter templum Dei esse creditis, illud ad quod conuenitis proculdubio in illo operari debetis, quod ei placet, cuius templum est, ad quod conuenitis. Cum enim vbique Deus sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri, & quantum ipse inspirare dignatus fuerit, inibi quod ei placeat, debet expeti. Est ergo misericors Deus, ita tamen misericordiam suam vnicuique disponit impertiri, vt rogantibus eam tribuat non ingratis, & tanto largiori illam tribuat vnicuique pietate, quanto maioribus gemitibus & ardentiori animo à quolibet sit deprecatus, sicut ipse dicit. Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Est namque templum Dei, locus orationis, sicut ipse alicubi dicit. Domus mea domus orationis est cunctis gentibus. Et psalmista. Domum tuam decent sancta Domine. Quippe si orationis domus est, id

 ibi

ibi oportet agere, quod vocatur, id est orare, psallere, peccata confiteri, amaris oculorum lachrymis, & mentis gemitibus delicta abluere, & fiducialiter veniam de commissis culpis implorare. Est quippe ibi specialiter respectus diuinus, assistunt ibi Angelici ordines, Sanctorum chori, qui fidelium vota & preces sacerdotis pro populo deprecantis ad aures perferunt Domini Sabaoth. Qua ergo fronte in sacratissimo Dei templo assistit, qui inanibus fabulis, & ociosis verbis insistit? Nam si de omni verbo ocioso in die iudicij ratio est reddenda, de his maximè reddetur ratio, & exigetur vindicta, quæ in conspectu tantorum Sanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato. Qua inquam spe veniam consequi de præteritis arbitratur delictis, qui non solum peccata sua negligit abluere, sed potius contendit augere? Pauescite illum, qui flagello facto de funiculis, eiecit vendentes & ementes de templo; Remissius scilicet est vriliter negotiari, quàm inaniter & occiosè confabulari. Cum venitis ad locum orationis, cum silentio state, intento corde Dominum deprecamini, vt orantis pro vobis sacerdotis vota suscipiat, preces exaudiat, habentes præ oculis monentem Dominum, & dicentem. Cum statis ad orationem, dimittite si quid habetis aduersus alterum, vt & Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra. Hæc meditantes & diuina gratia inspirante facientes, & Euangelicis & Apostolicis documentis imbuti, impetrata ab omnipotenti Deo misericordia, cum fructu bonorum operum, quasi lampadibus illuminati, cum gaudio & Christo repræsentari, & cum sanctis coronari merebimini.

De cætero charissimi, nosse vos volumus, quod legem Dominus populo suo instituens, Moyse teste, intulit dicens. Maleficum non patiaris viuere. In hac itaque vrbe (quod dolens dico) inueniuntur quidam, qui non solum maleficos non increpant, sed potius tuentur & fouent, per quos incantationibus quibusdam dæmones consulere non perhorrescunt, & diuinæ legis & Apostolicæ doctrinæ immemores, quæ intonat dicens. Quę participatio luci ad tenebras, aut conuentus Christo & Belial? In hoc enim quod Christo contempto, dæmones, Gentium more, consulunt, Christianos se omnimodis non esse fatentur. Quòd quam horribile, quamque sit prophanum, vt Christo contempto, dæmones Christianus adoret, vnusquisque perpendat; vt tale facinus fieri perhorrescat. Quamobrem quisquis deinceps tali contagio se polluere tentauerit, alienum viuifici fieri corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, Spiritus S. iudicio, donec à tanta resipiscat ignauia, iudicamus. Qui verò tam salubribus interdictis contemptor extiterit, & in eadem pestifera pertinacia perseuerans, resipicere neglexerit: in perpetuum à Deo Patre & Iesu Christo Filio eius sit anathema.

Cumque talis iste præstantissimus Præsul existeret, & in his quæ diuino cultui conueniunt, finetenus perseueraret, tanta est illi gratia diuinitus concessa, vt quidquid habere posset, sacris daret Ecclesijs, captiuos redimeret, solicitus existens pro salute omnium, quia cum fama sui nominis atque actuum tam per Orientales, quam Occidentales partes diffamaretur: penè omnes ad eum accurebant, vt eius benedictionem perciperent.

Anno Christi 887. Northmannorũ obsidione Paris. ciuitas laborans, Dei misericordia implorata, precibus Dei Genitricis, cui ciuitas dedicata est; & S. Germani Epis. aliorumq; SS. Patronorum liberata tandem fuit. Sequenti verò anno pridie Idus Ianuarii Car. Imp. iam antea repudiatus à suis

Quæ autem donaria diuersis Ecclesijs contulit, quasue à fundamentis reformauit tam in vrbe Roma, quam in vrbe Rauennatensi & alibi, longum esset enarrare, & pretium auri, argenti, gemmarumque ac lapidum pretiosorum æstimare. Hoc vnicum addam, quòd cum clades locustarum, quæ prædecessoris sui Adriani tempore, totam patriam penè consumpserat, malè multiplicato germine nasci cœpissent, & omnia repleuissent, misertus idem Sanctissimus Papa afflicti populi, primùm quidem diuulgauit, vt si quis de ijs vnum sextariũ caperet, & sibi attulisset, quinque vel sex denarios ab eo perciperet. Hoc autem populi audientes cœperunt huc atque illuc discurrere, easque capere, & misericordissimo patri ad emendum portare. Sed cum illas tali argumento delere nequiuisset, ad Domini misericordiam confugiens, in oratorium B. Gregorij, vbi eius lectus habetur, iuxta Ecclesiam Principis Apostolorum Veniens, sese

sese cum lachrymis in orationem dedit. Cumque diutius orasset, surrexit, & aquam proprijs manibus benedicens, Mansionarijs præcepit dicens. Tollite, & singulis distribuite, monentes vt in nomine Domini agros suos circumeant, & hanc aquam spargant per sata & vineas, petentes diuinum sibi suffragari subsidium. Quo facto, tanta Omnipotentis Dei subsecuta est misericordia, vt vbicunque ipsa aqua consperſa est, nulla penitus locusta remaneret. Hæc circumquaque vicini audientes ad vrbem confluunt, subueniri sibi deposcunt, omnem terram in pulueris modum locustis coopertam clamitant, quos pijssimus Papa benigne commonuit, eos de cœlo auxilium petere debere contra flagellum imminens, & mox læta successere, aqua ab eo benedicta recepta. Mortuus est hic sanctiss. Papa A. D. 891. sepultusq; in Basilica S. Petri.

mortuus est. Qui scripsit libellum de visione ipsi ante triennium ostensa de locis inferis & purgatoriis, quibus complures torqueri vidit Principum & Epis qui bellorum ciuilium fomitem succendissent.. Habetur in auctario ad Bedam, & recitatur à Vilelmo Malmesburiense l. 2 c. 2 in fine,

Scripsit Epistolas duas. *Vnam* ad Basilium Imperatorem, qua eum ob defensionem Photij redarguit, & contumelias Marino Pontifici obiectas refellit. *Alteram* ad Episcopos Orientis, qua ipsis pro ordinatione Stephani Patriarchæ Constantinopolitani dispensationem petentibus, eò quod à Photio diaconus ordinatus fuisset, respondet, & vlteriorem informationem petit.

Primum Concilium sub Stephano Papa VI. Coloniense.

Contra raptores rerum Ecclesiasticarum, oppressores pauperum, & incæstas nuptias celebratum, sexq; Capitulis compræhensum; desumptis nonnullis rebus ex Concil. Chalcedonen. *Anno Dom. 887. 3. Kal. April.*

Secundum Concilium Moguntinum.

Occasione Arnulphi noui Regis, disciplinæ Ecclesiasticæ, propter incursiones Northmannorum reformandæ celebratum, anno primo Arnulphi Regis. Vbi similiter conscripta fuere Capitula viginti sex, præsidente Luitberto eiusdem ciuitatis Archiepiscopo. *Vide Serrarium lib. 4. Hist. Mogunt.* *Anno Dom. 888.*

Tertium Concilium Metense.

Ad reformandos mores fidelium congregatum, præsidente eiusdem ciuitatis Rotberto Præsule. *Anno Dom 888.*

Quartum Concilium Vormatiense.

In causa Hermanni Coloniensis, & Adalgarij Hamburgensis episcoporum, de Bremensi Ecclesia contendentium, celebratum. *Vide Flodoardum lib. 4. c. 1.* *Anno Dom 890.*

FORMOSVS, Leonis filius, religione, morum integritate, atque doctrina laudatissimus, ex epis. Portuensi Pontifex creatus. Sedit annos sex. eleuante se contra eum electione tumultuaria Sergio Diacono. Hic iudicio sanctissimi Papæ Nicolai I. episcopatum suum digne & laudabiliter administrans, dignus habitus fuit, qui ad Bulgaros fide orthodoxa imbuendos Apostolus mitteretur: cumque ibidem annis plurimis degisset, gentemque illam ad Christi fidem conuertisset, maiorem sibi inde gloriam comparauit. Hunc Ioannes Papa VIII. qui magno suo dedecore res suorum prædecessorum bene dispositas visus est auersari, (Nam Photium Constantinop: & Zachariam Anagninæ epis. quos Nicolaus & Adrianus prædecessores sui sæpius damnauerant, non tantum restituit, verum etiam honoribus auxit) Episcopatu depositum, ad sortem laicalem redegit. Marinus verò eius in Pontificatu successor, vt pareat erexit, & pristinæ dignitati restituit. Cumq; hoc tempore pessimorum tyrannorum inuasione Romana Ecclesia grauissimè affligeretur, ipse verò Formosus toto terrarum orbe prudentissimus & sanctissimus haberetur, bono totius Ecclesiæ Catholicæ, prout sępius factum fuerat, ex Epis. Portuensi, ad Pontificatum summum prouectus est. Et statim initio Epistolam illam, quam Stylianus iussu Imperatoris Leonis, nomine omnium Orientalium Epis. destinauerat ad Stephanum VI. priusquam Romam adferretur defunctum, accepit, aliamque infra extantem reddidit. Valde sollicitus fuit, vt Carolum Simplicem, filium Ludouici Balbi, legitimum Galliarum Regni hæredem in Regno stabiliret: quem Fulco Rhemensis Archipiscopus, *Anno Dom 891.*

qua-

quatuordecim annos habentem, reiecto Odone Comite Parisiensi, qui Regis titulum tyrannicè vsurpauerat, solemnibus ceremonijs inunxit. Formosus verò Papa anno Pontificatus sui secundo Guidonem, qui sibi ante annos quindecim nomen Imperatoris vsurpauerat, Romæ occidentis Imperatorem coronauit. Similiter anno sequenti filium ipsius Lambertum Imper. vocauit, & diademate de more ornauit. Quibus sanè coronationibus ingentem concitauit contra seipsum inuidiam eorum, qui eiusdem Imperij coronam cuperent, nempe Arnulphi & Berengarij: quin etiam Romanos ciues infensos sibi reddidit: eorumque viuens simul & mortuus grauissimas iniurias, sustinuit. Vltimo verò ætatis & Pontificatus sui anno Arnulphum Germaniæ Regem in Italiam aduocauit, & in vrbe magno honore susceptum, ante confessionem S. Petri in Imp. coronauit, qui vlciscendo Papæ iniuriam, multos Romanorum Principes obuiā sibi properantes decollari præcepit. Quæ omnia Formoso summam cum inuidia odium pepererunt. Qui ex hac vita migrauit 19. Kal. Ianuar. An. 896.

Scripsit duas Epistolas. *Vnam*, ad Stylianum Neocæsareæ Euphratesiæ prouinciæ epis. qua respondet litteris ad Stephanum Papam missis. *Alteram*, ad epis. Angliæ, de Ecclesia Anglicana benè ordinanda.

Anno Dom. 892. Eadē Synod. scripsit ad Bald. Comitē Flandriæ monitoria les ne contra Regē insurgeret, neue res Eccl. sibi vsurparet.

Primum Concilium sub Formoso Papa Rhemense.

Quo Carolus Simplex filius Ludouici Balbi Francorum Regni legitimus successor à Fulcone Rhemense epis. Odone Comite, qui tyrannicè Regnum inuaserat, reiecto, Rex Francorum vngitur. *Vide Flodoardum lib. 4. cap. 1. & sequentibus.*

Anno Dom. 893. Kal. Mart.

Secundum Concilium Romanum.

Ob graues perturbationes, quibus affligebatur Ecclesia Dei, celebratum. *Vide Flodoardum lib. 4. cap. 2.*

Anno Dom 895. Sub. Imp. Arnulpho

Tertium Concilium Triburiense.

A 22. Episcopis Germanorum, pro reformanda disciplina Ecclesiastica celebratum, scriptaque sunt decreta seu Capitula 58. Deinde causæ quædam & lites inter epis. fuerunt agitatæ & decisæ, præsertim illa antiqua de subiectione Bremensis Ecclesiæ, inter Adelgarium Hamburgensem, & Hermannum Coloniensem, Archiepiscopos; assentienteque Formoso Papa Coloniensi adiudicata fuit.

Horum duorū concil. pleraq; capitula diligenti studio recitat in volumine Decretorum, & Iuo in Decr. par. 7. p. 112

Vltimum Concilium Nannetense.

Similiter ad corrigenda Clericorum vitia, & præcauenda populorum scandala indictum; sed quo tempore, incertum est.

Anno Dom. 897.

STEPHANVS VII.

(Vulgo Sextus perperam nominatus) natione Romanus, per vim & tyrannidem sedem Pontificiam adeptus; & quanquam homo scelestissimus, ab vniuerso tamen Clero, & tota Ecclesia Catholica, ad periculum schismatis auertendum, pro Christi Vicario, & successore Petri agnitus & approbatus, (Nam Bonifacius pariter intrusus per Lambertum, inter Pontifices non est numerandus, quamuis diebus quindecim tenuerit sedem Apostolicam, eo quod nefarius homo dudum antea bis gradu depositus & damnatus fuerit, primum à Diaconatu, deinde à presbyteratu sub Ioanne Octauo) ipse intrusus, intrusum expulit, seditq; annis quatuor. Pontificatum auspicatus est à sacrilegio illo, quo corpus Formosi predecessoris sui exhumatum, sacerdotalibus indumentis indutum, tribusque digitis quibus benedicere moris est, mutilatum, in Tyberim proiecit, sacratis exutum vestimentis, hæc ad eum, cum pro tribunali sederet inquiens. *Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam vniuersalem Sedem vsurpasti?* Statimque omnes ab eo ordinatos, homo doctrinarum sanctarum inscius, iteratò consecrari & ordinari præcepit. Et Collecta Synodo detestandum facinus suum approbauit, subscribentibus perditissimis hominibus, qui summo odio Formosum prosequebantur, Sergio, Benedicto, Marino, alijsque pluribus, Pontificiæ sepulturæ violatoribus.

Quod tale portentum & ſcelus hactenus intentatum, ipſi mox lapides execrati, ſua tunc voce mutua colliſione clamarunt, ſpontaneam libentius pati ruinam, quàm Romana Eccleſia ſcandalo tanto depreſſa, ſubſiſtere. Accidit enim tunc, vt ſacroſancta baſilica Lateranenſis, primaria Pontificis ſedes, impulſore angelo malo, ab altari vſque ad portas penitus ſolo proſtrata corruerit, (quia nequaquam ſtare poterant parietes, dum prima cardinis porta tanti facinoris terræmotu concuſſa fuiſſet) Sanctuarium tantummodo relictum integrum, in quo ſedes illius exiſtebat Eccleſiæ Catholicæ, aduerſus quam nec ipſæ portæ inferi præualere poterant. Facta ſunt hæc, cum Stephanus in illus baſilicæ Patriarchio habitaret. Qui tandem preualente Optimatum Romanorum factione, aduerſus Adelbertum Tuſciæ Marchionem, per quem intruſus fuerat, detruſus eſt in carcerem, Anno Chriſti 900. & in eodem carcere ſtrangulatus, Deo vindice, exitu infami vitam clauſit. *Hæc ex antiquis monumentis & diplomatibus de Stephano Baron. Tom. 10. Annalium.*

ROMANVS Patria Galeſianus, ex patre Conſtantino natus. Sedit menſes 4. & dies 20. Acta Stephani contra Formoſum habita planè improbauit. Et Ludouicum IV. filium Boſonis, poſt fugatum Berengarium, Imperatorem coronauit.

Anno Dõm. 900. Quo tempore Fulcõ Archiep. Rhem. columen Franc. Eccl. à Balduino Comite Flãdriæ interfectus eſt.

THEODORVS II. Patria Romanus, ex patre Photio, ſedit diebus tantum viginti. Quonam autem die obierit, antiquorum nemo prodit.

Anno Dom. 901. Ludouici IV. Imp. an. 2. Leonis 16.

IOANNES IX. Patria Tiburtinus, patre Rampoaldo natus, profeſſione Monachus, ordine Diaconus. Sedit annos tres & dies 15. turbulentiſſimis illis temporibus, à Deo, vt alter Hieremias, ad hoc miſſus, vt euelleret, deſtrueret, & diſſiparet, quæ à prædeceſſore Stephano malè plantata, atque peſſimè ædificata fuerant. Cumque Berengarius Dux Foroliuienſis captum Ludouicum Imperatorem, oculis ſimul cum Imperio priuaſſet, & cum armato exercitu Romam profectus, coronam Imperij ab hoc Pontifice violenter extorſiſſet, nomenque Imperatoris ſibi tyrannice vendicaſſet, poſt obitum eius Lambertum Guidonis filium, ante annos vndecim à Formoſo Papa Imperatoria corona donatum, Romam vocauit, ibique Synodali iudicio declarari mandauit, Berengarij & Arnulphi coronationes nullas eſſe & illegitimas, vtpote quæ vi extortæ penitùs ſint abrogandæ. Lamberti verò, in quem Formoſi Papæ & ſucceſſorum eius libera vota conſpiraſſent, legitimam & ratam eſſe habendam. Hac occaſione Principes Italiæ à Berengario deficientes, Lambertum pro Rege & Imperatore agnouerunt. Cumque ex Romanis plurimi Berengario fauerent, eique contra Lambertum adhærerent, Ioannes Papa non ſatis tutum ſe iudicans, ſi Romæ maneret, profectus eſt Rauennam, ibique acta Stephani contra Formoſum per Synodum irrita reddidit; atque ibidem obijt, Anno Domini 905. Et ſepultus eſt Romæ apud S. Petrum pro foribus ante portam dictam Guidoneam. *Cuius Epitaphium vide apud Baroni anno 905.*

Anno Dom. 901. die 11. Septemb.

Scripſit Epiſtolas duas. Vnam, reſponſoriam ad conſultum Heruei Rhemorum Archiep. de Northmannis nuper ad fidem conuerſi, quorum alij baptizati fuerant, & rebaptizati, & poſt baptizmum gentiliter vixerant, qualiter illis cõſulendum ſit: vbi demum habetur abſolutio ſui, ſuorumque. Alteram ad Stylianum Epiſ. Neocæſarienſem, quæ negat illi veniam, quam petiuerat communicandi cum illis, quos Photius ordinauerat.

Primum Concilium Ouetenſe.

Sub Ioanne IX. quo octodecim Epiſ. ex conceſſione Pontificis, ad inſtantiam Aldefonſi Magni Regis Galliciæ, Eccleſiam Ouetenſem Metropolitana dignitate auxerunt (quia Aldephonſus illic regiam ſedem collocauerat) quæ dignitas antea

Anno Dom 901. Acta huius Synodi à Sampyro exactè deſcripta leguntur.

antea Ecclesiæ Lucensi, illi proximæ inherebat.

Secundum Concilium Romanum.

Anno Dom. 904.

Quo acta Stephani VII. contra Formosum habita, rescinduntur & improbantur: & solius Lamberti coronatio tanquam citra vim legitime facta confirmatur.

Tertium Concilium Rauennatense.

Anno Dom. 904. Ibi combusta est Synodus, quam Steph. in damnatione Formosi fecerat.

Episcoporum 74. in eadem causa Formosi & Stephani Rom. Pont. tempore Lamberti Imper. & coram ipso à Ioanne Pontifice IX. celebratum. *Vide Sigebertum, & Codicem Antonij Augustini, ex quibus desumpsit Baron.*

Anno Dom. 905. 14. Septemb. Lamberti Imp. an. 5. Leonis VI. anno 23.

BENEDICTVS IV.

Natione Romanus, post interregnum vnius diei surrogatus est Ioanni IX. natus ex patre Mammolo, qui magnam sibi laudem in primis ex amore pauperum conciliauit, interque Pontifices illorum temporum tanquam sydus quoddam lucidum, orphanorum & viduarum diligenti cura emicuit. Et anno Pontificatus sui tertio, qui est Christi 907. ex hac vita migrauit. Sepultusque est apud S. Petrum iuxta aditum, quo itur ad S. Gregorium.

Anno Dom. 907. 14. Aprilis. Lamb: 4. Leonis 22.

LEO V.

Patria Ardeatinus, quem breuitas temporis, quo sedit, reddit obscurum: nam tantum dies 40. Ecclesiam gubernasse traditur. Pulsus enim est, à Pontificatu, & detrusus in carcerem, per Christophorum sedis Apostolicæ inuasorem.

Anno Dom. 908. 25. Maij Lamb: 5. Leonis VI. Imp. Orien. 23.

CHRISTOPHORVS.

Romanus, inuasor sedis Apostolicæ, pari modo ab inuasore Sergio, post menses septem Pontificatu deijcitur, strictusque vinculis & in carcerem trusus, per vim inductus vitam & habitum monasticum suscepit. Qui tamen sepultus fuit in basilica S. Petri, vt refert Manlius.

Anno Dom. 908. 25. Decemb. Lamb. 5 Leonis 23.

SERGIVS III.

Homo omnium facinorosissimus, armis Adelberti Marchionis Tusciæ potens Pontificatum inuasit. Iste est ille Diaconus propter Formosum à Papatu reprobatus, qui vnà cum Stephano (presbyter ab eo factus) septimo, in Formosum Papam supramodum sæuierat. Hic ad Francos se contulit, & eorum auxilio, per Adelbertum, Christophorum inuasorem capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingressus, Papatum inuasit, & Romanos minis ac terroribus perpulit, vt omnes ordinationes Formosi irritas haberent. Hic præter vim tyrannicam in inuadendo Pontificatu, etiam vitæ turpitudine sedem Apostolicā polluit: cum enim Theodora nobile scortum monarchiam obtineret in vrbe, duasque haberet filias, Maroziam atque Theodoram, sibi non solum æquales, verum etiam Veneris exortiuo promptiores, Sergius Marozia abutens, filium ex ea nomine Ioannem, nefario genuit adulterio, qui postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ obtinuerat dignitatem: quæ itidem ex Alberto Marchione peperit Albericum, vrbis Romæ deinceps Principem, vel Tyrannum. Sergius autem postquam triennio sedem inuasam occupasset, defunctus est, Anno Domini 910.

Concilium Suessionense, tempore Sergij Papæ celebratum est in Gallia.

Anno Dom: 909. Sexto Kal. Iulii præsidente Herueo Archiep. Rhemensi

De correctione morum, & Ecclesiastica disciplina restituenda. Cuius acta integra extant in Bibliotheca S. Remigij Rhemensis, in Codice Antonij Augustini. Vbi quindecem Patres congregati scripsere capita, ad euellendos qui irrepserant in omnes hominum ordines prauos mores.

Anno dom: 910. 15. Aprilis.

ANASTASIVS III.

Patria Romanus, Lucani filius, Sergio defuncto in locum

cum eius sub rogatus, sedit annos duos, & menses totidem. Hic Ticinensem Ecclesiam plurimis, ijsdemque magnificis decorauit ornamentis, concedens nimirum Vmbellæ vsum, equoque vehi albo, crucem præuiam in itinere habere, & in Concilijs à læua Pontificis assidendi.

Lamberti 7. Leonii 25. Blando hic moderamine sedem Apostolicam rexit, inquit Manlius.

Huius tempore Lambertus Imperator, cum esset annorum triginta duorum, & pulso Berengario solus aliquantis per imperasset, ab Vgone Comite Mediolanensi in veneratione occultè necatus est, summaque Regni deinceps ad Berengarium deuoluta, & Adelbertus Tusciæ Marchio ad suum pristinum reuersus est Principatum. Egregius iste, & multis regijs virtutibus à natura ornatus erat Imperator, sed noluit eum in Romano Imperio propagari Deus, eò quod progenitores sui toties Romanam Ecclesiam inuadentes, deprædati essent.

Eodem planè tempore Leo VI. Imperator Orientalis, Ventris profluuio laborans excessit è viuis anno regni sui 26. Successit in locum eius, frater ipsius Alexander homo nefarius habens annos quadraginta, vnà cum Constantino Constantini Leonis filio puero, & post sextum mensem Imperij, propter contemptum Dei, & sanctorum imaginum, infami exitu mortuus est, solique Constantino Imperium reliquit. Anastasius verò Papa anno 912. mortuus, sepultus est in Basilica S. Petri, vt habet Epithaphiũ illius, quod ex Manlio recitat Baronius.

LANDO,

Patria Sabinus, Trani filius, Anastasio successit; qui ad importunam instantiam potẽtissimi & vnà impudentissimi scorti Theodoræ in vrbe dominantis. (Quę Senatoria orta propagine, excellens pulchritudine, ingenio versutissima, consuetudine Adelberti Tusciæ Marchionis potentissimi, reddita procacissima, & ex adulteri potentia etiam sibi pepererat monarchiam. Ex quo duas genuit filias Maroziam & Theodoram, de quibus locuti sumus in Sergio) Ioannem, quem illa turpissimè deperibat, ex Rauennate presbytero, Episcopum Bononiensem creauit; defunctoque Petro Rauennate Archiepiscopo, eundem in eiusdem Ecclesiæ Rauennatis Archiepiscopum transtulit. Et paulò post, quam rem tam fœdam peregisset, ex hac vita migrauit. Sedit mens. 6. dies 21.

Anno Dom. 912. 6. Iunii Constantini Orientalis Imperatoris anno primo.

IOANNES X.

Natione Rauennas ex Archiepiscopo Rauennate, potius Pseudopapa, quàm legitimus Pontifex. Theodora enim meretrix impudentissima, in huius speciei decorem vehementer exardens, cum adhuc presbyter à Petro Archiepis. Rauennatensi certis in negotijs ad Anastasium Pontificem Romam venisset, procurauit eum primo Bononiensem, postea mortuo Petro, Rauennatensem Archiepiscopum fieri, secumque scortari compulit; tandemque coegit Romanum Pontificium vsurpare, ne amasij ducentorum milliarium interpositione, quibus Rauenna sequestratur à Roma, rarissimo concubitu potiretur. Ita impudicus homo meretricis viribus Romæ pollens, factus est pseudopapa & nefarius Sedis Apostolicæ inuasor: qui tamen accedente Cleri consensu legitimus Romanus Pontifex haberi cœpit, quando copijs suis cum Alberico filio naturali Adelberti Marchionis Tusciæ coniunctis, cum eodem contra Sarracenos in prælium iuit, anno Pontificatus sui tertio, & in signem de barbaris victoriam obtinuit. Proque auxilio sibi ad debellandum illos à Berengario Foroiuliensi Comite suppeditato, Imperatorem eum fecit, & inunxit mense Septembri Anno 915. Ipse verò ex delictis pluribus retroactis conscientia sauciatus, animi dolore languens, legatum misit Compostellam, ad venerandum corpus S. Iacobi Apostoli, deditque literas ad sanctum Siseuandum eiusdem Ecclesiæ Epis. petens pro se iuges preces apud S. Iacobum Deo offerri, vt in hac vita, & in hora obitus sui Deum propitium habeat. Cumque Siseuandus in peruestigandis Romanæ Ecclesiæ ritibus totus intentus, inuenisset eos in multis planè diuersos esse ab ijs, qui in Missali Hispanorum Mozarabi nominato continebantur, legatis

Anno Dom 912. 24. Ian. Constantini Orient. Imp: anno I.

tis Pontificijs, ex Hispania discedentibus, suum adiunxit, per quem à Ioanne Papa facultatem accepit emendandi ritus Missalis sui in ijs, quæ maioris momenti viderentur. Nam post Sarracenos debellatos, diuersæ legationes, ex diuersis orbis partibus ad Pontificem Ioannem pro pallijs, proque alijs rebus implorandis assiduè veniebant: nam licet tanta mala toto hoc seculo vrgerent Ecclesiam sanctam, & scandala quotidie quasi increbrescerent; tamen non est inuentus qui ea de causa se ab ipsa Ecclesia Romana abscinderet schismate, vel hæresi eãdem impugnaret; sed omnes vbique gentium eidem fidei vinculo, & obedientiæ fœdere iuncti persistebant. Quod factum plane non esset, nisi Deus eius incolumitati & integritati summa vigilantia prospexisset, ne prauorum hominum impulsibus agitata corrueret. Christusque in nauicula Petri dormiens, patiebatur illam istis procellis operiri, & immergi, sed non planè absorberi. Stetit sanè, stabitque semper immobilis de sede Petri sententia atq; promissio Christi, quod portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Idem Pontifex Hilduinum Tungrensem epis. quem Clerus & populus elegerat, reiecit, & Richarium Abbatem à Rege propositum ordinauit, eique causam & controuersiam biennalem adiudicauit. Seulfo Rhemensi Archiep. post Herîueum defunctum pallium misit. Cum hoc Heribertus Comes Aquitaniæ potentissimus pactum iniuerat, vt filius suus præficeretur Rhemensi Ecclesiæ; ea nimirum intentione, vt potestate vngendi Reges, penes Rhemensem constituta, Rex Galliarum vngeretur, quem ille electum vellet. Dum ergo ministri Comitis morę impatientes Seulfum Archiepis. propinato veneno sustulissent filius Heriberti Comitis, puer nondum quinquennis (proh scelus inauditum) electus est Rhemensis Archiep. Ioannes Papa non modo non improbauit facti, hactenus in orbe Christiano nunquam visum, sed potius factam electionem ratam esse voluit, muneraque Episcopalia Abboni Suessonico epis. commisit & delegauit, suoque hoc facto Pontifex posteris exemplum præbuit, vt complures Principes non tantùm hoc, sed etiam subsequentibus seculis (proh dolor) adolescentulos sibi sanguine iunctos, in summas Cathedras maximo malo Ecclesiarum promoueri procurauerint.

Constantinopoli insurgentibus tyrannis aduersus puerũ Imp Constantinum exortum est ingens bellum ciuile, ad quod sedandum assumptus est in collegam imperii Romanus Patricius classis Præfectus, Cæsaris dignitate, & diademate coronatus mense Decemb. Anno 919.

Huius temporibus Constantinopolitana Ecclesia inter Euthimij & Nicolai Patriarcharum fautores Schismate diuisa, vnita est, sublataque est controuersia illa de Trigamia, quæ occasione Leonis Sapientis Imp. quarto nubentis Constantinopoli oborta fuit.

Eodem tempore Henricus, post obitum Conradi, factus est Rex Germaniæ, qui cùm velatam viduam Eruini Senioris filiam duxisset vxorem, de sacrilegio correptus, illa deserta, pedibus Romam contendens pœnitentiam egit. Ad subiugandos Lotharingos profectus per legatum Caroli Simplicis, dono accepit manum sancti Dionysij auro inclusam.

Berengarius Imperator fœdere cum Hunnis inito, cum iterum eosdem maiori agmine in Italiam immisisset, in odium Rudolphi, à quo ante annum bello fuerat superatus, à suis occisus est. Ioannes verò Papa aduocato Hugone Comite Arelatensi Romam, Regem eum Italiæ constituit, & Mantuam ad eum proficiscens fœdus cum eo percussit, ex pulso Rodulpho Cisalpinæ Galliæ Rege, qui regnum illud peruaserat, & alteri fæminæ, viuente vxore sua se copulauerat. Cumque post hæc omnia Ioannes Papa annos sedecim sedem tenuisset, Guido Tusciæ Marchio, (qui Maroziam scortum Romanum sibi vxorem acceperat) Adelberti ex legitima vxore Berta filius, suasu coniugis suæ, eundem propter Petrum Papæ germanum, quem summa inuidia prosequebantur, sede amotum in carcerem coniecit. Cum enim quadam die Papa cum fratre, paucisque alijs, in Lateranensi Patriarchio esset, Guidonis & Maroziæ milites super hos irruentes, Petrum fratrem ipsius ante oculos interfecerunt, ipsum verò Papam comprehendentes, custodiæ manciparunt, in quo non multo post, ceruicali ori eius imposito pessime suffocatus fuit. Atque ita dignum suis factis finem

ac-

accepit, qui per impudicam Maroziæ matrem Theodoram, Sacrosanctam Sedem violenter arripuit, per filiam æquè impudicam iusta Dei Vindicta eiectus. *Hæc ex Luitprando & Elodoardo Baronius.*

Primum Concilium sub Ioanne Papa X. *Confluentinum.*

Octo Episcoporum (exceptis Abbatibus alijsque sacri ordinis viris) qui multa vtilia, ac sanctæ Dei Ecclesiæ profutura, saluberrimo consilio statuerunt. Sed hoc præcipuè, ne Christiani intra septimum gradum cognationis matrimonium contrahere præsumant. *Anno Dom. 912. Iussu Caroli & Henrici Regum Francorum.*

Secundum Concilium Trosleanum in Gallia.

Seulfo Archiepiscopo Rhemensi præsidente, in causa Isaaci Comitis pænitentiam agentis habitum, qui Ecclesiam Cameracensem vastauerat. Flodoardus in Historia Rhemensi meminit duarum aliarum Synodorum eodem loco celebratarum: quarum vna habita fuit sub præsidio Heruei Rhemensis Archiepiscopi in præsentia Caroli Regis Anno 921. Altera verò post occisum Seulfum, & quinquennalem Heriberti Comitis filium Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopum electum, celebrata est anno 927. in qua Heluinus Comes publicam egit pœnitentiam, eò quod duxisset vxorem alia adhuc superuiuente. *Vide Chron. Cameracen. lib.* 1. *cap.* 63. *Anno Dom. 914. Mense Octobri.*

Vltimum Concilium sub Ioanne Papa X. *Duisbergense.*

In quo illi, qui Bennonem Metensem Episcopum excæcarant, excommunicati sunt, & in locum eius Adalberon substitutus est. Dum enim Benno in Alpibus Eremiticam vitam duceret, electus erat à Metensibus in Episcopum, qui dum pro officio suo in peccata eorum inueheretur, excæcatus fuit ab illis; quod patientissimè tolerans, exemplo magnæ tolerantiæ relictus, cognominatus est Benedictus, *inquit Flodoardus in Chron. an.* 928. *Anno Dom. 925.*

LEO VI.

Christophori Primicerij filius, cum sedisset sex menses ac dies quindecim, anno sequenti in carcerem detrusus, mortuus est, sepultusque in Vaticano. *Anno Dom. 928. 19. Aprilis Constantini Porphyrogeniti, cum Romano Imp. 17.*

STEPHANVS VIII.

Natione Romanus, Theudemundo patre genitus. Sedit annos duos, mensem vnum, & dies quindecim. Quo tempore Henricus Germaniæ Rex, Northmannorum & Abroditarum Reges ad Christum conuertit. *Anno Dom 930. 24 Octob.*

IOANNES XI

Patre Sergio pseudopontifice ex scorto Marozia prognatus. Guidonis Tusciæ Marchionis & Maroziæ matris potentia intrusus, nondum tantæ dignitatis per ætatem capax; sed quia tantæ vires Marchionibus Tusciæ in Vrbe erant, vt pro arbitrio quos vellent è Pontificali sede deponerent, & alios intruderent, nemo eis resistere audebat. Sanctissimusque vir Artaldus, ex monacho Rhemensis Archiepiscopus electus, post puerum illum quinquennalem eiectum, ab huiusmodi monstro pallium petijt, Romani Pontificis nomen, etiam in homine illegitime collocato in sede Petri, veneratus. Hunc Pontificem Albericus frater, tertio anno inuasionis illius, vnà cum Marozia matre custodiæ mancipatum vsque ad diem obitus detinuit. Marozia enim scortum impudens nimis, post obitum Guidonis mariti sui Hugoni Regi nuncios suos dirigit, & vrbis dominiũ offert, si eam sibi vxorem faceret. Hugo igitur qui erat ex eadem matre, qua Guido vir eius defunctus, genitus, Berta nomine vxore Adelberti Tusciæ Marchionis, relicto longe exercitu cum paucis Romam aduenit, acceptauit conditionem, & clanculo arcem S. Angeli ingressus, post incœstum cum relicta fratris vxore commissum, Romanos qui eum decenter susceperant, quasi iam securus despicere cœpit. Habuerat sane Marozia filium nomine Albericũ, quem *Anno Dom. 931. 11. Decembr. Constantini VIII. cum Romano Imp. 19.*

quem ex Adelberto Marchione patre Guidonis & Hugonis maritorum suorum ipsa genuerat. Qui dum matris hortatu Regi Hugoni vitrico scilicet aquam funderet vbi manus ablueret ab eo pro correctione in faciem cæsus est, eo quòd non moderate & prudenter aquam effunderet. Is verò vt illatam sibi posset vlcisci iniuriam, Romanos ad defectionem commouit, & Hugonem, incœstuosum vitricum suum, in arce oppugnatum fugauit, seque vrbis monarcham fecit; statimq; matrem Maroziam, vnà cum fratre Ioanne Pseudopapa sub custodia detineri mandauit. Atque ita violentus inuasor violenter deiectus in carcere obijt, postquam sedem Apostolicam quinque annis & aliquot mensibus non tam rexisset, quam turpiter inquinasset.

Primum Concilium sub Ioanne XI. Erfordiense.

In causa disciplinæ Ecclesiasticæ ab Episcopis totius Germaniæ celebratum. Anno D. 932. Henrici Regis 14. sub die Kalendarum Iuniarum. Cuius Concilij quinque præcipua capita fuere, quæ in Decr. singula continentur.

Secundum Concilium Rhemense.

Anno Dom. 935. Apud S. Macram omnium Episcoporum Galliæ, similiter in causa Ecclesiasticæ disciplinæ celebratum, præsente Artaldo Archiepiscopo Rhemensi; vbi prædones quoque & Ecclesiasticarum rerum inuasores ad correctionem vocantur. *Flodoard. lib. 4. c. 25.*

Anno Dom. 936. 27. Octob. *Tempore Constantini Rom. Imp. Orientalium.*

LEO VII.

Ioanne Papa fratre Alberici defuncto constituitur. Qui Odonem Abbatem Cluniacensem, virum sanctitate, celeberrimum vocauit Romam, vt inter Hugonem Regem Italiæ, qui Romam obsidere cœperat, & Albericum Romæ Principem, pacis componendæ sequestrum ageret. Venit Abbas sanctissimus, suaque intercessione apud vtrumque hoc obtinuit, vt Albericus filiam Hugonis coniugem acciperet, & Hugo obsidionem solueret.

Huius tempore mortuus est Henricus Rex Germaniæ, decus Christianæ religionis, qui post multas alias gentes, Daniæ quoque Regem Cuusum ad Christi fidem conuertit, ipsosque Danos ab hominum immolatione reuocauit, regnique hæredem filium suum Otthonem pietate & fortitudine militari sibi non dissimilem reliquit.

Eodem hoc tempore ad afflictionem & perturbationem Ecclesiæ, Manasses Arelatensis Episcopus nouam addidit miseriam, quando homo ambitiosus sua sede nequaquam contentus, opera Hugonis Regis Italiæ non tantum Veronensem, Tridentinam & Mantuanam, verùm etiam Mediolanensem Ecclesiam inuasit, asserens se id facere exemplo Principis Apostolorum, qui etiam Romanam, Antiochenam & Alexandrinam Ecclesias simul possedisset. Leo autem Papa cum sedisset annis tribus & sex mensibus, defunctus est, & sepultus apud S. Petrum in Vaticano.

Anno Dom. 940. 17. Iunii. *Constant. & Romani Imp. Orient. an. 29.*

STEPHANVS IX.

(Qui perperam VIII. nominatur) patria Germanus, opera Ottonis Regis Germaniæ, posthabito suffragio Cleri, electus in Pontificē à Romanis. Hic à tyrannis, quorum odium propter sui electionem in se concitauit, crebrisque ictibus sacrilegis facie ab illis deformatus fuit, ita vt propter turpitudinem vulnerum, à publico abstineret hominum congressu. Licet reuera non dedecori, sed ornamento sint quæque stigmata propter iustitiam à satanæ ministris illata, & eo pulchriora, quò magis perspicua spectantibus fiunt. Albericus enim, qui his temporibus principatum in vrbe gerebat, existimabat, non posse se dominium Vrbis securum possidere, si non gentilis aliquis ipsi bene notus Romanæ Vrbis Pontificatum teneret. Qua occasione in eundem Stephanum parum æquus existens, eum manibus impiorum tantopere lancinari, & in facie deturpari permisit. Quo facto excitatus animus Ottonis ad vindican-

candum scelus illorum Romanorum, & ad cohibendam vim illam tyrannicam, quam hactenus in promotione Pontificum vsurparant, quando autem illud perfecerit, infra suo loco dicetur.

Stephanus verò Papa Francorum proceribus aduersus Ludouicum Regem rebellantibus, eumque recipere detrectantibus, per Damasum Episcopum legatum suum nunciauit, vt Regem suum recipiant: quod si facere nolint, excommunicationis sententiam se incursuros nouerint.

In Italia bellum inter Hugonem & Albericum ante hac semel per Odonem Cluniacensem Abbatem compositum, fracta pace recruduit: qua occasione Odo Stephano iterum Romam vocatus, pace nondum composita, ibidem ex hac vita decessit. Paulò post etiam Stephanus Papa defunctus est, cum annos tres, menses quatuor, & dies quinque sedisset.

Primum Concilium sub Stephano IX. Narbonense.

In oppido cui nomen Fons coopertus, in quo controuersia agitata de finibus diœceseos inter Episcopos Vrgellitanum & Pallariensem: decretumq; vt Pallaria vrbs sua sacra repeteret ab Vrgellitano Episcopo. *Hæc Marian. ann. 940.* *Anno Dom. 940.*

Secundum Concilium Suessionense.

In causa altercationis duorum, qui se Rhemenses Archiepiscopos profitebantur, videlicet inter Hugonem, quem adhuc puerum quinquennalem electum fuisse supra diximus, & Artaldum, qui post illum eiectum ex monacho in eam sedem cooptatus fuit, celebratum. Decretumque est, Artaldum amouendum esse, vtpote qui iurasset nullum se vnquam Archiepiscopatum accepturum. Hugonem verò recipi debere, eò quod clero, populoque petente vocatus esset. *Anno Dom. 940.*

MARINVS II.

(Qui perperam Martinus III. nominatur) natione Romanus, Pontificatum adeptus, omissis insanabilibus tumultibus bellicis totum se tradidit ad componendam Ecclesiam, tam in Cleri, quàm in Monachorum reformatione, & in basilicarum restauratione, & pauperum cura. Literis verò egit, vt inter Christianos Principes mutuo decertantes pax componeretur. Hunc iam olim fuisse dono prophetiæ imbutum res gestæ Vdalrici Episcopi Augustani declarant, cui ante annos viginti tres Romam venienti, obitum Adalberonis prædecessoris sui reuelauit, eumque eidem successurum prædixit. *Anno Dom. 943. 1. Nouem. Constantini cum Romano anno 32.*

Huius temporibus Hugo Rex Italiæ, simulac fœdus inijt cum Sarracenis, regno depulsus est à suis: igitur cum omni thesauro suo in Burgundiam properans, monasterium illic permagnificum construxit sumptibus proprijs, ibique omnibus traditis, ipse monachus effectus est. Filius verò illius Lotharius regnare pro eo cœpit.

In Oriente verò Romanus Imp. qui Constantinum legitimum hæredem flocci faciens in filios suos Imperium transferre cupiebat, quos pariter iam Imperatores declarauerat, à Stephano suo filio capitur, & attonsus in monachum relegatur in Insulam. Idemque Stephanus cum Constantino fratre de imperio certans, cum ad mensam essent, captus vna cum fratre, iussu Constantini Imperatoris VIII. cognomento Porphyrogeniti hæredis legitimi, & ambo in Insulam deportati sunt.

Marinus quoque dato diplomate monasterio S. Vincentij super Vulturni fontes, cum sedisset annos tres, menses sex, & 13. dies, de hac decessit.

Conciliabulum Constantinopolitanum sub Marino Papa celebratum.

Quo Triphon Patriarcha Constantinopolitanus dolose depositus est, substituto in locum eius Theophilacto Romani Imp. filio, quod nunquam in Ecclesia est auditum. Cum enim Stephanus Patriarcha obijsset, Imperator Triphonem *Anno Dom. 943.*

eum monachum constituit Antistitem temporaneum, qui sederet vsque dum filius eius ad legitimam ætatem perueniret, & interim certa quota redituum esset contentus. Residuum enim fructuum ipse Imperator pro filio suo paruo puero, quem futurum Patriarcham destinauerat, percipiebat Placuit Triphoni conditio. Sed tempore exacto, quod ipse Triphon definiuerat, de sede, vt promiserat, discedere nolebat, nisi legitimo synodali iudicio conuinceretur. Congregato igitur eam ob rem Concilio, statim cunctam Sxnodum alloquitur Patriarcha. Qui me de sede iniuria detrahere cupiunt, ô sacri ministerij collegæ, multis admotis machinis, vt probabili causa inuenta, me expellerent, non inuenere. Ad extremum hoc mihi objiciunt; expertem me litterarum esse aiunt. Nunc igitur coram omnibus vobis has literas inscribo, vt videntes, ac certiores facti calumniatores, desinant iniuria mihi negotium facessere. Dixit; & sumpta charta non scripta, coram omnibus ita scripsit. *Triphon miseratione diuina Archiepiscopus Constant. nouæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha.* Et scripta per prothothronum mittit Imperatori. Quibus ille acceptis, & alia in non scripta charta desuper contenta, causam cur se abdicaret, scripsit, videlicet indignum se throno cuicunque volenti cedere. Et hac excusatione allata ad Synodum, ab Ecclesia Triphon remouetur, multum conquerens de fraude, & protothronum grauiter accusans. Theophilactus vero nondum per ætatem ad dignitatem Episcopalem aptus, post vnum exactum & menses quinque (tantum enim temporis requirebatur ad perfectam Theophylacti ætatem, qua Princeps sacerdotum deligeretur) creatur mense Febr. Patriarcha. *Hæc ex Curopalata Baron. an.* 944.

Anno Dom. 496. 18. *Maii. Constantini, VIII. solius Imp.* 35.

AGAPITVS II.

Marino succedens, sedit nouem annis, mensibus & diebus decem. Hic post multas synodos in causa Hugonis & Artaldi celebratas, Rhemensem Archiepiscopatum Artaldo adiudicatum confirmauit. Brunoni Coloniensi Archiepiscopo Ottonis Regis fratri pallium petenti concessit. Debellatis ab Ottone Rege magna victoria Danis, iisdemque in Christianam religionem acceptis, gratulatus est Hamburgensi Ecclesiæ, eiusque priuilegia à maioribus accepta innouauit.

Huius tempore post obitum Lotharij, Berengarius Regnum Italiæ inuasit, Otto verò Imp. ab Adelheide filia Rodulphi, relictaque Lotharij vxore, & Agapito Pontifice, fugata tota Berengarij familia, pro suppetijs ferendis solicitatus, Adelheidem Reginam in vxorem accepit, regnumque integerrimæ possedit. Agapitus quoque dum munere pastorali benè functus fuisset. Anno 955. ex hac vita migrauit.

Primum Concilium sub Agapito II. Virdunense.

Anno dom: 9.7. *Hoc tempore Albericus Romanorū Patricius filio Octauiano Principatum relinquens moritur.*

In causa Hugonis & Artaldi Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscoporum celebratum: præsidente Rotberto Treuirensi Episcopo. Vbi quia Hugo vocatus comparere noluit, Archiepiscopatus Artaldo adiudicatus fuit.

Secundum Concilium Mosomense.

Anno Dom: 948. *Ipsis Idibus Ianuarii.*

In eadem causa celebratum. Vbi aderat quidem Hugo, sed Synodum ingredi noluit: quare causa ad vniuersalem Synodum ad Kal. Aug. reiecta fuit, Artaldus verò ad Sedem Romanam appellauit.

Tertium Concilium Eugilenheimense.

Anno Dom. 948. *Regis Ottonis an.*13. *qui ipse præsens aderat cum Ludouico Francorum Rege.*

In eadem causa Hugonis celebratum, præsidente Legato Agapeti Papæ, venerabili Marino Polimarciensi Episcopo, præsentibusque omnibus ferè Galliæ & Germaniæ Episcopis, cum cœtu Abbatum, Canonicorum, nec non & Monachorum. Ibi quoque agitabatur causa inter Hugonem Principem & Regem Galliæ Ludouicum, qui ab Hugone regno eiectus fuerat hæreditario, & per annum sub custodia ab eo detentus. Artaldo igitur adiudicatus est Archiepiscopatus Rhemensis; deque reformanda Ecclesiastica disciplina conscripta sunt capitu-

pitula X. Ludouici verò causa reiecta in aliud tempus.

Quartum Concilium Treuirense.

In causa Ludouici Regis Francorum & Hugonis Principis celebratum eodem Marino Agapiti Papæ Apocrisario præsidente; cumque Hugo non compareret, à Synodo excommunicatus est, & vnà duo Episcopi cum illo, ab Hugone Episcopo ordinati. *Anno Dom. 948.*

Quintum Concilium Romanum apud S. Petrum celebratum.

In quo damnationem Hugonis apud Ingelnheim factam Papa Agapitus confirmauit, excommunicans etiam Hugonem Principem, donec Ludouico Regi satisfaciat. *Anno Dom. 949.*





LIBER XVIII.



QVIS non capiet, & non ingemiſcet, conſiderans, quæ ſæculi huius facies ſanctæ Eccleſiæ Romanæ fuit? Canones ſiquidem omnes preſſi ſilentio, decreta Pontificum ſuffocata, proſcriptæ antiquæ traditiones, intereſque in eligendo Summo Pontifice conſuetudines, ſacrique ritus, & priſtinus vſus prorſus extincti fuere. Et vt antea paulo, vendicauerat ſibi omnia libido, ſæculari potentia freta; ſic & modo cuncta ſibi vſurpauit dominandi cupido; ſtatimque Agapito defuncto ingens perturbatio Eccleſiam Romanam inuaſit, vt manifeſte in vita Ioannis patet, quam apponimus legendam.

IOANNES XII.

Anno Dom. 955. 19 Ianuarii Constantini 44. qui veneno à filio Romano ſibi propinato moritur anno 960. cum ragnaſſet an. 49.

Alberici illius, qui vrbi dominabatur filius, Octauianus nomine, patre defuncto Principatum adeptus, cùm eſſet Clericus, mortuo Agapito Pontifice, ſuggerentibus ſibi Romanis, Apoſtolicam ſedem inuaſit. Et quamquam illi legitima ætas, aliaque omnia deeſſent, quæ in legitimo Pontifice requiruntur, potentia tamen præualente Papa vrbis efficitur.

Hic primus nomen ſibi mutauit, & ex Octauiano, pro mutata non exuta tyrannide voluit Ioannes nominari, quaſi ſpirituale quidpiam ſpirans. Sed cui temporale magis dominium placebat & voluptas; ſiquidem ſtatim vt ſpirituale dominium totius orbis conſecutus eſt, iuuenili ardore (octodecim ſiquidem tunc annorum erat) ſpirans minarum & cædis, collecto exercitu, copijſque auxiliarijs ex Spoletano Ducatu conductis, aduerſus Principem Capuanum, nomine Pandulphum, bellum mouit: cui cum ille Salernitanorum ope & auxilio fortiter reſiſteret, ad propria redire, pacemque per legatos petere coactus fuit.

Huius tempore Berengarius ſolutus timore defuncti Luitulphi filij Ottonis, qui ad coercendam illius tyrannidem in Italiam miſſus erat, per vniuerſam Italiam impune graſſabatur, & profana ſimul & ſacra abſque delectu deuaſtabat. Qua de cauſa Ioannes Papa tyrannidem illam non amplius ferens, legationem miſit ad Ottonem Regem Germaniæ, ſuppliciter orans, quatenus pro Dei amore, Sanctorumque Apoſtolorum Petri & Pauli, quos delictorum ſuorum cuperet eſſe remiſſores, ſe ſibique commiſſam ſanctam Romanam Eccleſiam, ex ſuorum inimicorum faucibus liberaret, ac ſaluti & priſtinæ libertati reſtitueret. Cūque idem, eodem tempore, auctore Deo, Mediolanenſes per deputatam legationem petiuiſſent, Otto antequam è Germania recederet, Vormatiæ comitia habuit, in quibus filium ſuum Ottonem, ex Adelheide genitum creauit Regem, eumque Vilhelmo Moguntino Archiepiſcopo, ex alia vxore filio nutriendum commiſit; præſtitaque per iuramentum fidelitate & ſecuritate ſedi Apoſtolicæ, de futura ſucceſſione in Romano Imperio, eiuſque iuribus ac titulis promiſſionem accepit; & copijs collectis in Italiam percitus venit: Tantoque Berengarium atque Adelbertum eius filium celerius expulit, quanto, inquit Luitprandus, euidentius conſtat, quod commilitones Petrum & Paulum ſanctiſſimos

Apo-

Apostolos habuit. Et postquam ablata suis quæque dominis restituisset, Romam septimo Ioannis Pontificatus anno venit: ibique magno cum honore, miroque ornatu & apparatu susceptus à Pontifice, cum applausu totius populi, Imperator & Augustus vocatus & ordinatus, vnctionem Imperij suscepit. Quæ verò post hæc legitimè peracta, Ioanni Papæ restituerit, quæque dona ille Ecclesiæ Romanæ adiecerit, indicat ipsum authenticum donationis diploma, quod aureis litteris exaratum, Romæ in castello S. Angeli asseruatur. Pro gratia referenda Pontifex, omnesque Vrbis Optimates supra corpus B. Petri iurarunt, se nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturos: atque ita Imperator Roma discedens Papiam se contulit.

Interea Ioannes Pontifex ad defectionem solicitatus, immemor iuramenti præstiti, Adelberto se coniunxit. Quod cum Imperator per nuncios vndique redeuntes verum esse intellexisset, Luitprandus eum dixisse scribit. *Puer est, facile bonorum immutabitur exemplo virorum, spero eum obiurgatione honesta, suasione liberali facile ex illis sese emersurum malis*. Cum hac de causa Imperator Romam redijsset, Papa simul & Adelbertus aufugerunt. Ciues vero Imperatorem cum suis omnibus in vrbem susceperunt, fidelitatemque promiserunt, hæc addentes firmiterque iurantes nunquam se Papam electuros aut ordinaturos præter consensum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis Cæsaris Augusti, filijque ipsius Regis Ottonis. Post triduum quam Romam venisset, authoritate Ottonis habita est pseudosynodus, qua Ioanne in ordinem redacto surrogatus est pseudopapa Leo Octauus: quem ille post abitum Ottonis in vrbem reuocatus, velut adulterum & inuasorem sedis deposuit, rescissis omnibus illius Conciliabuli Actis. Breuique tempore postea, quadam nocte, in temporibus adeò à Diabolo est percussus, vt intra dierum octo spacium eodem sit vulnere mortuus pridie Idus Maij Anno 964. cum sedisset annos nouem.

Scripsit Epistolam vnam ad Sanctum Dunstanum Cantuariensem Episcopum, de concessione pallij.

Primum Concilium sub Ioanne XII. Augustanum. *Anno Dom. 952. 7. Id. Aug. Ottonis Regni anno 16.*

In causa disciplinæ Ecclesiasticæ celebratum, pro qua re vndecim capitula fuere conscripta.

Secundum Concilium Romanum.

Quo Ioannes Papa XII. deponitur, & Leo Octauus in locum eius surrogatur, in præsentia Ottonis Imperatoris. *Anno Dom. 963.*

Tertium Concilium Constantinopolitanum.

In causa Nicephori Imperatoris Orientalis habitum, vt defuncti Imperatoris Romani viduam Theophanem in vxorem accipere posset, quod filium eius in batismate suscepisset. *Anno Dom. 963.*

Quartum Concilium Romanum II.

Auctoritate Ioannis Papæ congregatum, quo Leonem Octauum pseudopapam esse declarauit, & eius gesta cassauit. Quosdam verò Cardinales, naribus, lingua, digitis mutilauit. *Anno Dom. 964.*

BENEDICTVS V.

Ex Romanæ Ecclesiæ Diacono, in locũ Ioannis XII. defuncti, à Romanis Ottoni rebellantibus electus, & assentiente Clero consecratus. Quo audito Imperator, cum exercitu venit, & vrbem vndique obsedit; sustinebant diu hortatu Benedicti Pontificis obsidionem Romani, donec fame constricti ad deditionem cogerentur. Post vrbem captam, Benedictus Hamburgum relegatur, & ibi in exilio moritur Anno Domini 965. cuius ossa, Ditmaro apud Reginonem attestante, Romam relata fuerunt. Eodem anno Miecislaus Princeps Poloniæ fit Christianus. *Cromer. lib. 3. fol. 33.* *Anno Dom. 964. Papa in ordine 133 Ottonis 3. Nicephori Phocæ anno 2.*

Concilium sub Benedicto V. per Leonem Antipapam celebratum fuit Romæ.

Quo ille à Leone depositus & in exilium deputatus erat. Anno 964.

Anno Dom. 965. 12. Octobris. Ottonis 4. Phocæ 3.

IOANNES XIII. Narniensis Episcopus, post obitum Leonis pseudopapæ, (viuente, an defuncto Benedicto V. incertum) factus Pontifex; cum initio pontificatus sui statim Optimates Romanorum acrius paulò, quàm oportebat insequeretur, eorum monitu ab vrbis Præfecto captus, relegatus est in Campaniam. Sed dum Imperatori Ottoni hæc innotuissent, ad vindicandam iniuriam Pontifici illatam, ipse in Italiam profectus est; cuius aduentum Romani metuentes, Rotfredo vrbis Præfecto, qui Pontificem eiecerat tunc mortuo, eum à custodia qua tenebatur mox absoluunt, & veniam pro malis quæ ei ingesserant, poscentes, in locum & Sedem suam illum restituunt. Otto verò ira excandescens in rebelles: præter pulsos Consules ex Italia, & Tribunos necatos suspendio, Præfectum ipsum, qui successerat Rotfredo, curauit denudari, impositumque asino & vtre redimitum ad ludibrium circumduci, Virgisque cædi, ac demum carceribus mancipari. Cadauer verò defuncti Præfecti, è sepulchro extractum, in diuersa loca distrahi ac dissipari præcepit.

Hic Pontifex ad conuersionem Polonorum Aegidium Tusculanum Episcopum legatum à latere misit, data illi potestate Miecislaum Principem, qui per connubium Christianæ vxoris Dombroucæ, Bohemorũ Ducis filiæ, iam conuersus erat, in fide cum populo stabiliendi, Episcopatus erigendi, eaque facien di, quæ ad totius gentis conuersionem pertinere viderentur.

Idem Pontifex Ottonem iuniorem filium Ottonis Magni, Imperatorem creauit in præsentia patris; Romaque Capuam cum Imperatore profectus, Capuanam Ecclesiam, eò quòd se Roma fugatum honorificè excepisset, digneque habuisset, & ab insidijs Pandulphi Principis Capuani fideliter custodiuisset, Archiepiscopatus dignitate gratitudinis ergo insigniuit. In Magdeburgensi verò ciuitate recens ab Ottone condita primum Episcopum Adelbertum constituit. Per cathenam S. Petri, arreptitij collo circumdatam, dæmonem expulit. Cumque sedem Apostolicam annos sex, menses vndecim & dies 25. tenuisset 8. Idus Septemb. obijt, sepultusque est in Basilica S. Pauli à dextris ingressus basilicæ, cuius epithaphium vide apud Baronium.

Primum Concilium Rauennatense.

Anno Dom. 967.

In causa disciplinæ Ecclesiasticæ ab ipso Ioanne XIII. in præsentia Imperatoris Ottonis celebratum. Qui vrbem ibi & terram Rauennatium, aliaque complura multis retrò temporibus Romanis Pontificibus ablata, Ioanni Apostolico reddidit, eumque inde Romam cum magna lætitia remisit.

Secundum Concilium Anglicanum.

Anno dom. 970.

Aduersus incontinentes Clericos celebratum, præsidente S. Donstano Cantuariensi Archiepiscopo. Vbi etiam quendam præpotentem Comitem ob incœstuosas nuptias publicam egisse pœnitentiam, refert Osbertus apud Surium in Dunstano 19. Maij.

Tertium Concilium Romanum.

Anno Dom. 971.

Quo priuilegia Monasterio S. Mariæ Glastingebiri à Rege Anglorum Edgaro concessa confirmantur, terribiliter intorquens in violatores, si qui forte emerserint, perpetui anathematis vltionem. *Diploma Ioannis Papæ extat apud Baron. an. 971. nu. 2.*

Anno Dom 972. Ottonis 11. Ioannis Zemiscæ Imp. 3.

DONVS II. (Qui ab alijs Domnus, & Domnio nuncupatur) patria Romanus, creatus XII. Kalend. Octob. sedit tantùm menses tres, obijtque XIV. Kal. Ianuarij.

Concilium eius tempore celebratnm est in Ingelheim.

Anno Dom. 972.

Disciplinæ Ecclesiasticæ causa, præsente Ottone Imperatore, & filio eius Ottone II. Vbi cum S. Vdalricus Episcopus Augustanus postularet sibi dari licentiam, Episcopatu relicto transfundi ad monasticam vitam: communi iudicio responsum est, id fieri non posse, quia inde daretur occasio alijs relinquendi Episcopatus suis nepotibus, quos vellent ista ratione Ecclesijs, non sine graui

ui totius populi detrimento, obtrudere.

BENEDICTVS VI.

Patria Romanus, filius Hildebrandi in locum Domni subrogatus. Cuius temporibus Otto Magnus Imperator, funeribus matris S. Mathildis, & Vilhelmi filij ex priori coniuge, Moguntini Episcopi præmissis, mortuus est in Saxonia in loco dicto Mileuu quarta feria ante Pentecosten Nonis Maij, anno Christi 973. Imperij sui duodecimo. Post obitum Patris Otto Secundus, solus imperare cœpit, qui cum patre sextum annum imperij sui inchoauerat.

Papa 136. Anno Dom. 136. 20 Decemb. Ottonis 12. Ioan. Zemisca 4. Qui ope SS. Martyrũ Georgii & Theodori ingenti gloria Rossos Bulgaros, Scythas, Turcas, & alios barbaros superauit. Captumque Regem Bulgarorum Borisum cum vxore & liberis cepit.

Benedictus interim à Bonifacio cognomento Francone Romano, Ferrutij filio, diacono Cardinale, scelestissimo viro, violenta manu capitur, in carcerem detruditur, vbi & strangulatur Anno 974. cum sedisset annum vnum, mens. 3. dies aliquot: Sedem Apostolicam sacrilega cœde optimi Pontificis vacantem, sacrilegus homicida Bonifacius, qui septimus eius nominis reperitur alibi nuncupatus, violenter inuasit, eamque annum vnum & mensem tenuit. Verum, vti tyrannus inter Romanos Pontifices non numeratur, quòd sedem Apostolicam turpiter ingressus, turpius deseruerit. Nam cum post multa alia scelera & flagitia homo nefarius Vaticanam Basilicam omnibus ornamentis suis spoliasset, Benedictus, Albericorum, de quorum familia erat, ope & auxilio fretus, eum vsque adeò exagitauit, vt Roma relicta Constantinopolim abire cogeretur. Quando, & qua occasione Romam redierit, dicam infra in vita Ioannis XIV.

Concilium Mutinense.

Tempore Benedicti celebratum est, ab Honesto Archiepiscopo Rauennate: in quo controuersia inter dissidentes germanos Proceres, Petrum & Lambertum composita fuit A. D. 973. *Vide Rubeum lib. 5. Hist. Rauennatis.*

BENEDICTVS VII.

Omnium suffragio Pontifex creatus, inuasorem Sedis Apostolicæ Bonifacium, auxilio Albericorum, de quorum familia ipse erat, adiutus ab vrbe discedere & Pontificatum deserere coegit. Hic Sergium Damascenum Episcopum à Sarracenis relegatum benignè excepit, eique Ecclesiam S. Alexij colendam tradidit; in qua cum ille Monachos collegisset, restitutaque obseruantia monastica annos quatuor illic egisset, sancto fine quieuit.

Anno Dom. 975. die 1. Iunii Ottonis II. ann. 2. Ioan. Zemisc. 6 Qui occupatus expeditione Syriaca, iamque victor peruenisset Damascũ vsq; ingenti damno Reipub. Veneno extinctus est cum imperasset annos 6. & menses totidem.

Huius temporibus Otto II. dum post obitum patris decem annis imperium tenuisset, propter cladem sibi suoque exercitui in Calabria per Grecos & Sarracenos illatam mœrore confectus obijt Romæ, anno Redemptoris 983. Otto III. quem pater adhuc viuens per Moguntinum & Rauennatem Archiepiscopos Aquisgrani Regem eligi & coronari procurauerat, in locum patris defuncti successit. Octauo mense post mortem Ottonis, Benedictus Papa ex hac vita migrauit, decima Iulij, Anno Christi 984. cum annos nouem Sedem Pontificiam tenuisset. Sepultus est in basilica S. Crucis.

Primum Concilium sub Benedicto VII. Constantinopolitanum.

Quo Basilius Patriarcha criminis accusatus deponitur, & in locum eius substituitur Antonius Studites. *Anno Dom. 975.*

Secundum Concilium Vintoniense.

In causa Clericorum Angliæ, contra Monachos insurgentium & eorum bona occupantium. Quam controuersiam cunctis audientibus decidit imago Crucifixi ad Episcopos inquientis *Non fiet, non fiet, iudicastis benè, malè mutaretis*. Quare Clerici non satis probatæ vitæ eorumque fautores elingues redditi, nullam deinceps optimè viuentibus Monachis controuersiam mouerunt. *Baron an. 975. nu. 12.* *Anno Dom. 975.*

Tertiam Concilium Romanum.

Anno Dom. 983.

In cauſa Giſeleri Magdeburgenſis, Epiſcopi ſecundi. *Dithmarus l. 3. Chron.*

Anno Dom 984. 1. Augusti Baſilij & Conſtantini Imper. Orientis an. 10. in Occidente autem non erat Imper. ſed Otto 3. in Germania regnauit

Defunctus eſt Ioan. Papa die 20. Aug.

IOANNES XIV.

Qui antea Petrus nominabatur, ex Epiſcopo Papienſi & Archicancellario Ottonis II. factus Romanus Pontifex. Quod cum Bonifacio VII. inuaſori olim ſedis Apoſtolicæ Conſtantinopoli exulanti innotuiſſet, ſimulq; Ottonem ſecundum, patronum huius Ioannis è vita deceſiſſe cognouiſſet, iterum ſedem Apoſtolicam inuaſurus Romam venit, & cathedram Petri inuolauit, & Ioannem vinculis alligatum in ſancti Angeli munitionem, quæ à ſuorum factione detinebatur, magna cum tyrannidè intruſit; detentumque ibidem menſibus quatuor, violentus & ſacrilegus prædo tandem fame perire coegit; & ne quid illi, qui partium Imperatoris erant, amplius ſperarent, corpus extincti Pontificis præ foribus munitionis S. Angeli, ciuibus omnibus ſpectandum exibuit. Illi verò dum intuitu macilenti cadaueris Pontificem fame extinctum vidiſſent & doluiſſent, venerandum corpus in baſilicam S. Petri delatum ſepelierunt. Interea inuaſor ſedis, duorumque Pontificum crudeliſſimus interfector, patricida nefandus & truculentus prædo Bonifacius Antipapa, Petri cathedram, proh nefas, per tyrannidem occupauit; poſt quatuor autem menſes, quibus ſedem Apoſtolicam violenter & iniuſtè detinuerat, vltore Deo punitus, morte repentina interijt. Defuncti cadauer factioſi illi, quorum ſubſidio viuens nitebatur, nudatum lanceis vulnerarunt, & per vrbem traxerunt. Qui inter famoſiſſimos latrones potiùs quàm inter Pontifices annumerandus eſt.

Anno Dom. 985. Baſilii & Conſtantini Imp. Orient. 10. quibus regnantibus Bardas cognomento Phocas tyrannus, acclamatur Imp & coronatur. Vnde ingens bellum ciuile exortum. Quo finito pii Imperatores ſchiſmani Eccl. Orient. ſtudio & opera ſua ſopierunt. Vnamque generalem & Apoſtolicam Eccl. effecerunt.

IOANNES XV.

Patria Romanus, ex patre, Leone, poſtea presbytero, natus poſt extinctum tyrannum communi ſuffragio legitime electus. Hic timore eorum, quæ prædeceſſor paſſus erat, ſeceſſit in Tuſciam, cum à nouo tyranno Creſcentio Numentario, qui titulo conſulatus munitionem S. Angeli poſſidere aggreſſus eſt, infeſtaretur. Cumque legationes ad Ottonem Regem Germaniæ frequentaret, Romani memores eorum, quæ propter iniurias Pontificibus illatas, ab Ottonibus anterioribus paſſi erant, è veſtigio honorifica legatione eundem Ioannem reuocarunt, dataque illi omni ſecuritate in Vrbem redire rogarunt. Quod dum faceret, omnes aduentanti occurrerunt, pijs officijs & obſequijs eundem honorarunt, ſeque illi ſubiecerunt.

Hic Libentio Hamburgenſi Epiſcopo pallium conceſſit. Leonem Treuirenſem Viceepiſcopum ad Regem Angliæ & Ducem Northmannorum ablegauit, vt eos inter ſe diſſidentes conciliaret. Acta pſeudoſynodi Rhemenſis, qua amoto Arnulpho, Gerbertus ſurrogatus fuerat, improbauit; & amotum ſedi ſuæ feliciter reſtitui procurauit. Ad Creſcentij tyrannidem quæ indies magis magiſque inualeſcebat, propulſandam, Ottonem Regem Germaniæ Romam venire rogauit. Antequam verò accederet, defunctus eſt Pontifex optimus ſeptimo Maij, cum ſediſſet annos decem, menſes aliquot. Sepultus eſt in baſilica S. Petri, in oratorio S. Mariæ.

Scripſit epiſtolam ad omnes fideles, de pace inter Angliæ Regem, & Northmannorum Ducem compoſita per Leonem Vice Epiſcopum Treuirenſem, legatione Apoſtolica fungentem.

Primum Concilium Romanum.

Anno Dom 989.

Sub Ioanne XV. celebratum in cauſa S. Adalberti Epiſcopi, Pragenſibus reſtituendi. Qui Bohemos valde contrarios ſibi videns, ſecundum Euangelicam ſententiam eos deſerens anno Chriſti 983. ſub Benedicto Papa VII. Romam venerat, vt conſenſu Pontificis Epiſcopatum dimitteret, ſibique ad loca ſancta Hieroſolymam peregrinari liceret. Peregrinatione peracta Romam reuerſus, Monaſterium S. Bonifacij ingreſſus eſt: cumque in eo tanquam in palæſtra Chriſti integro quinquennio ſe pugilem ſtrenuiſſimum exhibuiſſet, Pragenſes emen-

emendationem polliciti, Episcopum suum repetiuerunt; eaque de causa duos viros ad Sedem Apostolicam ablegarunt. Quos cum Pontifex audiuisset, conuentum hunc Synodalem collegit, in quo post diligentem facti inquisitionem, visum est sanctæ Patrum congregationi planè necessarium esse, vt Episcopus ad pænitentem populum redire cogatur, quantumuis ille reluctetur. Addidit Pontifex hanc legem & conditionem. *Si audierint eum, teneant cum benedictione. Si verò non audierint, absque periculo capitis malorum consortia declinet.*

Qua ratione eundẽ Episcopatum S. Præsul ob ingrauescentia populi peccata iterum deseruerit: quam occasione postea Vngarorũ Apostolus effectus Stephanũ Regẽ baptizauerit, vide Suriũ 23. April. tom. 2.

Secundum Concilium Siluanense.

Quo iussu Arnulphi Rhemensis Archiepiscopi, Galliarum Episcopi prædones ciuitatis Rhemensis sententia anathematis condemnarunt. *Anno Dom. 990.*

Tertium Conciliabulum Rhemense.

Quo Arnulphus Archiepiscopus, vir bonus & modestus frater Lotharij Regis ex concubina, per Archiepiscopum Senonensem nomine Seguinum, iussu Hugonis Regis Francorum depositus, nullam ob causam, nisi quod dicere Rex non deberet esse Episcopum natum ex concubina. In loco autem eius consecrari fecit Gerbertum Monachum Philosophum; Arnulphum autem mancipari custodiæ in Aureliana ciuitate. Quo audito Ioannes Papa, interdixit sacris, omnibus Episcopis, qui inuiti & coacti à Rege Arnulphum deiecerant & Gerbertum ordinauerant, Seguinus enim Segonensis hoc facere nolebat & redarguit ipsum Regem. Acta huius pseudosynodi Papa Ioan. XV. improbauit. *Anno Dom 992.*

Quartum Concilium Romanum II.

Pro Canonizatione S. Vdalrici Augustani Episcopi celebratum, in palatio Lateranensi pridie Kal. Febr. *Anno Dom. 993.*

Quintum Concilium Mosoniense.

Quo eiecto Gerberto Arnulphus sedi suæ Archiepiscopali restitutus est, per legatum Pontificium Leonem Abbatem S. Bonifacij Romæ. *Anno Dom. 995. 4. Nouas Iunii*

Sextum Concilium Rhemense.

Quo per Leonem Sedis Apostolicæ Legatum Arnulphus Gerberto deposito Rhemensi Ecclesiæ restituitur, & Acta præteritæ pseudosynodi auctoritate Apostolica improbantur, & planè annullantur. *Plura hac de re Baronius, anno 992. & sequentibus.* *Anno Dom. 995.*

GREGORIVS V.

Qui Bruno nominabatur, natione Germanus, Ottonis Imperatoris consanguineus, à Clero electus. Crescentij verò studio & opera, qui se tyrannum in vrbe fecerat, contra eum in schismate eleuatus est in thronum Apostolicum Ioannes (quem XVI. nominant, & in numerum Pontificum malè referunt) natione Calaber, Placentinus Episcopus. Sed cum Otto Rex, ad vindicandam iniuriam, Pontifici per Crescentium illatam in Italiam Venisset & Romam expugnasset, (Crescentius autem in munitione S. Angeli inexpugnabili se cum suis clausit) inuasori sedis Apostolicæ manus sacrilegas amputari, aures abscindi, atque oculos euelli præcepit. Cumque à tyrannide Crescentij (de quo Otto expugnato in arce S. Angeli capitis extremum supplicium sumpserat) Romani liberiores facti essent, post illam membrorum amputationem asello imposuerunt, tenentemque alterius asini præeuntis tanquam rectoris caudam in manibus, compulerunt, vt per publicam totius vrbis viam hæc caneret.

Anno Dom. 996. Papa in ordine 140. ab obitu Ioannis post mensem vnum & dies 6. in locum ipsius mense Iunii subrogatur.

Tale supplicium patitur, qui Romanum Papam de sua Sede pellere nititur.

Hoc schismate sublato, Otto III. Romæ ab eodem Gregorio coronatus est Imperator, postquam Regnum Germaniæ 12. annis obtinuisset.

Hic Pontifex patriam suam insigni aliqua dignitate ornare Volens, præuio Synodali iudicio Romæ, constituit, vt penes solos Germanos esset ius eligendi Regem Romanorum, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator & Augustus appellaretur. Idem Bonifacium Ottonis cognatum recens ad fidem Christi conuersum, & martyrio S. Adalberti inflammatum, ad prædicandum gentibus munere Apostolatus donatum, misit in Russiam. Heriberto

Coloniensi Archiepiscopo pallium donauit, & in numerum septem Electorum, quibus eligendi Imper. Romani potestas concessa fuit, eundem assumpsit. Defunctus est anno Christi 999. pridie Nou. Febr. cum sedisset annos duos, menses 8. dies quatuor.

Concilium celebrauit Romanum.

Anno Dom. 996. Quo constitutum fuit, vt Imperator deinceps à Septem Electoribus Germaniæ Principibus eligatur: de quibus hi extant versus.

Moguntinensis, Treuirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperij sit Cancellarius horum.
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, pincerna Boemus.
Hi statuunt dominum cunctis per sæcula summum.

Hoc est, primus Moguntinus Archiepiscopus sit Cancellarius Germaniæ, Treuirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ; Marchio Brandeburgensis Camerarius Imperatoris; Palatinus Rheni Dapifer, Dux Saxoniæ Gladifer, Rex verò Bohemiæ Pocillator.



LIBER XVIX.



MILLENARII temporis curriculo circumductam Ecclesiam Dei ad vnius instar diei, libris superioribus descripsimus, illud Diui Petri animo reuoluentes (2. Petri 3.) *Vnus, dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.* In quo, licet sol nocte non luxerit, & die, obice nubium, sæpè latuerit, atque Ventorum turbine, tonitruis, fulminibus, grandine, pluuia, apparuerit permolestus; nunquam tamen dixeris perditum esse solem. Ita Ecclesiam Christi, siue luce clarere, siue tenebris obscuriari hoc millenario videbis, nunquam tamen eam sine Christo fuisse considerabis, sed cum Propheta, si sapis, cantabis. *Tuus est dies, & tua est nox* (Psal. 73.) Eo quòd, *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* *Psal. 138.* Nam & in Ecclesia Iesus Christus, *heri & hodie ipse & in sæcula*, & Ecclesia semper est in Christo, licet à tot, inuasoribus, hoc vltimo millenarij sæculo fuerit *Hæbr. 13.* conspurcata & conculcata; Exorientis tamen secundi millenarij initio, non vt olim ad Christi cunabula duce stella venerunt ab oriente Magi cum muneribus, sed à Septentrione Reges potentissimi ad sedem Apostolicam, vnicum vrbis templum, asylum pietatis, columnam & firmamentum veritatis; accesserunt humiles præuia fide, non munera tantum ex suis thesauris accepta, sed ipsa Regna afferentes ad eam, & Regnorum coronas petentes ab ea, vt mox in in Siluestro Papa II. videbis, cuius vitam breuiter apponimus.

Anno Dom. 999. 1. Nouembris Ottonis III. 4. Basilii & Constantini Imp. Orientis 24.

SILVESTER II

Ex Rauennate Archiepiscopo, Pontifex Romanus cura Ottonis Imp. factus. Hic ante Pontificatum Gerberti nomine appellatus est, qui per captatam Hugonis Galliarum Regis (namque & ipse Gallus natione erat, monachus

nachus Benedictinus professione, & Abbas monasterij S. Columbani conditione præceptor Regis Roberti, filij Lotharij Regis) amicitiam, Arnulphum Rhemensem Archiepiscopum Sede sua amoueri, seque per decretum pseudosynodi Rhemensis, de quo supra, in locum eius surrogari procurauit (erat enim homo astutus,& in gratiam Principum insinuandi se maximus artifex,præterea Philosophus & Mathematicus insignis) quique demum per Leonem Sedis Apostolicæ legatum, & decretum Rhemensis Concilii inde eiectus, ad Ottonem Imperatorem fugit, à quo ad Rauennatem Archiepiscopatum promotus, pallium à Gregorio Papa accepit. Quo de functo, eiusdem Ottonis III Imp. studio & patrocinio ad Pontificatum promotus, qui Romanorum non tutam fidem expertus, ne Pontificatus ad aliquem Romanum relaberetur, hunc eligendum curauit, qui cum Imperatore diu conuersatus in Magdeburg admirabile horologium fecerat; & hinc ob Astrologiæ peritiam dediderat occasionem maleuolis calumniandi, quasi ad Apostolicæ sedis culmen magicis incantationibus prouectus esset.

Hoc Pontifice Otto III. Imp. Vercellensem ciuitatem cum comitatu, nec non S. Agathæ comitatum Ecclesiæ Vercellensi donauit. Nouæ hæreses, quas Glaber recenset, sub hoc Pontificè planè sunt sopitæ eodem anno, quo fuerant exortæ. Stephanus Vngarorum Princeps ab hoc Pontifice coronam Regiam impetrauit, &Regnum suum Ecclesiæ Romanæ subiecit. Raco electus Bremensis Episcopus ossa Benedicti Quinti ex Hamburgo Romam reduxit.

In Galliis homo plebeius quidam Leutardus nomine hæresim propagare cæperat In Italia verò Vilgardus quidã Grammaticus; hic Poetis credendum esse dicebat. Ille decimas non esse sacerdotibus dandas docebat. Vterque autem Idolatriam proponebat.

Sub hoc Pontifice anno Christi 1000. vana multorum assertione prænunciatus est (& primum quidem Parisiis) mundi interitus: cui Abbo Floriacensis Abbas vir doctissimus, & sanctitate insignis, scripto libro Apologetico contradixit.

Et anno huius Pontificis quarto Otto III. Imperator 5. Kal. Febr. 1002. ex hac vita decessit, qui Regem Polonis Anno Redemptoris 997. dedit, sociumq; eum & amicum Romani Imperij appellauit, Gaudentio Archiepiscopo Gnesnensi, solennes coronationis cæremonias peragente. Vacauitque Imperium Occidentale annis 11. & mensibus aliquot. Tandem ab electoribus iam ante constitutis in locum Ottonis surrogatus fuit Henrici Primus Dux Bauariæ, à Villigiso Moguntiæ Archiepiscopo in Regem Germanorum inauguratus, quem postea Benedictus VIII. nomine tituloque Augusti Imperatoris donauit.

Siluestr verò Papa post quintum annum sedis suæ inchoatum, mortuus est 12 Maij, anno Christi 1003. vt ex Epitaphio eius sepulchro à Sergio Papa apposito satis apparet, in basilica Lateranensi,

Epistolam scripsit post adeptum Pontificatum ad Azolinũ Laudunensem Episcopum. Quas verò ante Pontificatum scripsit, illæ numero centum sexaginta, prodierunt in lucem ex Bibliotheca P. Massoni anno 1611. Parisijs excussæ.

Concilium Romæ celebratum à Siluestro Papa.

In causa Giseleri Magdeburgensis Episcopi, quod duas parochias teneret. Cæterum cum ille paralysi percussus venire non posset, res reposita fuit ad Concilium prouinciale Germaniæ. Interea verò recitatum fuit priuilegium Imperatoris Vormatiensi Ecclesiæ concessum. *Vide Baronium Anno* 999. *num.* 12. **Anno Dom. 999.**

IOANNES XVI.

(Qui perperam XVIII. nominatur) cognomento Siccus, patria Romanus, procerum opera, (Tusculanorum præcipue Comitum) in sede Apostolica collocatus, cum sedisset menses quinque & dies aliquot obijt. Hic miserat legatum ad consecrationem noui Archiepiscopi Magdeburgensis, cui Ecclesiæ ab Ottone Magno erectæ, concessum fuerat à Romano Pontifice priuilegium, vt non nisi per Romanum Pontificem eius consecratio fieri deberet. Sed cum ob tumultus vrbis ipse interesse non posset, nec electus se Romam conferre, missus est legatus Apostolicus ad munus explendum; qui in locum defuncti

Anno Dom. 1003. 17. Iunii Vacat. Imp. Occid. 2. Basilii & Constãtini Impp. Orientis anno 28.

Gisi-

Gisileri Tagmonem præstanti vita virum & conuersatione insignem ordinauit.

IOANNES XVII. (Qui perperam XIX. appellatur) cognomento Fasanus. Hic

Anno Dom. 1003. 12. Kal. Decemb. Basilii et Constãt. Imp. anno 29 initio Pontificatus sui S. Elphego Cantuariensi Episcopo pallium misit. S. Brunoni ad Prussiæ populos conuertendos Apostolatum contulit; quem cum fideliter perfecisset, à barbaris martyrio affectus est: eodem propè tempore, quo S. Bonifacius in Russia eodem Apostolico munere perfunctus, eadem martyrij corona insignitus fuit. Huius tempore Leutherius Senonensis Archiepiscopus hæresis Berengarianæ primordia & semina sparsit. Auctore hoc Pontifice Constantinopolitanam Ecclesiam cum Romana in communione Catholica coniunctam fuisse, testatur Petrus Episcopus Antiochenus in Epistola ad Michaelem Cærularium, & Epitaphium Ioanni erectum, quod recitat Baron anno 1009. Defunctus est Ioannes Papa 15. Kal Augusti anno MIX. Post obitum eius vacauit sedes Apostolica vno mense & diebus 13.

Primum Concilium sub Ioanne XVII. Tremoniense.

Anno Dom. 1005. die 9. Iulii. Pro reformanda Ecclesia celebratum, in quo Rex Henricus de eius temporis S. Ecclesiæ deformatione conquestus, magna instantia apud Episcopos laborauit, vt collapsa Ecclesiæ disciplina reformaretur. Igitur Patres congregati ediderunt Canones quibus sanctissimæ leges Ecclesiasticæ in pristinum vsum reuocarentur, prauique mores, qui in Clerum & populum irrepserant, exularent, & corrigerentur.

Secundum Concilium Francofordiense.

Anno Dom. 1006 De Ecclesia Bambergensi in Cathedram Episcopalem erigenda, celebratum ad petitionem Regis Henrici, qui eam ciuitatem à puero dilexerat, & semper excoluerat, & vxori in dotem assignauerat. Præsidebat Villegisus Archiepiscopus Moguntinus.

SERGIVS IV. Ex Episcopo Albanensi creatus est Romanus Pontifex optimus, pluribusque

Anno Dom. 1009. 5. Kal. Aug. virtutibus exornatus. Hic ante Petrus nuncupatus ob reuerentiam Apostolici culminis, nomen pristinum immutauit, & Sergius nominari voluit. Hoc iudice Libentio Hamburgensi Archiepiscopo controuersia, quæ inter ipsum, & Bernarium Verdensem de parochiæ Ramsolæ subiectione agitabatur, & ob quã ille Odonem Romam ablegauerat, adiudicata fuit.

Hoc tempore magno cum prodigio Romæ in quadam Ecclesia oleum scaturijt, ex quo vas aliquod impletum missum est ad Henricum Regem ad capessendum sine dubio Imperium. Anglicanam Ecclesiam Dani persequuntur. Ex clericis & monachis nouem, occisis, strangulatis, aut per verenda suspensis, decimum quemque vitæ reseruarunt. S. Elphegum Cantuariensem Episcopum post multas carceris & Vinculorum iniurias glorioso martyrio affecerunt.

Sergius Papa cum sedisset annos duos, menses 8. & dies 13. obijt 13. Maij anno salutis 1012. sepultusque est in basilica Lateranensi.

Concilium Bambergense sub Sergio Papa Henrici Regis conuocatione celebratum.

Anno Dom. 1011. Qui 30. Episcopos & Ioannem Patriarcham Aquileiensem inuitauerat ad cõsecrationem Ecclesiæ Bambergensis à se constructæ. Qui ea occasione controuersias quorundam Episcoporum sopierunt. In eadem Synodo publicatus est sermo S. Vdalrici, qui in singulis Synodis parochianis presbyteris enunciandus est.

BENEDICTVS VIII. Natione Tusculanus Episcopus Portuẽsis,

Anno Dom. 1012. 17. Iunii: Pontifex summus creatus est, aduersus quem in schismate contra sacros canones crea-

creatus est à factiosis Gregorius, qui potentia Romanorum fretus Benedictum ab Vrbe expulit. Hic illatam à schismatico iniuriam non ferens ad Henricum Regem Germaniæ in Saxonia degentem se contulit, expositaque coram eo igno minia quam passus erat, rogauit eius auctoritate vim Romanorum compesci. Henricus itaque parato & conuocato quam potuit citissime exercitu, ad vindicandam iniuriam sedi Apostolicæ illatam Romam profectus est: cuius aduentu Gregorius pseudopapa perterritus, relicta vrbe aufugit, Benedictus verò quem Rex præmiserat, eandem Petri cathedram recepit. Cumque Romam venienti Regi coronam Imperialem conferre decreuisset, iussit pro insigni Imperiali Regi conferendo, fabricam aureum pomum, atque circumdari per quadrum preciosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream crucem inseri. Vt dum illud respiceret Princeps, terreni Imperij foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quam vt dignus haberetur Viuificæ Crucis tegi vexillo. In ipso etiam diuersarum gemmarum decoramine, videlicet Imperij culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. Venienti & vrbi iam appropinquanti obuiam processit pius Pontifex, quodque pararat stemma & insigne Imperij eidem obtulit, ac paulò post in vrbem introductum vnà cum Cunegunda coniuge eius sanctissima, titulo & corona Imperiali decorauit Anno Christi 1014. cum annum iam duodecimum regnaret in Germania. Henricus primordia sui Imperij Deo consecrare volens, insigni munificentia Romanam Ecclesiam piè sancteque est prosecutus, vt videre est ex instrumento priuilegij, quo patrimonia ab antecessoribus suis quondam tollata, Benedicto Pontifici gratitudinis ergo confirmauit.

Anno Dom. 1012. 17. Iunii. Papa inordine 145 Anno Basilii & Cõstãtini Impp Orien: 37. cum iam vndecimum annum vacaret Imperium Occidentale procurante Ioanne Crescentio ne fieret Imperator è Germanis cũque Benedictus Papa Henricum Imperatorem coronasset, Romani impetum fecere in Germanos multique corruerunt in ponte Tiberino, nocte eos ad vltimum dirimente. Imperator sedatis tumultibus vniuersis, instabilem Longobardorũ mentem charitate cunctis exhibita firmauit & in Germaniam rediit.

Benedictus verò Papa Pontificatus sui anno quinto aduersus Sarracenos, Ecclesiæ littora inuadentes parauit exercitum & barbaros feliciter expugnauit. De Iudæis quibusdam Romæ degentibus supplicium sumpsit, quod in Parasceue, actionem eorum qui Christum Dominum crucifixerunt, imitati, imaginem Crucifixi iisdem iniurijs & contumelijs affecissent, quibus olim ipse Christus affectus fuerat. Eodem die post Crucem adoratam circa vesperum, turbine ventorum totam Romam concussam esse aiunt; neque prius cessasse ventos, quam de Iudæis, per Iudæum accusatos, Pontifex capitis supplicium sumpsisset.

Huius Pontificis hortatu Northmanni Græcos in Apulia pluribus victorijs debellarunt. Rogatus ab Henrico Imperatore ad confirmandum sua præsentia Bambergensem Episcopatum, quem ipse Imperator erexerat, Bambergam venit in Germaniam, ibique post dedicatam S. Stephani Ecclesiam, per donationem Imperatoris ipsius Vrbis, omniumque iurium eiusdem dominium obtinuit. Nam cum aliquamdiu post hæc tempora Romæ tanquam dominæ suæ annuum censum persoluisset, Henricus iunior pro ea liberanda & à Romanorum dominio eximenda, Beneuentum pro ea tradidit, tempore Leonis IX. Romani Pontificis, vt habet Leo Ostiens.

Idem Imperatorem ad suppetias ferendas aduersus Gręcos, prouocauit, qui tremendo cum exercitu in Italiam se contulit, suoque aduentu fautores Græcorum, alios cepit, alios fugauit, Capuam, Troiam, aliasque Vrbes Græcis deditas obsedit & expugnauit. Anno sequente in Germaniam reuersus cum Roberto Francorum de statu Regni, Ecclesiæ, & Imperij congressum habuit, eumque pluribus muneribus donauit.

Benedictus Papa ex hac vita migrauit 3. Kal. Martij Anno 1024. cum sedisset annos duodecim. Post obitum pœnas purgatorij passum fuisse, indicant duæ pluresue eiusdem post mortem factæ apparitiones, quibus (vt refert Petrus Damiani in Odilone apud Surium, & in Epistola ad Nicolaum Secundum) per intercessionem Odilonis sanctissimi Cluniacensium Abbatis, quem dum viueret limina Apostolorum visitantem reuerenter coluit & affectuosè dilexit, & eleemosynas germani fratris in sede Apostolica successoris, liberari petiuit.

Primum Concilium sub Benedicto Papa VIII. Legionense.

Sub Adelfonso V. Rege Legionensi celebratum, in quo plurima tàm ad ciui- *Anno Dom. 1012.*

lem, quàm ad Ecclesiasticam gubernationem sunt decreta. *Vide Baron. an.* 1012.

Secundum Concilium Aurelianense.

Anno Dom 1017. Contra nouos Manichæos hæreticos in Gallia celebratum sub Roberto Rege Christianissimo qui conuocatis plurimis Episcopis & Abbatibus diligentem inquisitionem de auctoribus sectæ fecit; reperitque per mulierem Italam hæresim resuscitatam & disseminatam fuisse, quam Heribertus & Lisoius duo palatij proceres Regi familiares imbiberant, perque loca vicina spargebant. Quos Rex pijssimus igni tradi iussit.

Tertium Concilium Salegunstadiense.

Anno Dom: 1022. Præsidente Aribo Moguntinæ sedis Archiepiscopo, in causa disciplinæ Ecclesiasticæ celebratum. De qua re communi decreto Concilij sancita sunt Capitula 20. Adiunctæque sunt cæremoniæ de Concilijs inchoandis & continuandis ex antiquo ritu obseruatæ.

Quartum Concilium Aquisgranense.

Anno Dom. 1022. Quo controuersia inter Pelegrinium Archiepiscopum Coloniensem & Durandum Episcopum Leodiensem de subiectione monasterij Burcitani terminata fuit. *Chron. Cameracen. lib. 3. c. 35.*

Quintum Concilium Moguntinum.

Anno Dom. 1023. In causa Ottonis Comitis ab Hamerstein congregatum, qui ob impurum nefariumque coniugium excommunicationis pœna damnari meruerat.

IOANNES XVIII.

Anno dom: 1024: 28 Febr, Henrici II. Basilii & Constantini 49. Qui cum non impetrassent titulum Oecumenici Patriarcha suo, Ecclesia illa Constantinop. rursus schismatc ab Ecclesia Romana est diuisa.

(Qui perperam XX. appellatur) Gregorij Comitis Tusculani filius, prædefuncti Pontificis Benedicti frater germanus, potentia Principum, & largitione pecuniæ, sedem Apostolicam inuaserat primo die post obitum fratris. Ad hunc, legationem pluribus muneribus instructam, miserunt Græci, petentes, quatenus eius consensu, liceat Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in Vniuerso, vniuersalem dici & haberi, quod tot sæculis iam prætendebant. Cæterum Pontifex hac de re per litteras Villermi Abbatis monasterij S. Benigni admonitus, nil planè concesserat. Intelligensq; Sedem Apostolicam à se iniustè detineri, acturus pœnitentiam, seipsum abdicauit: sed legitimè deinde à Clero electus, eandem vsque ad obitum tenuit.

Hoc Pontifice sedente Guillelmus Dux Aquitaniæ iuuenit caput S. Ioan; Baptistæ in tugurio saxeo Cœnobii Augeriacensis, quod cum populo fideli ostendisset ex omnibus prouinciis Christianorum populus concurrere capit ad venerandum tam sanctum Prophetam.

Huius tempore obijt Henricus Imperator, qui ob vitam sanctè, piè, & iustè transactam, post obitum sanctitate & miraculis celeberrimus existit: de quo hoc memorabile refert Leo Ostiensis, quòd moriturus Episcopis, Abbatibusque præsentibus Cunegundem coniugem suam propinquis tradiderit, ac dixerit. *Recipite quam mihi tradidistis Virginem vestram.* Cunegundis postquam animam coniugis sui pijs officis prosequuta fuisset, vitam monasticam est professa, vt eadem castitate, qua cœperat, stadium & curriculum vitæ quod restabat decurrendum, absoluerat.

Conradus ex Vormatiæ Ducibus originem ducens, ab Archiepiscopis, alijsq; Germaniæ Principibus, non sine potentum contradictione electus succedit in regnum Anno Christi 1024. & coronam Imperij à Ioanne Pontifice, tertio anno postea, ipso festo Paschalis sollennitatis Romæ accepit. Memorque accepti beneficij, anno Imperij sui septimo Romam reuersus, & Pontificem à proceribus Vrbis expulsum sedi suæ restituit. Obijt Pontifex 6. Idus Nouembr. cum sedisset annos nouem, menses octo, dies aliquot. Sepultus est in Basilica S. Petri, inter portam argenteam & Romanam.

Primum Concilium sub Ioanne VIII. Lemouicense.

Anno Dom 1029. Quo declaratum est, Martialem Lemouicensis sedis Auctorem, Episcopum Apostolicum esse nominandum; cuius etiam corporis eleuatio facta fuit.

Secundum Concilium Pampilonense.

Anno Dom. 103. De Episcopatu Pampilonensi, antiquæ sedi suæ restituendo celebratum. Ob barbarorum enim incursiones in monasterium Leirense, quod situm est in montibus

tibus Pyrenæis ſedes translata fuit, monachique iam Epiſcopum creabant: *Vide Baron. anno 1032. nu. 4.*

BENEDICTVS IX Alberici Tuſculani Comitis filius, duorũ germanorum Pontificum Benedicti & Ioannis prædeceſſorum nepos, circiter annum ætatis decimum, vel ſaltem, quod verius eſt, decimum octauum, quo capax erat impudicitiæ & luxuriæ, quæ ipſi à Petro Damiani adſcribitur, tyrannide parentis Alberici intruſus eſt in ſedem Apoſtolicam. Hanc, aliaſue maculas ſanctiſſimæ Cathedræ Petri, in hoc, aliiſue pluribus ſupra recenſitis Pontificibus, illatas, Eccleſia non intulit, ſed poſt diuturnas reclamationes, & contradictiones Cleri & populi, patienter perpeſſa ſuſtinuit. Et quanquam indignus ſedem Apoſtolicam per vim & tyrannidem detineret, tamen vniuerſus orbis catholicus, eum tanquam ſucceſſorem Petri coluit, & pro Romano Pontifice agnouit. Nam Hermannus Hamburgenſis Archiepiſcopus, eiuſue ſucceſſores Bezelinus, cognomento Alebrandus, & Adelbertus pallium ab eo petierunt, & impetrauerunt. Conrados Imperatori ad compeſcendum Mediolanenſem Archiepiſcopum Imperij perduellem, Cremonæ inter Miſſarum ſolennia coronam Regni contulit. Simeonem Anachoretam apud Treuiros incluſum, inſtantia Popponis Treuirenſis Archiepiſcopi in numerum ſanctorum retulit. Cremona abeuntem comitatus eſt Conrado Imperator ad compeſcendam Pandulphi Principis Capuani tyrannidem, & ſacrilegam bonorum Eccleſiaſticorum inuaſionem. Inſtantia Polonorum, authore Longino, per legatos Sedem Apoſtolicam interpellantium, Bohemos ad reſtitutionem ſpolij, quod Gneſnenſi Eccleſiæ intulerant, minitans pœnam excommunicationis, adegit. Caſimirum Poloniæ Principem, Boleslai Magni, primi Regis nepotem, vrgente neceſſitate Eccleſiæ & Regni, à voto religionis in monaſterio Cluniacenſi emiſſo abſoluit; ordinique Diaconatus, quem ſuſceperat, per diſpenſationem exemit, & ad ſeculum redire, Regni gubernaculis præeſſe, vxorem ducere, atque ex ea futuros Regni hæredes procreare eidem permiſit: iſta lege & conditione perpetuis temporibus obſeruanda, vt pro Polono Mnemoſyno accepti beneficij, B. Petro eiuſque ſucceſſoribus de quolibet capite nobilium, vſualem nummum ſingulis annis ſoluant, cæſariem capitis & comam barbaro more non nutriant, inſtar religioſorum Latinarum nationum, tonſuratum caput geſtent; & in præcipuis Chriſti & Virginis matris eius feſtiuitatibus, panno linteo albo in ſtolæ modum dependente, ceruicem exornent. Factum id eſt ea intentione Pontificis, vt his tribus inſignibus ex Monacho & Diacono Apoſtolica conceſſione & benignitate, cùm aliter concretum periculum diſpelli non poſſit, Polonus Regem ſibi creatum & redditum recognoſcens, tam in Deum, quàm in religionem Chriſti ſit gratior atque deuotior.

Papa 147. Anno Dom. 1033. Sexto Idus Nouem. Conradi 7: Romani 5. qui ab adultera coniuge Zoe Augusta veneno conſumptus ad extremum miſere ſtrãgulatus interiit; in eius verò locum adulter Michael Origine Paphlago, arte argentarius ſucceſſit, quẽ propter formæ pulchritudinem impudica fœmina deperibat, & ipſo die Paraſceues cum Paſſio Saluatoris noſtri in templo decantaretur aduocato Alexio Patriarcha coegit ipſum Michaelẽ cadauere adhuc in lecto iacente, in triclinio ſecum conſecrare. Cumque Patriarcha obſtupefactus obmuteſceret, & benedictionẽ differret, illa traditis 50 lib. Auri Patriarchæ & totidem Clero, effecit vt eos conſecraret.

Huius temporibus Rex Francorum Robertus verè Chriſtianiſſimus ex hac vita migrauit, cuius res præclare geſtas, quæ ad pietatem ſpectant, Helgaldus Monachus Floriacenſis conſcripſit. Rege autem defuncto, ſtatim Berengarius Turonenſis, Archidiaconus Andegauenſis hæreſim ſuam Roberti Regis auctoritate oppreſſam erexit, Bronone Epiſ. Andegauenſi, quem in eandem veſaniã perduxerat, eam promouente. Sed Robertinæ pietatis & Regni hæres ſucceſſorque Henricus Rex, eandem repullulantem, condemnari, profligari, & penitus obrui procurauit.

Eiuſdem tempore Conradus Imperator obiit, anno Imperii ſui 13. Chriſti verò Domini 1039. Nonis Iunii, ipſa Pentecoſtes die tertia: filiumque Regni & Imperii ſucceſſorem electum, nomine Henricum, poſt ſe reliquit.

Benedictus Papa, cum luxui & voluptatibus deditus eſſet, humanaque fragilitate in impudicitiam præceps rueret, magno fidelium ſcandalo vitam ducẽs, à Romanis eiectus eſt, in cuius locum, Syluester III. ex Epiſcopo Sabinenſi, data pecunia, maliſque artibus ſucceſſit, nouoque ſchiſmate Romanam Eccleſiam

ſcidit, ſed dum vix tres menſes ſedem Apoſtolicam obtinuiſſet, Benedictus Tuſculanorum ſuorum ope & auxilio fretus, ad Pontificatum reuerſus, inuaſorem ſedis, ſede deſtituit. Interea tertius quidam Ioannes Archipresbyter Romanus, eandem ſedem inuadens, maiorem deformitatem Eccleſiæ attulit: atque ita triceps beſtia ab inferorum portis emergens, ſanctiſſimam Petri Cathedram miſerrimè infeſtauit. Diuiſiſque trifariam redditibus, vnus ad S. Petrum, alter ad S. Mariam, & tertius Benedictus in palatio Lateranenſi ſedit. Omnes autem, inquit Otto Friſingenſis, flagitioſam & turpem vitam duxere.

Hunc ſtatum Eccleſiæ, miſeratus quidam presbyter Romanus, nomine Gratianus, ſingulos adijt, & à ſede ſancta cedere, (non ad emendam vllam ſpiritualem dignitatem, ſed ad redimendam quam vocant vexam Eccleſiæ) data & collata ijs pecunia perſuaſit. Atque ita Benedictus, cui tanquam digniori de redditibus Angliæ prouiſum erat, ſeipſum Pontificatu abdicauit, & ad cupiditates ſuas liberius deinceps exequendas, in paternam domum ſe recepit, cùm ſedem Apoſtolicam vndecim annos per vim & tyrannidem intruſus detinuiſſet. Cumque eius exemplo reliqui, ſua ſibi aſſignata redditum portione contenti, idem præſtitiſſent, Eccleſia ſchiſmate propulſato, & tyrannide qua opprimebatur ſublata, priſtinæ vnioni, paci & concordiæ reſtituta fuit, Anno Domini 1044.

Primum Concilium ſub Benedicto IX. Lemouicenſe.

Anno Dom. 1034. Quo tempore Græci eiecto Imperatore Michaele Calophate Paphalagonio, oculiſque priuato, Conſtantinum Monomachum coronarunt, qui ſibi Zoe matrimonio iunxit. Anno Dom. 1035.

Ob cauſam pacis Eccleſiaſticæ, & Apoſtolatus S. Martialis celebratum: quiq; bona Eccleſiaſtica inuadebant Synodaliter excommunicati ſunt: & S. Martialis non inter Confeſſores, ſed inter Viros Apoſtolicos connumeratus eſt.

Secundum Concilium Bellouacenſe.

Eadem de cauſa eodemque anno celebratum ab Epiſcopis Galliæ.

Tertium Conciliabulum Triburienſe.

Cura Conradi Imp. habitum, in cauſa religionis, obſeruantiæque ieiuniorum. *Vide Chron. Cameracenſe lib. 1. c. 51.*

Anno Dom. 1044. die 1. Maii. Imperio Occidentali iam annum quintum vacante. In Oriente verò Conſtantino Monomacho imperante an. 2.

GREGORIVS VI.

(Cum Benedictus IX. perſuaſione viri ſanctiſſimi Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ, diſcipuli S. Nili, ſponte Pontificatui ceſſiſſet) tanquam liberator Eccleſiæ Dei, vnanimi conſenſu electus eſt Pontifex, quod triplicem illam beſtiam pharmaco tali, quale temporis illius infelicitas exigebat è medio ſuſtuliſſet, dataque pecunia ab intruſis Pontificibus pacē & vnionem Eccleſiæ comparans, eiuſdem vexationem redemiſſet. Factum Pontificis Gregorij (cui antea Gratiani nomen erat) prudentiſſimum, nemo niſi Benno Schiſmaticorum ſignifer, vtriuſque Gregorij, ſexti videlicet & ſeptimi, magiſtri & diſcipuli, hoſtis infenſiſſimus, hominum omnium mendaciſſimus, tanquàm Simoniacum reprehendit vnquam. Gregorius VII. qui implacabilis Simoniacorum hoſtis erat, ob eius amorem ſe poſt adeptum Pontificatum Gregorium VII. vocari voluit, cum antea Hildebrandus appellatus fuiſſet. In Concilio Romano, quod anno Pontificatus ſui ſeptimo habitum fuit Romæ, eundem legitimum Pontificem, & præceſſorem ſuum agnoſcit. Glaber qui hoc tempore ſcripſerat, Gregorium VI. ſummopere laudans, hæc de eius ingreſſu commemorat. *Tunc verò cum conſenſu totius Romani populi, atque ex præcepto Imperatoris eiectus eſt à ſede Benedictus, & loco eius ſubrogatus eſt vir religioſiſſimus ac ſanctitate perſpicuus Gregorius, natione Romanus, cuius videlicet bona fama quicquid prior fœdauerat in melius reformauit.*

Hic initio Pontificatus ſui à Caſimiro Poloniæ Rege eam, quam Benedictus ſoluendam impoſuerat, contributionem denarij accepit. Vias omnes in ſtatu Eccleſiaſtico latrocinijs purgauit: in vrbe ipſa ſiccarios graſſantes exterminauit; rapinas compeſcuit; patrimonia Eccleſiaſtica ab inuaſoribus recuperauit, prædiaque omnia & oppida multis temporibus amiſſa in antiquum ius reformauit: & quos Verbis & gladio ſpiritali non poterat, gladio militari ad reſtitutionem

nem spolii adegit. Qua de causa dum odium & inuidiam quorundam Romanorum ex furtis & rapinis viuentium incurrisset, crimine Simoniæ & homicidii insimulatus, venit ad Henricum Regem Placentiæ degentem, ibique habito Concilio Sutrino, cui ipse præsedit, nullo testimonio conuictus, nullaue sententia iudicatus, ob pacem Ecclesiæ conciliandam, & schismatis periculum, quod iterum imminebat conflandum, imitatus Gregorium Nazianzenum spontè se abdicauit, anno Domini 1046. cum teste Leone Ostiensi sedisset annos duos & octo menses.

Concilium Sutrinum.

Non longe ab Vrbe Roma celebratum præsidente Gregorio VI. qui seipsum Pontificatu abdicauit. Illique tres inuasores Pontificatus, cum quibus Gregorius transegerat certis redditibus assignatis vnicuique illorum, offa illa priuati sunt. *Anno Dom. 1046.*

CLEMENS II. Natione Germanus, ante Suidgerus appellatus, post factam Gregorii Sexti abdicationem, ex Bambergensi Episcopo, opera studioque Henrici Regis, omnium consensu creatus Pontifex in vigilia Natiuitatis Domini: posteroque die Natiuitatis Domini ex more consecratus, & nomine Clementis secundi appellatus, Henricum Regem, eiusque coniugem Agnetem, Imperiali benedictione sublimauit. Qui Roma discedens Gregorium VI. quondam Pontificem, ne quid ipso præsente Romæ innouaretur, secum in Germaniam abduxit. Comitatus est eum Hildebrandus eius discipulus, sedis Apostolicæ subdiaconus, postea verò Gregorius Septimus. Cum eodem Roma profectus est Clemens qui vltra montes, septimo Idus Octob, nono mense à sua promotione ex hac vita migrauit. Corpus eius sepultum est Bambergæ. Quod cum Benedicto innotuisset, ille tertio sedem Apostolicam inuasit, eamque vsque ad Damasi secundi electionem per octo menses tenuit.

Anno Dom. 1046. 21. Decemb. Constantini Monomachi 5. Imp. verò Occidentis post septenne interregnũ coronauit Clemens Henricum II. Conradi Imp. Fil. Qui Monasterium Cassinense visitans munera preciosa S. Benedicto obtulit, & Monachis.

Epistola Clementis II. extat vnica scripta ad Ioannem Archiepiscopum Salernitanum, qua factam eius translationem ex Episcopatu Pestano in Salernitanũ confirmat, eique pallium concedit.

Concilium recens creatus Papa Clemens II.

Ad reformandum Ecclesiæ statum, *Romæ celebrauit*, in quo illud potissimum annitente Imperatore Henrico II. conatus est, vt Simoniacos vepres, qui adeò excreuissent, vt patrisfamilias sementem suffocarent, non modò succideret, sed penitus eradicaret. In eadem Synodo altercantibus de loco, qui nam proximus Romano Pontifici sedere deberet, Mediolanensi Aquileiensi & Rauennate Antistitibus, causa adiudicata Rauennati & diploma confectum. *Vide Hieronym. Rubeum in Hist. Rauennate.* *Anno Dom. 1047.*

DAMASVS II. Qui cum esset Episcopus Brixiensis Poppo nominabatur, Sedi Apostolicæ ab Imperatore præsentatus, omnium suffragiis est electus, comprobatus, & consecratus. Sedit dies tantùm 23. defunctus Præneste, & Romam delatus in Ecclesia S. Laurentii extra muros est sepultus. Sedes vsque ad annum sequentem vacans, vnguibus Benedicti inuasoris discerpta fuit.

Papa 150. Anno Dom 1048. 17. Iulii. Henrici 2. Constan. Monomachi 6. Quo tempore obiit S Odilo Cluniacensis Abbas.

LEO VIII. (Qui Vulgo IX. perperam nominatur) ex Comite Dagsbpurgensi & Episcopo Tullensi in Lencis, cui nomen Bruno fuerat, maximo bono totius Ecclesiæ Catholicæ creatus est Pontifex. Cardinales per legationem ab Imperatore petiuerunt suo nomine eligi & præsentari aliquem idoneum, qui Benedictum iam tertium Sedem Apostolicam violenter inuadentem eiicere posset. Delegit itaque Imperator Brunonem, ex nobili Francorum prosapia oriundum Tulliensium Episcopum, eumque purpura Pontificali indutum à se dimisit, vt coram cœtu Cardinalium

Anno Dom. 1049. 2. Februar. Henrici 3. Const. 7. ad quē Leo legatos dimiserat, vltimo Pōtificatus sui āno.

se

ſe eligendum ſiſteret. Qui cum per Gallias iter ageret, inquit Otto Friſingenſis, contigit eum Cluniacum venire, vbi forte tunc præfatus Hildebrandus Prioratus (vt dicitur) obedientiam adminiſtrabat. Is verò Leonem adiens, æmulatione Dei plenus, conſtanter eum de incepto redarguit: illicitum eſſe, inquiens, per manum laicam ſummum Pontificem, ad gubernationem totius Eccleſiæ violenter introire. Verū ſi ſuis ſe credere velit conſilijs, vtrumque, & quod maieſtas Imperialis in ipſo non exacerbetur, quodque libertas Eccleſiæ in electione renouetur ſe pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum eius purpuram deponit, peregrinique habitum aſſumens, & ducens ſecum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad vrbem vſque venientes conſilio Hildebrandi à Clero & populo Bruno in ſummum Pontificem eligitur. Ita Leo, ſicut illi more Apoſtolico præcedentibus prophetis & viſionibus ante quinquennium diu nitus reuelatum fuerat, legitime electus eſt Romanæ Eccleſiæ Pontifex. Dum enim eſſet Tullenſis Epiſcopus, contemplabatur in viſione nocturna, quod quidam ſenex vultu placidiſſimo, canitie decorus, per aſperrimam & longiſſimam viam ducebat eū ad quoddam vetuſtiſſimum templum: quod ingreſſus, fecit eum ſedere iuxta ſe in mirifica ſede præfati templi dicens. Hoc nobiliſſimum ſolium, tranſactis quinque annis conceſſit tibi Deus, vt fideliter regas & amplifices illud, vt merearis audire ab eo. Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. De quo etiam memorabile refert Sigibertus, quod cum ex Gallijs Romam tenderet, audiuerit voces Angelorum cantantium: *Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*. Aiunt enim oſtenſa illi fuiſſe de bellorum turbinibus, quibus vexandus eſſet, atque demum de felici rerum exitu. Vnde factum eſſe credo, quòd ſimulac conſecrationem Pontificiam Romæ accepiſſet, nihil ibi moratus, Sipontum in Apulia ad viſitandum Eccleſiam S. Michaelis in rupe Gargana ſitam, & ad promerenda apud Deum ſuffragia ſanctorum Angelorum, celeberrimam eius temporis peregrinationem accurrerit. Inde rediens, in ipſa feſtiuitate palmarum monaſterium Caſſinenſe acceſſit, ipſo die miſſam ſolenniter celebrauit, atque in Refectorio cum Fratribus comedens, poſt prandium ad Capitulum venit, & pro honoribus ſibi exhibitis gratias egit, monaſteriumque ſimul & Abbatem multis priuilegijs donauit. Tullenſis Eccleſiæ tantus amator extitit, vt titulum priorem Tullenſis Epiſcopi relinquere non voluerit. Patrimonium ſuum impendit in erectionem Monaſterij S. Crucis, illudque ampliſſimis redditibus locupletauit.

Rebus Eccleſiæ in Italia compoſitis, venit in Germaniam, habitiſque ibidem Concilijs pluribus quoad mores eandem reformauit. Cum ex Gallijs in Italiam ſe conferret, ex Lotharingia ſecum duxit Humbertum Virum omni virtute & doctrina excellentiſſimum, eumque ad prædicandum Siculis Verbum Dei Archiepiſcopum ordinauit, ex quo poſtea S. R. E. factus eſt Cardinalis. Donatione Abbatis monaſterij S. Remigij in Gallia ſuſceperat ligneum ſcyphum benedictionis cauſa oblatum, quem pro amore tanti Pontificis valdè obſeruabat, qui cum de manu ferentis miniſtri caſu decidiſſet, & fractus fuiſſet, valdè contriſtatus eam ob rem Pontifex, iuſſit ſibi fragmenta adferri, præmiſſaque oratione altera pars alteri adiuncta fuit. Presbyterum quendam, qui per Cancellarium ſedis Apoſtolicæ data pecunia corruptum literas abſolutionis furtim obtinere ſtuduerat, redditis illi cum imprecatione Apoſtolica muneribus dementauit. Quamdiu Romæ remoratus eſt, inquit Leo Oſtienſis, omni tempore tribus per hebdomadam diebus à Lateranenſi Eccleſia vſque ad S. Petrum priuato habitu, nudiſque pedibus cum duobus aut tribus clericis noctu pſallendo & orando pergebat. Decimam partem, quam prædeceſſores in ſuum vſum conuertere conſueuerant, ipſe vtilitati baſilicæ Principis Apoſtolorum ceſſit.

Leonis Papæ IX miracula deſcribit Leo Oſtienſis, & Deſiderius Abbas Caſſinenſis, qui fuit poſtea Romanus Pontifex, Victor Tertius nuncupatus.

Suenonem Danorum Regem cognomento Magnum trium Regnorum Dominum, coegit dimittere vxorem quam duxerat conſobrinam. Ad componendas diſſenſiones inter Imperatorem & Andream Regem Hungariæ, Roma euocatus

Viuente B. Leone Cadulo Parmenſis Epiſc. facta coniuratione cū vicinis

tus venit in Germaniam, sed delusus à Rege Hungariæ nihil effecit. Aduersus Northmannos auxilium Imperatoris petijt & impetrauit. Cum Vormatiæ vnà cum Imperatore Natalem Redemptoris celebraret, postero die, propter inobedientem Diaconum, auctoritate Apostolica suspensum, ipsi cum Luitpoldo Moguntino orta fuit ita controuersia, quàm Abbas Vrspergensis refert; & de ea pro suo odio, quod schismaticus in Romanos Pontifices conceperat, malè iudicauit: cum Romanus Pontifex semper & vbique locorum sit Christi Vicarius, Petri successor, & omnibus quibuscumque Episcopis maior & eminentior. Eodem tempore in Germania existens, Abbatiam Fuldensem & Bambergam sedi Apostolicæ ante hac donatam, pro Beneuento, alijsue ciuitatibus & iuribus in Italia ab Imperatore acceptis permutauit. Cum Northmannis infelici prælio pugnauit: fugato enim toto exercitu Teutonicorum militum, alii cæsi, alii capti fuerunt: imò ipse Pontifex in Northmannorum manus ac potestatem venit, non sine vincentium Northmannorum dolore & pœnitentia. Vnde factum quod eidem, quanquam victus esset, ob reuerentiam Apostolici culminis, in omnibus tanquam victori morem gererent, ipsumque cum suis omnibus, prout petierat, relaxarent, & honorificè in locum quem vellet tutum deducerent.

circa Vrbem manētibus cum Pontifex in Germaniam abiisset, tentabat sedem Apostolicam inuadere, sed à militibus, qui Romanam Ecclesiam defendebāt, cum prælium commisisset, iusto Dei iudicio confossus interiit.

Petrus Patriarcha Antiochenus sapiens quæ sunt Catholicæ fidei, simul ac creatus est Patriarcha, more maiorum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ communionem per epistolam, vna cum fidei professione ad Leonem missam expetiuit, & vt ex reddita Leonis epistola constat, impetrauit. Post acceptam & refutatam impiam Michaelis Constantinopolitani Patriarchæ epistolam, pro pace inter Latinos & Græcos conciliando, & pro bello aduersus Northmannos conficiendo legationem misit ad Constantinum Imperatorem Monomachum. Fungebantur legatione Humbertus Episcopus Siluæcandidæ, & Petrus Episcopus Amalphitanus, & Fridericus Archidiaconus Cancellarius. Qui antequam à legatione reuerterentur, Pontifex Beneuenti infirmatus, comitatu Gaufridi Northmanni olim hostis sui Romam delatus, sanctè & pie obdormiuit in Domino 14. Kal. Maij postquam sedisset annos 5. menses 2. & dies 8. Sepultus in basilica S. Petri, iuxta sepulchrum S. Gregorij, miraculis claruit. Cessauit Episcopatus Menses 11. & dies 24.

Epistolas diuersas scripsit in negotijs Ecclesiæ, quas Vulgo Decretales appellamus, & Primam, ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham, aduersus eius, & Leonis Acridani Episcopi, inauditas præsumptiones & nimias vanitates.

II. Ad Episcopos Venetiæ & Istriæ, quibus præcipit, vt Patriarchæ Gradensi, cuius primatum ab Apostolica Sede concessum, in Synodo confirmarat, obedientiam perhibeant.

III. Ad Thomam Episcopum Africanum. Ostendit Carthaginensem Archiepiscopum totius Africæ esse Primatem: Gummitanum verò Episcopum sine illius consensu nec Episcopos consecrare, nec prouinciale Concilium conuocare posse. Solius autem Romani Pontificis esse & Episcopos deponere, & generalia Concilia indicere.

IV. Ad Petrum & Ioannem Episcopos, eiusdem argumenti. Addit præterea nonnulla de Episcoporum & Archiepiscoporum institutione.

V. Ad Petrum Episcopum. Gratulatur de eius erga sedem Apostolicam obseruantia: confirmat eius ordinationem, si secundum Canones fuerit promotus. Hortatur vt suæ Ecclesiæ dignitatem tueatur. Probat fidem ad se ab eo scriptam, eandem esse, quam tenet Romana Ecclesia, cuius fidei summa capita ad eum mittit.

VI. Ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham. Gratulatur ei, quod Græcos Latinis conciliare studeret, arguit eum, tùm quòd Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum suæ potestati subijcere conaretur, tum quòd Vniuersalis Patriarchæ nomen sibi vsurparet, & Romanam Ecclesiam, quæ in

azymis sanctum Eucharistiæ sacrum conficiat, damnaret. Probat Christum in azymo consecrasse.

VII. Ad Constantinum Monomachum Imperatorem. Laudat eum, quòd pacem inter Latinos & Græcos conciliare studeat. Hortatur vt Romanam Ecclesiam defendat. De arrogantia Michaelis Constantinopolitani Patriarchæ conqueritur. Legatosque commendat.

VIII. Ad Petrum Damiani Eremitam, qua viri sancti zelonem laudat, & incontinentiam clericorum detestatur, & puniendam rescribit.

Ex Codice Rhemen. Baron. in Append. Tom. vndecimi.

IX. Ad Francos, de rebus in Concilio Rhemensi gestis.

X. Ad Auximanos, qua post obitum Episcopi expilatores domorum Episcopalium redarguit.

XI. Ad Ioannem Archiepisc. Salernitanum, qua iura Metropolitanatus eiusdem Ecclesiæ confirmat.

Præterea Diploma de concessa Ecclesiæ Vaticanæ decima oblationum.

Ex Archiuo Vatic. basilicæ Baron. an. 1049.

Diploma de corpore S. Dionysij Areopagitæ, vt omnes sciant eius ossa in Vrbe Ratisponensium apud Ecclesiam B. Emmeranni Martyris asseruari, per Arnulphum Imper. ex Francia translata.

Primum Concilium sub Leone VIII. Romanum.

Anno Dom. 1049.

Contra Simoniacos celebratum, in hebdomada post Albas. Decretumque illud quod contra Simoniacos in Concilio Romano sub Clemente II. constitutum fuerat, in hac Synodo per Leonem Pontificem confirmatum est. *Vide Petr. Damian. Epist. Ad Henric. Rauennat. Antist.*

Secundum Concilium Rhemense.

Anno Dom. 1049 5. Nou. Octob. Tum temporis Papa Eccl. S. Rhemigij consecrauit, & corpus eius in eam Ecclesiam transtulit.

Pro disciplina & moribus Ecclesiæ reformandis celebratum, in præsentia ipsius Leonis Papæ. In Ecclesia Rhemensi huius Synodus Acta asseruantur. Itinerarium autem Papæ scripsit Anselmus monachus Rhemensis. *Vide Baron. in Appendice Tomi 2.*

Tertium Concilium Moguntinum.

Anno Dom. 1049.

Episcoporum 142. contra Simoniæ aliaque vitia Cleri celebratum, præsidente Domno Apostolico, & Imperatore Henrico II. vbi quoque nefanda sacerdotum coniugia punita & condemnata sunt.

Quartum Concilium Romanum II.

Anno Dom. 1050.

Quo damnato Berengario, Lanfrancus est absolutus, qui statim Commentarium contra hæresim Berengarij edidit, eo quod fidei contraria de Eucharistia sentiret. In eadem Synodo Pontifex decreuit pallium Dominico Patriarchæ Veneto, eidemque priuilegium concessit, vt Crucem ante se præferret. Patriarchalemque sedem approbauit, & Episcopis Venetiæ prouinciæ & Istriæ scripsit, vt huic tanquam Primati suo obedirent, eumque reuererentur. (Quæ omnia renouata postea & confirmata sunt ab Alexandro II. in Concil. Mantuano) Sicque plenè translatus fuit Patriarchatus Gradensis in Venetum, qui hactenus titulo sedis Gradensis potitus erat.

N. B.

Quintum Concilium Vercellense.

Anno Dom. 1050. mense Septemb.

Contra Berengarium, & pro Lanfranco celebratum, eodem Pontifice Leone præsidente. Vbi Ioannis Scoti liber de Eucharistia lectus est ac damnatus & duo Clerici legati Berengarij, qui errorem sui principalis defendentes, cum in probationibus defecissent, capti sunt & condemnati.

Sextum Concilium Coyacense.

Anno Dom. 1050.

Pro reformandis moribus Ecclesiæ Hispanorum, in Diœcesi Ouetensi celebratum sub Ferdinando Rege primo Castellæ, qui cognominatus est Magnus, vbi 13. Canones conscripti sunt, vt patet ex Codice Cordubensi.

Septimum Concilium Romanum III.

Anno Dom. 1051.

In causa Gregorii Vercellensis Episcopi, de adulterio accusati, eorumque qui à Simoniacis ordinati fuerant, congregatum. Vbi quoque Leo Papa scripsit Decretum de continentia Clericorum, quod Constitutum vocabant,

Octauum Concilium Romanum IV. *Anno Dom. 1053.*
De canonizatione S. Gerardi Leucorum Episcopi: & de limitibus Diœceseos inter Aquileiensem & Foroiuliensem Episcopos controuersis, celebratum: statumque vt Aquileia totius Venetiæ & Istriæ metropolis esset.

VICTOR II.

Cui nomen Gebehardus erat, Ecclesiæq; Aistettensi magna cum vtilitate præsidebat, iussu Cleri Romani per Hildebrandum Ecclesiæ Romanæ Subdiaconum ab Imperatore postulatus, Romam adducitur, & consensu vniuersi Cleri ac populi Pontifex eligitur, & in die cœnæ Domini solemniter consecratur. Ab Imperatore eum sibi præsentari postularunt, inquit Leo Ostiensis, quoniam in Ecclesia Romana persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat.

Anno Dom. 1055. 13. Aprilis Henrici II. Imp. 9. Constantini Monomachi 12. Qui sub id tempus fere quo victor Papa electus fuit ex hac vita migrauit, habenas verò Imperii moderãdas suscepit Theodora Porphyrogenita filia Constantini X. Imp. soror Zoes Augustæ quæ initio Imperii sui statim animaduertit in aliquos Imperii culmen arripere satagentes.

Ad corrigendos prauos vsus Ecclesiæ Gallicanæ, causasque quorundam Episcoporum cognoscendas Hildebrandum Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum Cardinalem, qui postea factus est Pontifex nomine Greg. VII. Legatum à latere in Gallias ablegauit, qui Lugduni indicto Concilio Episcopum de Simonia accusatum miraculosè ad propriam delicti confessionem adegit, dum iussus recitare Hymnum glorificationis in eo, in Spiritum sanctum nequaquam pronunciare potuisset.

Anno Pontificatus sui primo passus est horrendam proditionem, cum ad eius interitum Subdiaconus quidam venenum (dictu pauendum) in sacrum calicem immisit. Quem cum Pontifex post consecrationem leuare vellet, nec posset, à Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur, statimque toxicator à dæmone arripitur. Ita igitur causa manifestata, Dominus Papa calicem cum sanguine Dominico cuidam altari iussit includi, & pro reliquijs in perpetuum conseruari. Deinde iterum cum populo tamdiu ad orationem prosternitur, quousque Subdiaconus à demonio liberaretur.

Ab Henrico Imperatore Roma euocatus in Germaniam veniens anno Pontificatus sui secundo Christi Redemptoris 1056. inuenit eum graui morbo laborantem, & iam animam agentem. Accidit illud sine dubio singulari Dei gratia, nam paulò postquam coram Pontifice peccatorum confessionem egisset, ablata restituisset, ab astantibus veniam petiuisset, filiumque Henricum adhuc quinquennem ab Electoribus tunc præsentibus Regem constitutum, Romanæque Ecclesiæ commendatum Victori Pontifici obtulisset, magno Dei beneficio per eundem animam suam Deo obtulit, cum annis 18. in Imperio regnasset. Agnes Augusta mater puerum quidem religiosè educare cœpit; sed cum ex ephœbis excessisset, abstractus à matre factus est hostis Romanæ Ecclesiæ, cuius beneficio per Victorem Romanum, Regnum Germaniæ consecutus fuerat.

Anno sequente ex Germania in Vrbem reuersus excommunicauit Trasimundum Comitem Theatinum, qui legatos Constantinopoli redeuntes spoliauerat. Huius temporibus magno totius Germanorum Ecclesiæ beneficio, Sanctus Anno in Cathedra Coloniensi collocatur Archiepiscopus, qui Henrico Imperatori, à quo grauiter exagitabatur, propterea quod libere eum reprehenderet, futurum obitum prædixit.

Defunctus est Victor Papa Florentiæ, Anno Christi 1057. die 28. Iulij, cum sedisset annos duos, dies 15. supra duos menses, sepultusque est loco eodem, quo obierat. Cessauit Episcopatus à 28. Iulij ad 2. Augusti, per dies quinque.

Primum Concilium sub Victore II. Florentinum.

Contra alienatores rerum Ecclesiasticarum celebratum, in præsentia ipsius Victoris Papæ, & Henrici Imperatoris. Vbi & Berengarius condemnatus est. *Anno Dom. 1055.*

Secundum Concilium Lugdunense.

Quo Episcopus quidam per Hildebrandum Sedis Apostolicæ Legatum miraculosè de crimine Simoniæ conuincitur, cum dicens, *Gloria Patri, & Filio,* nul- *Anno Dom. 1055.*

nullatenus & *Spiritui sancto*, proferre potuisset. Postquam verò à sacerdotali & Episcopali officio est depositus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, libera & clara voce decantauit. Quod factum Simoniacos in tantum perterruit, quod præter alios Prælatos Ecclesiarum, 27. Episcopi, quadraginta quinque Simoniacos se esse confessi sunt, & suis honoribus absque vlla alia accusatione renuntiauerunt.

Simoniaci isti fere omnes facti fuere Monachi Cluniacenses.

Tertium Concilium Turonense.

Anno dom: 1055.

Per Hildebrandum Legatum Apostolicum à latere indictum, quo Berengarius abiurata hæresi fidem Catholicam est professus. *Guitmundus Auersanus Archiep. lib. 3. de Sacram.*

Quartum Concilium Coloniense.

Anno Dom. 1056.

Quo auctoritate Victoris Papæ Balduinus & Godefridus Comites Flandriæ hostes Imperiales Henrico Regi quinquennali, mediante Papa Victore conciliati fuerunt.

Quintum Concilium Tolosanum.

Anno Dom: 1056. Idib. Septem.

Episcoporum 18. contra Simoniam, aliaue Cleri & populi vitia celebratum, præsidentibus vicarij Papæ eo directis Rambaldo Arelatensi & Pontio Aquensi Archiepiscopis. Qui multa vtilia Ecclesiæ Dei, secundum priscorum scita Canonum constituerunt.

Sextum Concilium Compostellanum.

Anno Dom. 1056.

A Cresconio Compostellano Archiepiscopo ad disciplinam Ecclesiasticam restaurandam celebratum. Vbi inter reliqua statutum fuerat, vt Sacerdotes omnes & Episcopi Missam quotidie celebrarent; & tempore ieiunij & litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur, omnes Clerici cilicio induerentur. *Baron. anno 1056. nu. 1.*

Anno Dom. 1057. 12. Augusti Regnante Henrico 3. quinquennali in Germania & Imperio Occidētali vacante. In Oriente verò Imperante Michale VI. an. 1. nam Theodora Augusta ex hac vita migrauerat cum imperasset annum vnum & menses nouem.

STEPHANVS X.

(Qui perperam IX. appellatur) āte Fredericus vocatus, ex Abbate Cassinensi, & Cardinale presbytero communi totius Cleri consensu Pontifex factus. Hic habitis in vrbe plurimis Concilijs contra concubinatum, aliaue plurima vitia Cleri mores Ecclesiæ reformauit. Petrum Damiani ab eremo abstractum creauit Episcopum Cardinalem Ostiensem. Ad Ecclesiam Constantinopolitanam schismate diuisam Catholicæ & Apostolicæ communioni consociandam, legationem misit in Orientem, qua fungebantur Stephanus Cardinalis, Mainardus Syluæ Candidæ Episcopus, & Desiderius Abbas Cassinensis designatus; dato illis rerum agendarum commonitorio præcepit, vt quamprimum possent reditum pararent. De futuri Pontificis electione, congregatis intra Ecclesiam Episcopis & Clero, populoque Romano, sub districta nimis inhibitione, decretum edidit vt si, antequam Hildebrandus Romanæ tunc Ecclesiæ Subdiaconus ab Imperatrice, ad quam pro quibusdam Reipub. negotijs communi consilio mittebatur, rediret, se mori contingeret, nullus omnino Papam eligere auderet, sed vsque ad illius reditum Sedes Apostolica intacta vacaret, eius demum ordinanda consilio.

Ad inuisendum S. Ioannem Gualbertum fama sanctitatis celeberrimum Florentiam profectus incidit in morbum, & paucis diebus postquam ægrotasset obijt 4. Kal. April. anno 1058. Interea Gregorius Lateranensis & Tusculanensis Comes, comperto Romani Pontificis obitu, sociato sibi Galesense & Romanis potentibus aliquot, noctu cum armatorum turbis Ecclesiam vna peruadunt, & Ioannem Velitrensem Episcopum, Mincium postea cognominatum Papam cōstituunt, Benedicti illi imposito nomine. Quod cum Petrus Damianus vir valde religiosus, quem eo tempore Stephanus Papa ab eremo extractum in Ostiensi Ecclesia Episcopum fecerat, comperisset, vna cum Cardinalibus resistere ac reclamare cœpit, atque anathematizare. Qui tamen omnes ab armatis disiecti, timore perculsi per varia loca fugere.

Epistola Stephani Papæ X. ad Vilhelmum Archiepiscopum Rhemensem, qua illum

illum pro religione fortiter & fideliter agere monet, auxiliumque Sedis Apo-licæ ei non defuturum pollicetur, ex bibliotheca Papirij Massoni cum alijs epi-polis Nicolai II. & Alexandri II. prodijt in lucem.

Anno Dom. 1058 3. Ianuar.

Vacãte Imperio Occidentali anno 2. In Oriente verò Isaaci Comneni anno 1. qui fulmine percussus & equo deiectus, humi spumas ex ore edens vti epilopticus deuoluebatur. In paruum autem manigium impositus ad Regiam delatus incolumis, sed consternatus mortem expectabat Quare placando maiestatem diuinam, Imperatoriam potestatem quam sibi iniuria vindicauerat, libens deposuit successore delecto Cõstantino Duca. ipse verò monasticum sumens habitum, in monasterio Studii monachis seruiens, reliquum vitæ tempus absolnit, cum annos duos et menses tres imperasset.

NICOLAVS II.

Cui nomen erat Gerardus patria Sabaudus, ex Florentino Episcopo per Cardinales ab Vrbe fugatos legitimè electus est Pontifex Romanus. Antequam verò consecraretur & Romam mitteretur, hoc consilio Hildebrandi prudenter egerunt, vt ad expellendum & facilius eijciendum è Sede schismaticum Benedictum legatione ad Imperatricem missa approbatio Henrici Regis postularetur, ne fortasse hac re intermissa Rex sibi iniuriam illatam existimans schismaticis adhæreret, & intrusum defendens periculum schismatis augeret. Placuit consilium, petita & obtenta est approbatio electi; simulque Godefrido Tusciæ Marchioni demandatum, vt electum in vrbem introducat, & inuasorem Benedictum inde eijciat. Quod cum teste Leone Ostiensi, mense Ianuario anni 1059. effectum fuisset, consecratus & Nicolai secundi nomine appellatus, inuasorem Sedis cum suis fautoribus omnibus excommunicauit. Tandem interuentu quorundam admissus ad communionem apud Ecclesiam S.Mariæ, quę Maior à Romanis dicitur, sacerdotali officio priuatum manere iussit. Berengarium secundo relapsum & periurum tertio ad palinodiam, pœnitentiam, & fidei orthodoxæ professionem emittendam suscepit. Constitutionem de electione Romani Pontificis edidit. Ad Mediolanensem Ecclesiam à labe Simoniæ expurgandam Petrum Damiani & Anselmum Lucensem, in Romano Pontificatu successorem ablegauit.

In Apuliam profectus Northmannos ab excommunicatione absoluit, eosque exacto iuramento fidelitatis Romanæ Ecclesiæ deuinxit, vt ea horum præsidio fulta & munita, tyrannidem & rapinam omnem à Sede Apostolica profugaret. Mortuus est Pontifex optimus in fine mensis Iulij, Anno Christi 1060. cum sedisset annos duos & sex menses. Vacauit Episcopatus mensibus ferè tribus.

Hoc Põtifice Petrus Damianus abdicato Episcopatu Ostiẽsi iterum ad monasticam vitam redijt

Epistolas scripsit ad diuersos, diuersis de rebus, sed decretales has tantummodo quinque.

I. Ad Geruasium Archiepiscopum Rhemensem, vt Henricum Francorum Regem od quædam perperam facta corripiat.

II. Ad eundem Archiep. vt Belluacensem Episcopum Simoniacè promotum, cum Syluanectensi eiusdem criminis conscio ab officio suspendat.

III. Ad eundem, vt ob damna personis & rebus Virdunensis Ecclesiæ illata, eidem debite satisfaciat.

IV. Ad eundem, vt cum Duce N. pacem ineat.

V. Ad Eduardum Anglorum Regem, de confirmatione priuilegiorum Monasterij quod in honorem S. Petri Apostoli Rex ipse fundauerat.

Demum scripsit Priuilegium monasterio Sanctæ Fœlicitatis Florentiæ concessum anno primo Pontificatus sui.

Concilium Primum sub Nicolao Papa II. Sutrinum.

Quo Benedictus Pseudopapa, & schismaticus, cognomento Mincius, depositus, omnique sacerdotali officio priuatus est. *Anno Dom. 1059*

Secundum Concilium Romanum.

Episcoporum 113. quo Berengarius hæresi sua tertium abiurata, fidem Catholicam tertio professus est. Et de electione Romani Pontificis constitutio edita fuit; scilicet, vt electio Papæ in potestate Cardinalium Episcoporum sit. Et hunc Imperator fauore suo approbaret. *Anno Dom. 1059.*

Tertium Concilium Malphiæ.

In Apulia celebratum, in quo Nicolaus Papa Tranensem Episcopum Cardinalem throno suo deposuit, & iuramentum fidelitatis, cum solutione annui Canonis à Northmannis exegit. *Anno Dom 1059.*

Quartum Concilium Parisiense.

Anno Dom. 1059. 4. Kal. Iunii.

Episcoporum 22. quo Philippus Henrici Regis Francorum filius titulo Regio condecoratur, & solenni ritu coronatur, in die Pentecostes, dum adhuc septennis esset.

Quintum Concilium Iaccitanum in Hispania celebratum.

Anno Dom. 1060.

Præsidente Austindo Archiepiscopo Auxitano; quo congressu sacri ritus, qui temporum iniuria vel deprauati vel aboliti erant, iterum sunt restituti, disciplina Ecclesiastica resarcita, moresque ad normam sacrorum Canonum reuocati. Et vt is qui Oscæ erat Episcopatus, in Iaccam transferretur.

Papa 155. Anno Dom. 1061. 30. Septemb. Vacante Imperio Occidentali ann. 5. in Oriente verò Constantini Duca an. 2 cuius Imperiũ cum ab vna parte Turcæ fatigarent, & ab alia Vzorum gens sexcentis millibus Istro transmisso inuaderet Imperator desperatis rebus, indixisse ieiunium fertur, & sibi & populo frequentes supplicationes adhibuisse: ipse pedes cum lachrymis incedẽs et contrito corde. Qua die conspecta est ab Vzis in tabernaculis commorantibus militum multitudo in acie dimicare, et cum summa festinatione crebra contra ipsos tela iacere, ita vt ex ipsis nemo illesus remanserit, quin vulnus acceperit Atque ita pugnante pro Imperatore Deo ipso, nunciatum est ei gentẽ Vsorum peste et fame consumptam, reliquias cum Ducibus transmisso Istro ad propria remeasse. Et Imperator pro Victoria gratias Deo et Genitrici eius persoluit.

ALEXANDER II.

Patria Mediolanensis, Episcopus Lucensis, antea Anselmus nuncupatus, post tres menses interregni, à Cardinalibus legitimo ritu Põtifex Romanus huius nominis secundus electus est, cùm Comites Tusculani & Galeriani, alijque Romani proceres, propter fœdus cum Northmannis initũ Cardinalibus infensi, habita pseudosynodo Basiliensi, Comitem quendam Galeriæ deputarunt, qui coronam auream, & insignem patritiatus honorem, ad Regem Henricum deferens, pro Romano Pontifice ex Longobardia eligendo solicitaret. Cardinales circumuentione eorum cognita, idem præstiterunt, & ad eundem Regem Stephanum Cardinalem presbyterum, quondam Cluniacẽsis cœnobij Monachum ablegarunt. Qui cum Regijs ministris obstantibus, contra ius gentium ad colloquium Regis non admitteretur, redijt ad suos, quidquid sibi aduenisset, coram omnibus exposuit. Facta relatione circa Kal. Octobr. Cardinales Pontificem elegerunt, non quem vellent, sed quem Regi gratum fore putabant, nimirum Anselmum patria Mediolanensem, Episcopum Lucensem, Regis familiarem, aulæque Regiæ, quasi alumnum & domesticum. Sed quid accidit. Audita electione Anselmi, quæ inscio & inconsulto Rege contigisset, conclamata est ab omnibus in aula Regis iniuria Regi illata. Hortatu ergo Guiberti Parmensis Cancellarij, duo Episcopi, publico concubinatu infamati, cum Gerardo illo Galeriæ Comite & sacrilego prædone, quem Nicolaus in Romano Concilio excommunicauerat, ipso festo Simonis & Iudæ conuenietes Cadaloum Parmensem Episcopum, iam antea excommunicatum elegerunt, nouumque schisma concitarunt. Petrus Damiani schismaticum per literas increpauit; sed tantum abest, vt homo pestilens literis Petri exterritus cessaret, vt etiam ipse turpissimus turpissimè viueret, alijsque turpiter viuentibus conniueret. Cumque ea re incontinentium Clericorum omnium animos sibi conciliaret, libidinique fræna laxaret, dicti sunt Cadaloitæ, qui antea Nicolaitæ dicebantur.

Alexander Hildebrandum statura quidem paruum, sed viribus ingenij, & gratia Spiritus S. admirabilem, ex Subdiacono creauit Cancellarium, cui vniuersæ Romanæ Ecclesiæ administratio ex officio committeretur. Cadalous corruptis auro Proceribus vrbis, Romam armata manu ingredi tentauit, sed repulsus magna sui confusione ad propria reuertit. Cumque hæc omnia fierent studio, instinctu, & opera istius Guiberti Principis, quem Imperatrix Cancellariũ fecerat, singulari Dei consilio accidit, vt S. Annoni Coloniensi Archiepiscopo (qui Henricum Regem puerum, iam annorum decem, à matre Agnete Imperatrice subduxerat, blanditijsque delinitum, cæterorumque Germaniæ Principum obsequio frequentatum & cultum, educandum retinuerat.) Regis custodia & Regni administratio, habitis desuper Comitijs demandaretur. Hanc potestatem consecutus, ad res Ecclesiæ componendas, atque schisma nouum planè extirpandum, contulit se in Italiam, & Romam vsque peruenit. Inde in Germaniam reuersus, hortatu Petri Damiani, in præsentia Regis, Episcoporum Germaniæ & Italiæ Synodum conuocauit; qua post disputationem inter Romanæ Ecclesiæ defensorem, & Aduocatum Regium habitam, omnium acclamatione Cadalous Pseudopontifex est damnatus, Alexandri autem electio

com-

comprobata. Quod cum Patres Mantuani Concilij, cui Annò Coloniensis legatione Regis nomine functus interfuerat, sua sententia confirmassent, & schismaticus secundò vrbem infœliciter expugnare tentasset, tandem Pseudopontifex à schismate recedens, petita & obtenta venia ab Alexandro, paucis post diebus malam mortem incurrit, qui se Honorium Secundum noncupabat.

Augusta Agnes quæ nefariæ Cadaloi promotioni fauerat, pænitentiam actura Romam venit ad limina Apostolorum, seque non tantùm Imperio, verum etiam sæculari cura & honore totam abdicauit.

Alexander Pontifex Sedem Apostolicam quietè adeptus, legationem misit ad Eduardum Regem Angliæ pro Vulstano Vigorniensi Ecclesiæ Epis. eligendo. Petrum Damiani ablegauit in Gallias propter angustias, quibus Cluniacenses monachi affligebantur: eundem misit Florentiam ad schisma ibidem conflatum denuò componendum.

Hæresim Nicolaitarum, qui Clericorum incontinentium coniugia pertinaciter defendebant, per Damianum confutauit, & eradicauit. Incæstuosorum verò hæresim, quæ auctoritate Iustiniani Imperatoris asserebat, eadem ratione qua in successionibus numerandos esse gradus consanguinitatis, non tantùm per epistolam Petri Damiani, verùm etiam in duobus pluribusque Romæ habitis Concilijs impugnauit. Contra nouos hæreticos hoc tempore emergentes, qui docebant Episcopatus à Principibus laicis absque crimine Simoniæ licitè emi posse, decretum edidit, quo omnis beneficii Ecclesiastici venditionem & emptionem interdixit.

Per Godefridum Tusciæ Marchionem Romanam Ecclesiam liberauit à Northmannis, cùm iam Richardus Northmannorum Princeps Aquinum vsque victor peruenisset, vrbem proximè inuasurus, vt à Pontifice Imperatoris insignia consequi posset. Ad Guilhelmum Comitem Northmanniæ, quem Eduardus Virgo, Virginem habens vxorem Editham, nulla prole relicta successorem Regni constituerat, misit vexillum, vt Haroldum tyrannum Angliæ Regnum occupantem post obitum S. Eduardi Regis expelleret, atque vt legitimus successor eodem Regno potiretur. Pro componendis seditionibus per Simoniacos & fornicarios clericos exortis, legationem misit ad Mediolanenses. Decreta auctoritate Apostolica ipsis præscripta *infra subiunguntur. A Guilhelmo Comite Burgundiæ & compluribus Francorum nobilibus pro defendenda Romana Ecclesia quoties opus erat, iuratam promissionem. Vsum* mitræ laicis hactenus inconcessum, Vratislao Duci Bohemorum concessit. Henricum Regem qui iuuenili furore Bertam coniugem repudiare parabat, per Petrum Damiani Apostolica legatione à proposito reuocauit. Argentinensem Episcopum Guarnetum nomine, ob crimen Simoniæ Episcopatu priuauit. Cum Moguntino & Bambergensi de Simoniæ crimine accusatis S. Annonem ad se venientem, & pro reis Episcopis intercedentem honorificè excepit: brachio S. Cæsarij donauit; eiusque fauore citra munerum acceptionem, prædictos Episcopos absoluit. Per legatos à latere suo in Angliam missos in Concilio Vintoniensi, Stigandum Cantuariensis Ecclesiæ inuasorem deposuit, & Lanfranco eidem surrogato duplex pallium concessit. Petrum Anagninæ ciuitatis Episcopum ad Michaelem VII. Orientis Imperatorem Apocrisarium misit, Vnde eundem Imperatorem cum Romana Ecclesia communione coniunctum fuisse apertè colligitur. Basilicam S. Benedicti in monasterio Cassinensi ipse in præsentia omnium Cardinalium dedicauit. Henricum Regem quem propter Simoniacas Abbatiarum & Episcopatuum nundinationes, aliaque plura delicta Saxones & Principes Imperij apud Pontificem accusauerant, quemque S. Anno, abdicata hanc ob causam Regni cura & administratione, ab impietate & sacrilegijs apud eundem Pontificem graphicè descripserat, per literas Romam citauit, verùm morte præuentus causam Regis successori diiudicandam reliquit. Mortuus est Pontifex miraculosa dæmonis expulsione, & claudi hominis cura celeberrimus, Romæ 10. Kal. Maij, Anno Christi 1072. cum sedisset ann. 11. mensex 6. & dies 22.

Hic Papa constituit vt responsoria de eadē historia in eadē Dominica Septuag. incipiantur, quæ & in sequenti Dominica repetantur Alleluia etiam in Sabbato ad vesperam iussit dimitti ante septuagesimam.

Mortuo Alexandro II. Anno Christi 1072. mortus est et Petrus Damiani, qui multa post obitum miracula edidit. Vixit autem an. 66.

Epi-

Huic epistolæ adiungendæ sunt Constitutiones quas legati Sedis Apostolicæ Mediolanensibus obseruandas præscripserunt.

Hic Pontifex in sigillo suo hac vtebatur incircumcirca inscriptione. Exaltauit me Deus in virtute brachii sui.

Hæ quæ sequuntur Epistolæ, recenter ex Bibliotheca Papirij Massoni prodierunt.

Epistolarum illiùs, *Prima est* ad Mediolanenses, conterraneos suos, excitans eos ad virtutum exercitia.

II. Ad Haraldum Noruegiæ Regem, hortans eum ad obediendum Adalberto Hamburgensi Archiep.

III. Ad Suesonem Danorum Regem, qua exigit censum ab eo, quem maiores eius persoluere consueuerunt.

IV. Ad Petrum Dalmatiæ & Slauoniæ Archiepiscopum, qua misso illi pallio, eiusdem officio grauiter incumbere hortatur.

V. Epistola Synodica ad omnes episcopos de rebus in Concilio Romano gestis.

VI. Ad Vilhelmum Archiep. Rhemensem de Cadaloi pseudopontificis vinculis, & de Simoniacis extirpandis.

VII. Ad episcopos Daniæ, pro Synodo celebranda.

VIII. Ad Guilielmum Regem Anglorum, pro exactione denarij sancti Petri.

IX. Ad S. Annonem Archiep. Coloniensem, qua concedit illi priuilegium immunitatis pro monasterio Sigebergensi.

X. Ad Vilhelmum Regem Anglorum, qua ei Ecclesiasticarum personarum defensionem, fide illius collaudata, & Lanfranci causam commendat.

XI. Ad Landulfum in Corsica, qua respondet illi, quòd non aliter quam cum consensu vxoris suæ monasticam vitam ingredi, & votum continentiæ emittere possit.

XII. Ad Geruasium Rhemensem Archiepis. Compatitur afflicto statui Ecclesiæ Rhemensis, illatamque iniuriam legitimè vindicandam pollicetur.

XIII. Ad eundem, qua monet vt controuersiam quæ est inter Clericos citra affectum componat. Significat quoque Comitibus esse scriptum, vt Ecclesiæ læsæ satisfaciant, vel ad Synodum futuram Romæ compareant.

XIV. Iterum monet eundem, vt duorum Clericorum Rhemensium causam terminet.

XV. Eidem Blandinensis Cœnobij inuasorem Simoniacum debitis censuris Ecclesiasticis compesci mandat.

XVI. Ad eundem. Condolet necessitatibus Ecclesiæ Rhemensis, eisque auxilium pollicetur.

XVII. Ad eundem. Hortatur vt in causa Abbatissæ è Lundensi monasterio iniustè eiectæ cognoscenda, Elimando Laudunensi epis. iuxta tenorem com missionis Apostolicæ consilio assistat.

XVIII. Ad eundem. Prohibet ne consecret Iosselinum Suessionensem episcopum de Simonia conuictum. Belluacensem scandalum plebis corrigi, & Ambianensem ob iniuriam Corbeiensi Abbati illatam ad satisfactionem adigi præcipit.

XIX. Ad eundem. Cur monasterium Corbiense ab episcopo exemerit.

XX. Ad eundem. Priuilegia monasterio S. Dionysij à prædecessoribus cõtra Parisiensem Episcopum concessa confirmat.

XXI. Ad Archiepis. Galliæ. Mandat vt Petro Damiano Ostiensi epis. Legato Sedis Apostolicæ in omnibus fidem habeant, & debitè obediant.

XXII. Ad Geruasium Rhemensem Archiepis. eiusdemque Suffraganeos. Excommunicationis sententiam in Reginaldum monasterij S. Medardi inuasorem à Petro Damiano latam confirmat, eamque executioni mandari præcipit.

XXIII. Ad eundem. De amoto Carnotensis Ecclesiæ Simoniaco inuasore gratias agit. Aurelianensem eadem de causa amoueri petit.

XXIV. Ad eundẽ Rhemensem & Senonensem Archiepiscopos eorumq; suffraganeos, causam diuortij inter Comitem Ra. eiusque Vxorem, vtrique diiudicandam committit.

XXV. Ad eundem Rhemensem, vt corpus S. Mennij ab Ecclesia sua indebitè

bitè per Catalaunensium Episcopum translatum ad propriam Ecclesiam comminatione Ecclesiasticarum censurarum transferatur.

Primum Conciliabulum Basileense.

In causa electionis Pontificiæ celebratum tempore vacationis Sedis, auctore Guiberto Parmensi, vt aliunde non peteretur Papa nisi de paradiso Italiæ (ita Longobardiam nominabant) & talis persona, quæ infirmitatibus eorum (puta Simoniacorum & incontinentium) compateretur & condescenderet. *Anno Dom. 1061.*

Secundum Concilium Osboriense in Germania.

Auctoritate S. Annonis Coloniensis Archiepiscopi congregatum, quo in præsentia Regis post habitam disputationem Defensoris Romanæ Ecclesiæ cum Aduocato Regio, Cadalous pseudopapa omnium acclamatione est condemnatus, & Alexandri II. legitimè facta electio est confirmata. *Anno Dom. 1062. Ipso festo SS. Simonis et Iudæ.*

Tertium Concilium Aragonense in Hispania.

Apud S. Ioannem Rupensem sub Ramiro Rege celebratum; vt Arragonij episcopi sumerentur ex monasterio S. Ioannis, quod antea per Regem Sancium fuerat institutum. *Anno Dom. 1062. 7. Kal. Iulii.*

Quartum Concilium Romanum I.

Centum & amplius episcoporum, occasione Petri Florentini episcopi de hæresi & Simonia accusati, aduersus Simoniacos celebratum, præsidente ipso Alexandro Papa II. vbi multa quoque alia ad disciplinam Clericalem spectantia sunt constituta. *Anno Dom. 1063.*

Quintum Concilium Mantuanum.

Quo Cadalous pseudopapa iterum condemnatur, & Alexander à criminibus sibi obiectis expurgatur, defenditur, & absoluitur. *Anno Dom. 1064.*

Sextum Concilium Barcinonense Hispanicum.

In quo leges Gothicæ, quibus Catalauni vtebantur, planè sunt abrogatæ, in præsentia Hugonis Cardinalis Legati à latere. *Anno Dom. 1064.*

Septimum Concilium Romanum II.

Contra incestuosorum hæresim celebratum. Decretum vide apud Grat. 35. quæst. 4. ca. Ad Sedem Apostolicam &c. & apud Iuonem Carnutensem episcopum qui in fine sæculi huius claruit part. 9. ca. 6. quæst. 10. 37. *Anno Dom. 1065.*

Octauum Concilium Romanum III.

Quo ijdem incestuosi hæretici ab Alexandro Papa excommunicantur. Qui tamen nullo timore æternæ damnationis ab inuicem diuelli potuerunt, sed, vt narrat Petrus Damiani, legitimè copulati nonnulli, prætextu fictæ consanguinitatis, solutionem à nexu matrimonij procurabant, quos initi coniugij pœnitebat. *Anno Dom. 1065.* *lib. de cōtemptu sæculi.*

Nonum Concilium Vintoniense in Anglia.

Præsente Rege Vilhelmo celebratum, in quo per Legatum Sedis Apostolicæ à latere missum, Stigandus Cantuariensis Ecclesiæ inuasor depositus est. *Anno Dom. 1070. In octauis Paschæ.*

Decimum Concilium Moguntinum.

Auctoritate Sigfridi I. Archiepiscopi Moguntini indictum, in causa Henrici IV. Regis volentis Bertam vxorem, quam ante biennium duxerat, repudiare. Sed constat, ex Lamberto, post hæc Reginam conciliatam Regi, ex eodem suscepisse filium Henricum, qui ipsi successit in Regno. *Anno Dom. 1069.*

Vndecimum Concilium Moguntinum II.

In causa Caroli Constantiensis episcopi, quem Clerici eiusdem Ecclesiæ ob crimen Simoniæ & sacrilegij sede deponi vrgebant; (plerosque enim Ecclesiæ thesauros furtiue abstulerat) Deiectus igitur ad Magdeburgensem Diœcesim, cuius Ecclesiæ antea Canonicus fuerat, regressus 6. Kal. Ianuar. obijt. *Anno Dom. 1070. Kal. Augusti præsente Henrico Rege.*

Duodecimum Concilium Anglicanum.

In causa primatus Cantuariensis super Eboracensem, celebratum, in præsentia Regis Vilhelmi. Decretumque est pro Cantuariensi, quem Eboracensis vt primatem proprium consecrabit. *Anno Dom. 1072.*

Vlti-

Vlsimum Conciliabulum Erphordiense.

Anno Dom. 1073. 6. Idus Martij.

In causa Decimationum Turingæ, auctoritate Sigfridi Moguntini Archiepiscopi congregatum, qui stipatus grege Sophistarum cum Rege aduenerat, vt mediam decimarum partem Regi tribuendam persuaderet. Sed obstiterant minis Regijs & adulationi Arcgiepiscopi Abbates duo Fuldensis & Heruelbensis qui decimas & prædia sua in Turingia habebant. Quibus sub pœna capitis prohibitum fuit ad Sedem Apostolicam appellare.

Anno Dom. 1073. 20 Iunii. Pontifex num. 156. Imperio Occidentali iam 16. annum vacante. In Oriente Michaelis VII. anno 3. De hoc Pontifice scribitur, quod cum puer luderet ad pedes patris ligna dolantis, ex reiectaneis segmentis cum nesciret litteras, casu elementa illa formarit ex quibus simul coniũctis, illud Dauidicum exprimeretur oraculum: Dominabitur à mari vsque ad mare. Quo significaretur, manum pueri ductante Numine, eius fore amplissimam in mundo auctoritatem. Baron. Ann. 1073.

GREGORIVS VII.

Antea Hildebrandus appellatus, omnium Romanorum consensu Pontifex creatus. Hic patria Soanensis natus est in Tuscia humili loco, patre fabro: sub protectione S. Petri educatus. Adolescens nactus est magistrum Laurentium Amalphitanum Archiepiscopum, quem non maleficiorum, vt dicunt Nouatores, sed sanctorum principem eius temporis fuisse, testatur irrefragabilis testis Petrus Damiani. Præter Laurentium, habuit quoque magistrum Ioannem Gratianum Archipresbyterum, postea Papam Gregorium VI. nominatum, quem secutus est in Germaniam, cum se Pontificatu abdicasset, eaque occasione apud Cluniacenses permansit. Cum Leone IX. quem purpura Pontificali indutum, & de manu laicali munus Episcopale assumentem increpuit, profectus est Romam, suoque consilio Brunonem postea Leonem nominatum eligi præcepit. Factus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus Cardinalis, (hoc enim tempore maxime nomen Cardinalium inualuit) post obitum prædicti Leonis ablegatus est à Clero Romano ad Imperatorem; petens ab eo, vt cum rebus Ecclesiæ perturbatis sibi id non licebat, Romanum Pontificem non suo, sed Cleri, nomine eligeret, electumque contra inuasores defenderet. A Victore quem eligi postulauerat, in Galliam ablegatus, Lugduni Simoniacum quendam Archiepiscopum ad confessionem criminis miraculosè adegit: qui cũ in hymno glorificationis, quam Hildebrandus eum recitare mandauerat, Spiritum sanctum efferre non potuisset, proprio ore confessus est se simoniæ crimine pollutum esse. Ibidem S. Hugoni monasterij Cluniacensis Abbati, Christum assidere, quidque agendum vel dicendum foret, eidem suggerere vidit. Berengarium Andegauensis Ecclesiæ Archidiaconum in Concilio Turonensi ad hæreseos suæ iteratam abiurationem & Catholicæ fidei professionem adegit: tantum abest, vt quod calumniatur Benno, Berengarianam hæresim defenderit aut sectatus fuerit. Cumque post obitum Stephani X, Benedictus eius nominis X. pseudopapa schismaticus, Sedem Apostolicam inuasisset, missus est ad Agnetem Imperatricem petens ab ea, vt futuræ electioni Gerardi Florentini Episcopi, qui appellatus est Nicolaus II. consentire non grauaretur. Quod cum fœliciter impetrasset, opera Godefredi Ducis schismaticum expulit, & legitimum Pontificem in possessionem quietam introduxit. Eiusdem consilio optimo, post obitum Nicolai electus est Alexander II. expulsusque est Cadalous Parmensis Episcopus & Pseudopontifex, quem Regij ministri & fautores aduersus Alexandrum in thronum Apostolicum euexerant. Et quanquam statura pusillus esset, tamen gratia miraculorum & prophetiæ erat omnibus admirabilis. Nam ad miraculum supra recensitum hoc addidit longe mirabilius, quod cum ab Hugone Cluniacensis monasterij Abbate longius abesset, cognouerit cogitationes mentis illius quibus intra se sibi loquens dicebat, *Homuncionem exilis staturæ, despicabilis parentelæ tumere & metiri altiora, quod tot mundanæ potestates nutum illius præstolarentur.* Cum eodem Abbate orans Christum sibi astantem, Angelumq; vibrantem gladium vidit, & futuram mortalitatem prædixit. Petro Damiani, qui per somnium oculorum lumen sibi amisisse visus erat, somnium eiusdem exponens dixisse scribitur. *Nequaquam vt times propinquæ est indicium mortis, sed familiaris tibi aliquis extinguetur*, qui tibi charus sit sicut oculus. Verè sibi illud per obitum Dominici Loricati contigisse fatetur Petrus Damiani in epistola ad Alexandrum Papam. S. Annonem Coloniensem Archiepiscopum, de iure Re-

gio

gio in electione Romani Pontificis violato conquerentem ita informauit, vt in Synodo Mantuana desuper celebrata ipse concesserit atque definierit, Alexandri iustam, Cadaloi iniustam & illegitimam electionem fuisse. His de causis Alexandri Pontificis totiusque Cleri Romani iudicio dignus est habitus, qui dum viueret Alexander, Cancellarius Romanæ Ecclesiæ constitueretur, eique defuncto in sede Pontificia surrogaretur.

Eodem die, quo Alexander obierat, nimirum 10. Kal. Maij omnium Cardinalium consensu & subscriptione, totiusque populi & Cleri approbatione in Pontificem electus est inuitus, cum præconio virtutum earum, quæ in decreto electionis initio Epist. Greg. collocato recensentur. Ob amorem & cultum erga suum educatorem gratitudinis ergo voluit nominari Gregorius, & ad confirmandam illius legittimam sedem, atque ad redarguendam nonnullorum sententiam de spurio eiusdem Pontificatu, vt supra dixi in Gregorio VI. voluit dici septimus, vt scilicet sextum intermedium verum & legitimum Sedis Apostolicæ pastorem fuisse indicaret. Hunc Lambertus Schaffnaburgensis nominat, *Virum sacris literis eruditissimum, & iu tota Ecclesia, tempore quoque priorum Pontificum virtutum genere celeberrimum*. Marianus Scotus his diebus in Germania scribens, eundem *Gregorium venerabilem* prædicat: atque ab eo statuta decreta recitat & laudat. Sigebertus etsi Henricianas partes contra Romanos Pontifices fouerit, Gregorijque nimiam seueritatem incusarit, tamen vnquam ausus est dicere, illegitimum fuisse creatum Pontificem. Otto Frisingensis Episcopus, eruditissimus scriptor, hæc de Gregorio VII. *Forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstrauit, ac fortis per omnia atheleta se pro muro domui Israel ponere non timuit*. Vnus Vrspergensis Abbas, idemque schismaticorum patronus, Bennoni schismatico Cardinali inhærens, eius scriptorum quædam capita recitat, non tamen vt ille spuriam omnino fuisse electionem Gregorij ausus est affirmare; sed ista tantum. *Cum absque Regis consensu solis tantum Romanis fauentibus hunc apicem conscendisset; sunt qui illum non Canonicè constitutum, sed tyrannicè Papatum sibimet asseuerent, vsurpasse, pro qua re, & à nonnullis Episcopis abdicatus est*. Sed quam ista de non adhibito consensu Regis Henrici falsa sint, patet ex actis vitæ huius Grægorij, in quibus refertur, quod cum ille ad Regẽ scripsisset, ne vigore concessi priuilegij factæ electioni assensum præberet, Rex non modo non dissenserit, sed missa legatione, factam electionem confirmarit, eiusque consecrationi per legatum interfuerit. Idem affirmat Lambertus Schafnaburgensis loco supra allegato; de quo videndus est Bellarminus in controuersia de Rom. Pont. lib. 4. cap. 13.

Tempore Pontificatus præter illam vigilantiam, quam omnibus prope Regibus & Episcopis totius Orbis diligenter custodiendis impendit, post primam illam legationem ad Henricum Regem destinatam, Hugonem Candidum Cardinalem in Hispaniam ablegauit, vt recuperatis à Mauris Hispaniæ ciuitatibus, iura, tributum & censum Sedi Apostolicæ dari solita exigeret. Cumque Michael Constantinopolitanus Imperator per literas Gregorio de suscepto Pontificatu gratulatus esset, ea occasione captata Dominicum Patriarcham Venetum causa componendi schismatis ad eum ablegauit. Quartam legationem misit ad Vratislaum Ducem Bohemiæ, vt post vsum mitræ, concessione Alexandri Papæ acceptum, se voto nuncupato Deo quod pollicitus fuerat, onere exolueret, & censum pro Ducatu Bohemiæ solueret. Anselmum Episcopum electum monet, ne à Rege Henrico inuestituram accipiat, antequam Rex Romanæ Ecclesiæ de communione cum excommunicatis habita satisfecerit. Saxones in Regem ob nefanda eius crimina concitatos, aliumque Regem eligere conatos, scripto suo cohibuit. Quintam legationem misit in Germaniam, ad Ecclesias eiusdem Germaniæ & Galliæ à labe Simoniæ expurgandas. Rex ob crimen allegatum debita pœnitentia peracta, eosdem honorificè suscepit: ne verò Concilium in Germania ea de causa per legatos haberetur, persuasione Liemari Bremensis Archiepiscopi obstitit, quasi hac de causa non ab alijs. quàm à Bremensi, vel

Moguntino ſedis Apoſtolicæ Vicarijs Synodum congregari oporteret. Legati Romam reuerſi, rem geſtam Pontifici expoſuerunt. Liemarus ſecundo ad Sedem Apoſtolicam citatus, factus eſt inobediens, rebellis & ſchiſmaticus, reſiſtenſque iuſſibus Legatorum & ipſius Pontificis, Regem aduerſus Pontificem commouit. Sed accidit Dei ſingulari beneficio, vt cum aduerſus Romanam Eccleſiam Principes ſæculi, & potentiores Epiſcopi conſpirarent, pro defenſione eiuſdem Sedis, Agnetem Regis Henrici matrem, Beatricem, & Mathildem eius filiam, affines excitarit: vt magno Chriſtianæ religionis bono, non ſolum Sarracenos exercitu expugnaret, pecunia ab illis adiutus, ſed etiam Orientalē Eccleſiam, ſchiſmate ab Occidentali diuiſam vniret. Armenos à fide Catholica penitus aberrarentes ad rectæ fidei tramitem reſtitueret. Ab Henrico poſt Saxones ſubiugatos, poſtque eam Victoriam inſolentiore facto cœpit contemni, Guiberti antiqui ſchiſmatici, poſtea verò Rauennatis Epiſcopi dolo & fraude à Cincio Romano Præfecto inuaſus, captus, & in carcere detentus eſt, quouſque per populum tumultuantem, & tam immane ſcelus vlciſci paratum eriperetur, atque priſtinæ libertati reſtitueretur. Sed cum Romano populo vindice tantùm ſcelus irritum redditum eſſet, idem Guibertos accepta à Papa licentia Rauennam ſe contulit, ibique conſpirationem rebellium Epiſcoporum Longobardorum machinatus fuit. Henricus timore Saxonum ſolutus contempſit implere ea, quæ Apoſtolicæ Sedis legatis antè promiſerat, atque excommunicatos à Pontifice recepit & fouit. Quem contemptum cum Pontifex non diutius tolerandum eſſe putaſſet, eundem Regem ad dicendam cauſam per legatos Romam citauit ad Synodum proxima quadrageſima congregandam. Excepit ille legationem, ſed magna cum contumelia Pontificis eoſdem poſtea abiecit, indictoque Vormatienſi conuenticulo Pontificem abſentem de criminibus obiectis condemnatum, per ſententiam deponi, eamque ipſi inſinuari curauit. Legatis Romam reuerſis habita eſt poſtridie Synodus, in qua dum illi iniurias ſibi irrogatas retuliſſent, literæque à Rege miſſæ recitatæ fuiſſent, vna cum Rege Henrico Sigefridus Moguntiæ, Vilhelmus Traiectenſis, & Robertus Bambergenſis, Archiepiſcopi excommunicati fuerunt. Latam ſententiam Pontifex omnibus ſubditis à iuramento fidelitatis abſolutis intimauit, eamque Deus contra excommunicatos Henrici fautores Epiſcopos interuentu mortis peſſimæ executus fuit. Saxones à Rege defecerunt, & aduerſus eum formidando apparatu prælio inſurrexerunt. Similiter etiam Principes Germaniæ maiores, Epiſcopi, omneſque fideles, quos dum Pontifex rogatu Hermanni Metenſis Epiſcopi cōmonuiſſet, vt Regem ad pœnitentiam hortarentur, Triburiæ conuentum indixerunt, in quo dum de alio Rege Germaniæ eligendo ageretur, Henricus per legatos pacem rogauit, & emendationem morum promiſit: aliquoties repulſam paſſus, hac tandem lege receptus eſt, vt dimiſſis excommunicatis quos fouebat, Romano Pontifici ſe ſubmitteret, & à vinculo excommunicationis ſe abſolui procuraret. Paruit Rex, venienſque in Italiam à Pontifice abſolutionem obtinuit. Verum ſchiſmaticorum & concubinariorum Epiſcoporum inſtigatione accidit, vt vix in Germaniam reuerſus iterum in priſtina relaberetur. Nam cum Guiberto, alijſque quibuſdam rebellibus nouam coniurationem aduerſus Pōtificem fœdiſſimam contraxit. Quod dum Principes Germaniæ cognouiſſent, inconſulto Gregorio Rodulphum Sueuiæ Ducem in Regem elegerunt, ductumque Moguntiam à Sigefrido conſecrari curarunt. Re itaque bellica contra Rudolphum feliciter geſta elatior factus, Gregorium contemnere cœpit, quem ſibi ſuoque Regno timens hactenus ſe colere & obſequijs frequentare ſimulauit. Qua de cauſa iterum Romæ in Synodali conſenſu excommunicatus, regno quod Rudolpho collatum fuit, digne priuari promeruit. Ille verò habito cum ſchiſmaticis Conciliabulo Brixienſi, in abſentem depoſitionis ſententiam ferri, eiq; Guibertum ſchiſmatis auctorem ſæpè excommunicatum & depoſitum in Pontificatu ſurrogari mandauit. Cumque interea Rudolphus Rex obijſſet, eiuſque nece res Germaniæ in tutiore ſtatu collocatæ eſſent, in Italiam parauit aduentum,

Boleslao Regi ſucceſſerat Hermannus frater illius germanus, qui ad Pontificem Greg. VII. de tollendo Interdicto, quo Polonia vniuerſa ob necem viri Sancti obnoxia, ſacris ſe abſtinebat, oratorem miſit, virū eruditum et eloquentem, Lampertū Canonicum Cracouienſem, equeſtri familia ortū, quem Pontifex Diuo Stanislao ſucceſſorem dedit, et ſublato interdicto epiſcopum remiſit, qui corpus ſancti Martyris in Cathedralem Eccleſiam tranſtulit, decennio elapſo poſtquam occiſus fuiſſet, et honorificentiſſimo ſepulchro recondidit, eiuſmodi Epitaphio eidem inſcripto.

Tumba Stanislai cineres tegit iſta beati:
Regis Boleslai, quia non fauet impietati.
Martyrio meritas cæli migrauit ad ædes.
Felix cui deitas merces, cui ſidera Sedes.

tum, vt Gregorium Papam, quem sibi infensissimum putabat, è sede Petri deponeret, eiusque aduersarium Guibertum Antipapam in ea collocaret. Cumque vrbem Leoninam binis vicibus frustra tentatam & obsessam, post biennium suæ persecutionis expugnasset, Guibertum Rauennatem, aqud S. Petrum, per Murinensem & Ariminensem Episcopos, iam multis ante annis depositos & excommunicatos inthronizauit, eique Clementis III. nomen imposuit. Ipsam verò Romam eiusue ciues nonnisi post triennalem obsidionem auro tandem & pecunia expugnauit. Gregorius Papa cum paucis nobilibus in castellum S. Angeli se recepit. Interea coronam Imperij Clemens ei imposuit & Augustum appellauit. Cumque in Auentino monte se contineret, vrbisque obsidionem indefesso studio prosequeretur, Gregorius à Roberto Northmannorum Duce subsidium implorauit, qui statim nouis copijs congregatis in Italiam aduolans Henricum fugauit, ipsumque Pontificem fœlicissimè liberauit, omnesque Cardinales quos Clemens creauerat, vel à vero Pontifice abstraxerat, vrbe expulit. Quibus expulsis Gregorius Concilium Romæ congregauit, quo pseudopontificem cum Henrico Imperatore iterum excommunicauit. Postea ab vrbe recedens Cassinum aduenit, atque inde ad dedicandam basilicam S. Matthæi Apostoli Salernum se contulit, ibique permansit vsque ad obitum, qui contigit 24. Maij Anno Christi Redemptoris 1085. cum sedisset annos 12. Mens. 1. & dies 3 Sepultus intra basilicam S. Apostoli & Euangelistæ Matthæi, quam paulo ante obitum diuino cultui consecrauerat.

Hoc Pontifice sedēte (qui post mortem sanctitate & miraculis claruit) Bruno Coloniensis, ab ordine Benedictino Carthusianorū congregationem instituit, vel vt alij volunt religionem ingressus vitam finiuit.

Scripsit Epistolas Decretales plurimas, quæ in libros vndecim sunt diuisæ, apud Binium in Concilijs; extatque illarum Registrum in Vaticana Bibliotheca; ex quibus sanè epistolis cognosces eum Catholicæ religionis feruentissimum institutorem, & Ecclesiastiacæ libertatis strenuissimum defensorem fuisse, vtpote, qui noluit Ecclesiasticum ordinem laicorum potestati subiacere, sed eisdem & morum sanctitate & ordinis dignitate præeminere.

Primum Concilium sub Greg. VII. Romanum I.

Pro reformando Ecclesiæ statu celebratum; in primis autem vt secundum instituta antiquorum Canonum presbyteri vxores non habeant; habentes aut dimittant, aut deponantur. Nec quisquam omnino ad sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cœlibem profiteatur. In hac eadem Synodo excommunicatus est Robertus Guiscardus Northmannorum Princeps. Apologeticum sermonem pro hac Synodo scripsit auctor quidam huius temporis qui extat in antiquissimo manuscripto Codice monasterij Veingartensis, quem inde descriptum Concilijs inseruit doctissimus vir Seuerinus Binius. *Anno Dom. 1074. Prima hebdomada quadragesimæ.*

Secundum Concilium apud S. Geuesium.

(Quod castrum à ciuitate Lucana non multum distat) in causa S. Anselmi Episcopi Lucensis, contra Lucenses Canonicos celebratum, præsidente nomine Sedis Apostolicæ Petro Ignito Albanensi Episcopo, qui propter in obedientiam, concubinatum, & conspirationem contra Sanctum Episcopum, excommunicati, Henrici tyrannidem promouebant. *Anno Dom. 1074.*

Tertium Concilium Anglicanum.

Quo S. Vulstanus iniustè deponitur, & postea magno miraculo sedi suæ restituitur. *Vide Surium To. 19. die Ianuarij.* *Anno Dom. 1074.*

Quartum Concilium Romanum II.

Pro reformanda Ecclesia celebratum, multique Episcopi tunc propter varios excessus depositi fuerunt. *Anno Dom. 1075.*

Quintum Concilium Moguntinum.

In quo Romanæ Synodi decretum contra Clericos Concubinarios iussu Gregorij Papæ est promulgatum. *Anno Dom. 1075*

Sextum Concilium Anglicanum II.

Auctoritate Lanfranci Dorouernensis Ecclesiæ Archiepiscopi, pro reformandis Ecclesiasticis Constitutionibus, & moribus Ecclesiæ celebratum. *Anno Dom. 1075. Vilhelmi Regis anno 9.*

Septimum Conciliabulum Vormatiense.

Anno Dom. 1076. Dominica Septuagesimæ. Quo Schismatici Episcopi iussu Henrici Regis congregati, Gregorium Pontificatu amouendum esse declararunt.

Octauum Concilium Romanum III.

Anno Dom. 1076. Quo Henricus Rex Germaniæ. Sigefridus Moguntinus, Vilielmus Traiectensis, & Robertus Bambergensis Episcopi excommunicantur.

Nonum Conciliabulum Papiense.

Anno Dom: 1076 Quo Episcopi Regi schismatico inhærentes, anathema sibi à Pontifice inflictum, in eundem Pontificem retorquere conati fuerunt.

Decimum Concilium Romanum IV.

Anno Dom. 1078. In quo Guibertus Rauennas, Theodaldus Mediolanensis, alijque plures Episcopi excommunicantur.

Vndecimum Concilium Romanum V.

Anno Dom. 1078. 12. Kal. Decemb. Pro restauratione sanctæ Ecclesiæ celebratum; quo excommunicatus est Cōstantinopolitanus Imperator, (constitutaque ad vtilitatem Ecclesiæ illius quædam capitula) Nicephorus cognomento Botoniates, qui Imperium sibi tyrannicè vindicauit, Michaele cum Maria Augusta coniuge, filioque Constantino Porphyrogenito, in monasterium relegato.

Duodecimum Concilium Romanum VI.

Anno Dom. 1079. Mense Feb. In quo Berengarius sæpè ad pœnitentiam vocatus, sæpiusque relapsus, hæresim suam iterum abiurauit, fidemque Catholicam professus fuit.

Tredecimum Concilium Britannicum.

Anno Dom. 1079. Ad falsam pœnitentiam proscribendam celebratum, præsentibus legatis Pontificijs.

Quatuordecimum Concilium Romanum VII.

Anno Dom. 1080. Quo Regnum Germaniæ Henrico abrogatum, collatum fuit Rudolpho ea constitutione addita, ne deinceps inuestituræ beneficiorum à laicis conferantur vel accipiantur.

Quindecimum Conciliabulum Brixiense.

Anno Dom. 1080. 7. Kal. Iulii. Quo 30. Schismatici Episcopi Gregorium Papam sede deposuerunt, & Guibertum Rauennatem Archiepiscopum eidem in schismate surrogarunt.

Sexdecimum Concilium Lugdunense.

Anno dom: 1080. Quod sub præsidio Hugonis Diensis Episcopi, & sedis Apostolicæ Legati, in causa Manassis Archiepiscopi Rhemensis celebratum est, inuasorque sedis manasses condemnatus & throno Episcopali depositus est.

Decimumseptimum Concilium Auenionense.

Anno Dom. 1080. Quo S. Hugo Gratianopolitanus Episcopus ex Lugdunensi Episcopo creatus est, qui postea cum socijs quibusdam Carthusiam tunc recens inchoatam petijt, & vitam monasticam duxit.

Decimum octauum Concilium Meldense.

Anno Dom. 1080. Quo S. Arnulphus creatus est Episcopus Suessionensis ex monasterio S. Medardi, per legatos Apostolicos vocatus, Vrsione vitioso homine eiecto.

Decimumnonum Concilium Romanum VIII.

Anno Dom. 1081. In causa Henrici Regis & Episcoporum quorundam celebratum, quos omnes iterum excommunicauit.

Vigesimum Concilium Romanum IX.

Anno Dom: 1083. Quo iterum Henricum vrbis mœnia oppugnantem excommunicauit.

Vigesimum primum Concilium Romanum X.

Anno Dom. 1084. Quo Guibertus Antipapa, & Henricus ab eo Imperator coronatus cum omnibus suis fautoribus excommunicantur.

Vigesimum secundum Concilium Quitilineburgense.

Quo hæresis Henriciana & Veciliana condemnata est, eo quod assererent, non esse legitimum Petri successorem nisi quem Imperator delegisset. Vecilinus autem ex fugitiuo Clerico post obitum Sigifredi Moguntinus Archiepiscopus ab Henrico Imp. factus, docebat, quod quamdiu quis suis spoliatus est rebus, diuinis legibus non subiaceat.

Vlti-

Vltimum Conciliabulum Moguntinum.

Quo Gregorio depoſito Guibertum iuſte ſurrogatum fuiſſe declaratur.

Anno Dom. 1085.

VICTOR III. Patria Beneuentanus, nobili ſtemmate prognatus, cui nomen ante Deſiderij fuerat, conſilio Gregorij VII. iam morituri, poſt interregnum vnius ferè anni, ex Monacho Caſſinenſi & Epiſcopo Oſtienſi electus eſt Pontifex, conſecratuſq; 7. Id. Maij anni ſequentis, aduerſus improbos Sarracenos Italiæ littora iugiter infeſtantes, Chriſtianoſque captiuos abripientes, militarem expeditionem conuertit, ex omnibus Italiæ populis exercitum congregans: illiſque vexillum B. Petri Apoſtoli tradens ſub remiſſione peccatorum omnium contra infideles impioſque in Africam dirigit. Chriſto itaque Duce ingreſſi Africam, centum millia pugnatorum occiderunt, vrbe illorum præcipua capta & euerſa. Porrò ne quis ambigat hoc Dei nutu contigiſſe, quo die Chriſtiani victores euaſere, eo etiam Italiæ nunciata victoria eſt. Hic poſt Guibertum, alioſque ſchiſmaticos Synodali ſententia condemnatos & excommunicatos, feliciter migrauit ad Dominum 17. Kal. Octob. Anno Dominicæ incarnationis 1087. Sepultus eſt in ipſa capituli abſide, vbi triduo ante obitum ſibi ſepulchrum præparare mandauerat. Epitaphium quod ſepulchro eius inſcriptum erat, apud Leonem Oſtienſem inuenitur his verſibus contentum.

Anno Dom. 1086. 24. Maij. Henrici III. 3. Alexii Comueni Imp. Orien. 6. Nicephorus enim Botoniates qui tyrannicè Imperium occupauerat, poſt concertationes aduerſus diuerſos inſurgentes tyrannos. eoſdemq; ſuperatos, tandem quam fecit, & ipſe paſſus; Nam ab Alexio Comneno anno 1080. pulſus, in monaſterium detruditur.

Hoc tempore Venetianis meditantibus auferre corpus S. Nicolai à Mirrhea Lycia à Turcis deſolata, praeoccupauerunt eos Barenſes cives 47. ab Antiochia Mirrhā venientes, qui à quatuor monachis ibi inuentis extorſerunt, oſtendi ſibi tumbam Sancti qua effracta, oſſa S. Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerūt & Barim cum gloria detulerunt. Facta eſt autem hac traslatio anno 745 à depoſitione S. Nicolai.

Quis fuerim, vel quid, qualis, quantuſque doceri
Si quis forte velit, aurea ſcripta docent.
Stirps mihi magnatum, Beneuentus patria, nomen
Eſt Deſiderius, tuque Caſine decus.
Intactam ſponſam, matrem, patriamque propinquos
Spernens huc propero, monachus efficior.
Abbas dehinc factus, ſtudui pro tempore totum
Vt nunc aſpicitur, hunc renouare locum.
Interea fueram Romana clarus in Vrbe
Presbyter Eccleſiæ, Petre beatæ tuæ.
Hoc ſenis luſtris minus anno functus honore
Victor Apoſtolicum ſcando de hinc ſolium.
Quatuor & ſemis vix menſibus inde peractis
Bis ſex luſtra gerens, mortuus hic tumulor.
Solis Virgineo ſtabat lux vltima ſigno,
Cum me Sol verus hinc tulit ipſe Deus.

Primum Concilium Capuanum.

Quo Victor reſumptis Inſignibus Pontificalibus, quæ præter voluntatem electus reſignauerat, conſecratus fuit Romæ pulſo Guiberto.

Anno Dom. 1087. 12. Kal. April.

Secundum Concilium Beneuentanum.

Quo Guibertus Antipapa cum ſuis ſibi adhærentibus Epiſcopis ſchiſmaticis excommunicatur. *Res in Synodo geſtas refert Leo Oſtienſis lib. 3. cap. 71.*

Anno Dom. 1087. Menſe Auguſto

VRBANVS II. Qui antea nominabatur Otto Oſtienſis Epiſcopus, quemque Victor Tertius exemplo Gregorij prædeceſſoris ſui ſibi ſucceſſorem nominauerit, communi totius Cleri ac populi conſenſu electus Pontifex, dum Sedes Apoſtolica quinque Menſibus & ſexdecim diebus paſtore viduata fuiſſet. Hic ante Pontificatū ad Henricum Regem ablegatus, ab eodem captus, magniſque contumelijs affectus fuit. Sententiam excommunicationis in Regem pronunciatam ipſe in Germania promulgauit. Pontificatum adeptus de ſui electione omnes fideles certiores reddidit. Inueterato lateris dolore exagitatus, duodecimo die poſt factam electionem Caſſini à S. Benedicto miraculosè ſanatus fuit. Inde rogatu Rogerij & Boamundi in Apuliam ſe contulit, ibique Eccleſiam in honorem S. Mariæ diuino cultui dicatam priuilegio muniuit. Eccleſiæ Toletanæ primatum con-

Anno Dom. 1088. 4. Idus Martii Hērici III. 5. Alexii Comneni 8. qui Vrbanum Papam Placentia Synodum celebrantem, omneſque Chriſti fideles ſuppliciter rogauit, ut aliquod auxiliū ſibi contra Paganos pro defenſione S. Eccleſiæ conferrent, quam Pagani iam penè in illis partibus deleuerāt. Qui partes illas Orientis

conceſſit. Ad improbandas ſchiſmaticorum ordinationes, & confirmandam anathematis ſententiam in Guibertum Antipapam & Henricum Imp. à Greg. VII. pronunciatam, ablegauit in Germaniam Gebehardum Conſtantienſem Epiſcopum, virum in munere ſuò obeundo fortiſſimum, qui nullo habito reſpectu perſonarum, Comitem quendam in excommunicatione defunctum exhumari, & ad ſepulturam aſini deputari mandauit. Mathildam Comitiſſimam iam prouectioris ætatis fœminam ob bonum publicum Eccleſiæ Velphoni Italico Duci, Ducis Bauariæ filio, ſtrenuo militi & Eccleſiæ defenſori deſponſauit inuitam, & non alia conditione conſentientem, quàm vt vſu coniugali vtrinque abſtineretur. Cumque Pontifex Apulia diutius moraretur, interea verò Henricus Rex Mantuana ciuitate, alijſque victorijs potiretur, Romani iterum rebellantes, poſt captam S. Angeli munitionem, Guibertum Antipapam antea expulſum, nunc verò per Henricum Victoria elatum in vrbem rurſus intruſum receperunt. Tulit iſta conſtanti animo Vrbanus, fretuſque ſacerdotali robore aduerſus cuncta contraria fortis atque immobilis perſtitit; habitoque Beneuenti Concilio, Guibertum eiuſque complices excommunicauit, bello abſtinuit, ne militari manu Romanos ciues inquietaret. Cumque Imperator Vrbanum Pontificem dehonoraret, admirabili Dei conſilio accidit; vt eundem Princeps Barchionenſis veneraretur. Nam cum ille in iura Eccleſiæ debacchafetur, hic Tarraconenſem ciuitatem è Sarracenorum manibus ereptam Romanæ Eccleſiæ donauit. Iuonem Carnotenſem Epiſcopum conſecrauit, Brunonem Carthuſiani Inſtituti auctorem ſexto anno, quàm ille ſolitudinem Carthuſianam incoluiſſet, ad ſe accerſiuit, biennio apud ſe retentum dimiſit, Anno Dom. 1095. quãdo ab Vrbano diſcedens in Calabriam profectus inſtitutum ſuum propagauit. Ericum Regem Danorum à Liemaro Archiepiſcopo Hamburgenſi ſchiſmaticorum principe iniurijs laceſſitum ad ſedem Apoſtolicam bis appellantem humaniſſimè excepit, eumque Metropolitani Hamburgenſis ſubiectioni exemit, Lundiæque Metropolim in Dania inſtituit. Henricum Imp. qui Praxedem Imperatricem vxorem ſuam legitimam carceribus manciparat, eamque filio alijſque extraneis violandam obtulerat, iterum excommunicauit, filiumque Conradum aduerſus patrem ideo rebellantem, quod mandato eius iuſſus eſſet cum matre inceſtum committere, quodq; eodem auctore ex adulterio natus diceretur, ab excommunicatione abſoluit. Ad ſubueniendum Orientali, & potiſſimum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſummo ſtudio egit; habitiſque pluribus ea de cauſa Concilijs promouit, vt fideles Chriſtiani exercitum conſcriberent, ſanctamque terram à Turcarum infidelium profanationibus liberarent & defenderent. Ea occaſione trecenta millia Chriſtianorum accepta benedictione à Romano Pontifice Aſiam inuaſerunt, captiſque oppidis eadem deuaſtarunt. Nicæam vrbem cum alijs pluribus oppidulis expugnarunt, & in ſuam poteſtatem redegerunt. Antiochiam in Syria ceperunt die tertia menſis Iunij. Ab hoſtium immenſa multitudine obſeſſi, fame ac morbo conſumpti, inuentione lanceæ illius, quæ Chriſti latus perforauit, animoſiores effecti, facta eruptione ingentem victoriam contra hoſtem reportarunt. Quod cum Vrbano Papæ nunciatum fuiſſet, legatum miſit in Orientem, qui Eccleſias in locis vnde pagani expulſi erant, inſtauraret. Hoc Pontifice auctore, horariæ illæ preces, quæ Vulgo Beatæ Mariæ Virginis & Dei Genitricis officium appellari conſueuerunt, non tantùm à Clericis, ſed etiam à laicis pro auxilio contra Sarracenos obtinendo recitari cœperunt. Huius tempore carioſus hæreticus Berengarius ſæpius Eccleſiam falſa pœnitentia eludens ipſo die Sanct: Epiphaniæ ex hac vita migrauit. Vicinus morti dixiſſe ſcribitur, *Hodie in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus, propter pœnitentiam vt ſpero ad gloriam: vel propter alios, vt timeo ad pœnam.* Ordines, Carthuſianorum, Ciſtercienſium, & Antonitarum eorum, qui infirmis miniſtrabant & literam T. pro inſignibus gerebant, ſub hoc tempore originem ſumpſerunt.

His rebus ita feliciter peractis, paceEccleſiæ reſtituta, ipſaque in tranquil-

lio.

vſque ad muros Cõſtantinopolitanæ ciuitatis obtinuerãt. Ad hos ergo auxilium Vrbanus Papa multos inuitauit, vt etiam iureiurando promitterent ſe illuc Deo annuente ituros, & eidem Imperatori contra barbaros pro poſſe ſuo fideliſſimum adiutorium collaturos. Iterumque Cõcilio Claromontano Vrbanus Papa accepit literas à Simeone Patriarcha Hieroſolymorum commiſeratione dignas, deferente Petro Eremita natione Gallo patria Ambianenſi quibus Chriſti incunabula, eiuſque ſepulchrum atque reliqua loca ſancta, eiuſdem Redemptoris noſtri memoria conſecrata ab infidelibus Turcis profanata, omniq; genere contumeliarũ affecta deplorabat. Igitur ab Vrbano, pro ſtipendio erat Indulgentia peccatorum propoſita volẽtibus ad bellum ſacrum ire, & pro teſſera militari, ſignũ Sanctiſſimæ Crucis, quod ſuper ſcapulã dexteram milites impreſſere veſtibus. Quorum præcipuus erat Godefredus Lotharingius Dux à quo Hieroſolyma capta 15. Iulij anno 1099. ab obſidione die 40. cum Sarraceni eam tenuiſſent annis 490.

Ab hoc Pontifice Philippus Rex Galliæ duas Vxores ducens excommunicatur vide Baron.

liorem statum vindicata, Vrbanus Pontifex 4. Kal. Augusti, Anno Dom. 1099. defunctus est: cum sedisset annos vndecim menses 4. dies 18. Corpus Transtiberiuam regionem delatum, in basilica Vaticana honorificè sepultum est.

Hoc Pontifice sedente Cisterciensium Monachorum prima fundamenta iacta, ex quo ordine sacro tanquam è fonte riui vniuersũ occidentalem Orbẽ donis cœlestibus irrigarunt;

Scripsit Epistolas Decretales complures, (nam alias tanquam minus Ecclesiæ vtiles non allegamus) quarum, *Prima*. Ad omnes Christi fideles, de Ecclesia S. Mariæ Cassinensis monasterij à se consecrata & priuilegio munita.

II. Ad Bernardum Archiepisc. Toletanum, de primatu eidem Ecclesiæ concesso.

III. Ad Archiepiscopum Tarraconensem, significans de primatu Toletanæ Ecclesiæ.

IV. Ad Anselmum Mediolanensem Archiepis. de reconciliatione relapsorum.

V. Ad Eliam Archiep. Barensem, de reliquiarum S. Nicolai translatione, & iuribus ac dignitate Ecclesiæ Barensis.

VI. Ad Rogerium Ducem Siciliæ & Boamundum fratrem eius pro Monachis.

VII. Ad Berengarium Ausonensem Epis. in Tarraconensem translatum & priuilegijs donatum.

VIII. Ad Clerum & plebem Carnotensem de Gaufredi Episcopi depositione, & Iuonis consecrati in eius locum surrogatione.

Hic apponitur Oratio Vrbani Papæ ad Iuonem consecratũ habita, qua eum de suo officio commonet.

IX. Ad Rogerium Archiep. Senonensem eiusdem argumenti.

X. Ad Petrum Abbatem Cluniacensem, de priuilegijs eiusdẽm Monasterio concessis.

XI. Ad Clerum Turonensem, priuilegia Ecclesiæ Turonen., confirmans.

XII. Ad Canonicos Ecclesiæ S. Martini Turonensis, contra Simoniacos.

XIII. Ad Rogerium Ducem Siciliæ, de priuilegio Monarchiæ Siciliæ.

XIV. Ad Rudolphum Comitem pro immunitate Ecclesiastica.

XV. Ad Clerum populumque Salernitanum, pro immunitate Eccles.

XVI. Ad Alexium Constantinopolitanum Imperatorem de expeditione in Terram Sanctam, & de Cruce suscipienda.

XVII. Ad Lucium Præpositum S. Iuuentij, de valore Baptismi, aliorumq; Sacramentorum à criminosis sacerdotibus collatorum.

XVIII. Ad Alphanum Archiep. Salernitanum, qua collatum illi Ecclesiæ priuilegium continetur.

XIX. Ad Pistoriensem & Rusticum Abbates Vallis Vmbrosæ de Vezelone Archiep. Moguntino ob Simoniam deposito.

XX. Ad Richerium Senonensem, eiusque Suffraganeos, & cæteros Francorum Episcopos, de Rege excommunicato non absoluendo.

Primum Concilium sub Vrbano II. Romanum I.

Centum & quindecim Episcoporum, quo res Greg. VII. & Victoris III. contra Guibertum Antipapam & Henricum Imp. aliosque schismaticos gestæ confirmantur. *Anno Dom. 1089.*

Secundum Concilium Troianum:

Episcoporum ferè septuaginta quinque in Apulia, de coniugijs consanguineorum dissoluendis celebratum. Quod & apud Gratianum 35. 9. 5. ca. & Magistrum Sententiarum Dist. c. 41. inuenies. *Anno Dom. 1089.*

Tertium Concilium Tolosanum.

Pro expurgando Tolosano Episcopo de illatis criminibus, alijsque moribus Gallicanæ Ecclesiæ reformandis celebratum. Vnde statim legatio pro restauranda Christianitate in Toletana ciuitate, Rege Hispanorum supplicante, destinatur. *Anno Dom. 1090.*

Quartum Concilium Melfitanum in Apulia celebratum.

Scriptique ab Vrbano Canones pro reformanda Ecclesia num. 16. *Anno Dom. 1090.*

Quin-

Quintum Concilium Beneuentanum.

Anno Dom. 1091. Quo Guibertus Antipapa, omnesque eius complices excommunicantur. Ibidemque Papa Vrbanus Petro Cassinensi Abbati Pontificalem insulam dedit.

Sextum Concilium Troianum II.

Anno Dom. 1093. Centum fere Episcoporum, cum quibus Vrbanus Papa, diuersis Ecclesiarum necessitatibus competenter succurrere curauit.

Septimum Concilium Constantiense.

Anno Dom 1094. In hebdomada maiore ante Pascha. Pro reformanda disciplina Ecclesiæ celebratum. Ibique statutum vt tam in hobdomade Pentecostes, quam in hebdomada Paschali, tres tantum dies festiui celebrarentur. Nam vsque ad illud tempus Constantiensis Episcopatus integram septimanam in Pascha, & vnam tantum diem in Pentecoste obseruare consueuerat.

Octauum Concilium Ostiense.

Anno Dom. 1094. 17. Kal. Nouembr. Contra Philippum Regem Francorum adulterum & incœstuosum in Gallia celebratum qui iuuenili furore percitus Bertam vxorem legitimam repudiauit, & Bertradam vxorem Fulconis Comitis Andegauensis cognatam suam sibi matrimonio iunxit. Qua de causa Hugo Lugdunensis Archiep. legatione Apostolica functus Concilium indixit, Regemque excommunicauit; tum & sacerdotes incontinentes atque Simoniacos; Interdictumque est Monachis ne parochialium sacerdotum officia in parochijs vsurpent. (N.B.)

Nonum Concilium Placentinum.

Anno Dom. 1095. Media Quadrages. In causa Praxedis repudiatæ Imperatricis, in causa Philippi Regis Francorũ, & Alexij Imperatoris Constantinopolitani contra Sarracenos auxilium petentis celebratum ab Vrbano Pontificæ extra vrbem in campo propter nimiam multitudinem hominum ad illud vndique confluentium; quatuor enim millia Clericorum, & plusquam triginta millia laicorum fuisse perhibentur. Quindecim Canones fuerunt constituti, sed hoc in primis, *vt ad pœnitentiam nullo modo reciperentur, qui concubinas, & odium ex corde, & quodlibet mortale peccatum dimittere nollent. Vide Anselmum Lucensem lib. 7. Decretorum.*

Decimum Concilium Claromontanum in Gallia.

Anno dom. 1095. In Octaua S. Martini. Ab eodem Vrbano & eandem ob causam celebratum, tredecim Archiepiscopis cum suis suffraganeis præsentibus, ducentæque & quinque pastorales Virgæ numeratæ sunt. Ibi expeditio in Terram sanctam indicta, & ad reformandos mores Ecclesiæ multa vtilia constituta; præcipuè autem Officium B. Mariæ Virginis.

Vndecimum Concilium Anglicanum.

Anno Dom. 1095. Tertia septimana quadragesimæ. In causa Vrbani Papæ celebratum, quem Rex pro Papa agnoscere nolens omnes Episcopos abiurare obedientiam cogebat, solo Anselmo Cantuariensi Primate excepto, qui cuncta pati maluit, quam Vrbanum Papam pro legitimo Pontifice non agnoscere. Quamobrem in immensum à Rege afflictus fuit.

Duodecimum Concilium Turonense.

Anno Dom. 1096. Tertia hebdomada quadragesimæ. Pro expeditione Hierosolymitana præparanda indictum, ipso Vrbano Papa præsidente, qui præteritorum suorum Conciliorum statuta roborauit, & Philippum Regem humiliatum abiurata adultera absoluit.

Tredecimum Concilium Barense, ab Vrbano Papa celebratum.

Anno Dom. 1097. Pro Græcis cum Romana Ecclesia conciliandis. Vbi ventilatæ sunt controuersiæ illæ, quæ inter eos diutius agitatæ leguntur; potissimum verò de processione Spiritus sancti. De qua materia S. Anselmus qui interfuit Archiep. Cantuarien. librum egregium scripsit, & Græcos præsentes confutauit in Synodo illa, iussus sedere ante Papam iuxta Romanum Archidiaconum.

Quatuordecimum Concilium Romanum II.

Anno Dom 1098. Quo Regi Anglorum Schismatico induciæ concessæ sunt vsque ad festum S. Michaelis. Quem adhuc in Concilio Barensi Vrbanus Papa excommunicare volebat, sed præcibus S. Anselmi, destitit placatus, prout & nunc eodem intercedente

cedente pro Rege suo persecutore inducias concessit.

Quindecimum Concilium Romanum III.

Quo Vrbanus Papa statuta prædecessorum suorum confirmat, Guibertum Antipapam eiusque complices iterum excommunicat, & Hierosolymitanam ex peditionem promoueri rogat. Scriptaque sunt capitula multa pro reformanda Ecclesia.

Anno Dom. 1099. Tertia hebdomada post Pascha cum 150 Episcopis.

Vltimum Concilium Hierosolymitanum.

Quo Theobertus Pisanus Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, eligitur in Patriarcham Hierosolymitanum, pulso Arnulpho homine nefario inuasore, qui opera Episcopi Maturanensis de Calabria, viri subdoli & nequam, sedem Hierosolymitanam inuadere nitebatur.

Anno Dom. 1099



LIBER XX.



ILLESIMVS centesimus Christi Redemptoris incipit annus mortuo vt dictũ est, anno superiori Vrbano Papa II. cuius obitus Occidentali atque Orientali simul Orbi dolorem haud mediorem reliquit, quòd omnibus orthodoxis eius morte videretur, secundum illud Hieremiæ lamentum, murus & ante murale pariter dissipatus. Qui forti pectore nauim Petri gubernans, & aduersus Imperatorem schismaticum, ab eoque promotum Antipapam Guibertum, iugiter perseuerauit infractus, & aduersus infideles, Christianæ religionis hostes, magno animo bella mouit, vicit, & loca sancta ab impiorum manibus vindicauit. Catholicæ verò vnitatis desertoribus præmaturo suo obitu ingens gaudium peperit, potissimum autem ipsi Antipapæ Schismatico: qui exultans, ac insultans pariter vanè gloriabatur, quod ipso viuente, tres in Cathedra Petri Pontifices Deo vindice essent extincti, Gregorius VII. Victor III. atque Vrbanus II. nesciens infelix iam suæ domui pulsantem ostium astare mortem, ancipiti gladio formidandam, vt duplici feriens acie, & præsentem vitam auferat & futuram. Hoc siquidem anno centesimo supra millesimum ex hac vita morte repentina ad inferos descendit. Cuius deinceps ossa, quæ Rauennæ sepulta fuerant, quinto ab infelici exitu anno exhumata, in fluenta proiecta fuerunt. Ecclesia verò Romana exaltatis sibi diuinitus cornibus in sancta vnitate & pace decimoquarto ab Vrbani Papæ obitu die, Pascalem Secundum, Christi Vicarium proclamauit. Cuius vitam breuibus aggrediamur.

Thren. 2.

PASCHALIS II.

Natione Tuscus, patria Bledanus, patre Crescentio, & matre Alfatia natus, antea Rainerus appellatus, ex Abbate monasterij, Sanctorum Stephani & Laurentij, consilio & hortatu prædecessoris sui Vrbani, communi totius Cleri populique applausu, inuitus Pontificatum adeptus est. Seditque annos 18. mens. 5. & dies 9. Hic sub Hugone Abbate Cluniacensi sanctissimo viro, vitam monasticam excoluit, & à Gregorio VII. Cardinalis presbyter titulo S. Cle-

Anno Dom. 1099 Ipsis Idibus Augusti. Henrici Imp. III. anno 17. Alexij Comneni an. 20. De quo istæ prædictiones à Dodechino huius temporis scriptore narrantur. Cuidam religioso re

Clementis creatus fuit. Initio Pontificatus eius obijt Romæ in arce S. Angeli Guibertus Antipapa, Clemens III. nominatus, qui per annos 21. perniciosissimo schismate Ecclesiam sub tribus Pontificibus inquietarat. Sepultus est Rauennæ, sed post quinque annos auctoritate concilij Moguntini exhumatus, decretumque ibi fuerat, vt alij quoque Episcopi Henricianæ hæreseos propugnatores sedibus suis deponerentur si viuerent: sepulchris extraherentur & concremarentur si mortui essent.

Defuncto Pseudopontifici Clementi III. contra Paschalem à schismaticis Cardinalibus, breui tempore tres Antipapæ & Pseudopontifices, Albertus Atellanus, Theodoricus Romanus, & Siluester. IV. successiuè Sedi Apostolicæ obtrudimtur. Primùm, dum ad vrbem vexandam incautè accederet, milites Paschalis interceperant, & post quatuor menses sedis suæ pontificatu abdicatum in monasterium S. Laurentij relegarunt. Secundus per Campaniam incautius vagans à præsidio Pontificio captus schisma Guibertinum abiurauit, ingressusq; monasterium S. Trinitatis, vitam ibidem solitariam peregit, dum sedem Apostolicam tribus mensibus violenter & tyrannicè inuasisset. Tertium omnibus bonis exutum, ideoque magno animi dolore languentem, citissimè sustulit è medio Deus optimus, atque ita dein Sanctam Ecclesiam diuturno schismate turbatam, pace & concordia donauit. Philippum Francorum Regem pellicem sub introductam dimittere nolentem Concilij Pictauiensis decreto excommunicari mandauit, eoque modo ad pœnitentiam eundem, resolutionemque petendã induxit. Ecclesiarum inuestituras à Regibus diuersorum Regnorum in Anglia, Francia, & Germania vsurpatas, per sanctum Anselmum triennali exilio propterea relegatum, Iuonem, aliosque strenuos Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis defensores contra vtrumque Henricum III. & IV. patrem & filium sacrilegij hæredem, vsque ad sui incarcerationem acerrimè propugnauit. Nam Henricum III. Imp. & quartum eius nominis Germaniæ Regem, patrem propter Simoniacam labem, aliaque crimina, de quibus infra in Concil. Lateranen. excommunicauit, Regni & Imperij insignibus & ornamentis priuauit. Surrogatus est patri communi procerum consensu filius Henricus eius nominis Rex Germaniæ quintus, Romano Pontifici & Ecclesiæ Dei æquè infestus. Nam cum iusto Dei iudicio patrem excommunicatum apud Bingam cepisset, in carcerem detrusisset, & ad resignandum Imperium induxisset, atque inde Coloniam, & postmodum Leodium abeuntem, & morte repentina defunctum, hortatu Papæ post peractam sepulturam exhumasset, & quinque annis insepultum reliquisset, anno Domini 1110. Romam petijt, tum vt à Paschali Imperatoriam coronam more maiorum acciperet; tum etiam vt iura sua, quæ in Concilio Tircensi imminuta conquerebatur, vindicaret. Cumque Sutrium peruenisset, legatos quosdam Romam direxit, qui iureiurando firmauerunt, Papæ Paschalis legatos securè ducere ac reducere, & Regem ipsum sacramento firmare omnem Ecclesiarum inuestituram penitus abdicare, obsides etiam dare, ne ad hoc flagitium iterum rediret, & res Ecclesiasticas & regalia, ac B. Petri patrimonia libera & quieta omnino dimittere, obsides etiam dare pro securitate, cum ad coronandum eum ad B. Petri basilicam exiret. Postea ex parte Ecclesiæ à laicis viris firmatum est, si ista quæ promissa sunt, iam dictus Rex obseruaret, quod Domnus Papa eum benignè susciperet, & ei diadema regni imponeret, & coronatus si vellet Vrbem intraret. Pro transitu etiam Pontis obsides accepit, pro quibus Sacramentum exhibuit; quod in ipso die Dominico si pontem transiret, eos in liberam nostrorum restitueret potestatem. De his igitur omnibus Sacramentis, ex vtraque parte peractis & obsidibus datis, cum ad coronandum eum ad Ecclesiam B. Petri Papa exiret, postpositis Sacramentis & dimissis obsidibus, eum in ipsa Ecclesia cum Episcopis & Cardinalibus, & multis Romanis violenter cepit, & in captione arctissima detinuit. Romani verò post alteram diem collecti, in hostes Ecclesiæ impetum facientes de porticu fugere compulerunt, interfectis multis de suis & perditis equis, tentorijs, pecunijs, & infinita supellectile.

nelata est mors Vrbani, cui interroganti, quis post eum futurus esset Pontifex respondit is qui apparuit. Reinerius Abbas. Rursum illo interrogante, quam diu viuere deberet? Respice, ait, ad suppedaneum lectuli tui. Cumque respexisset, vidit iacentẽ schedulam paruam ex vna parte pilosam, ex alia purã, paucis literis taliter inscriptam Terni ter Quaterni ter nique, Qui simul fiunt decem & octo, Rursus autem illo sciscitante, cur prædicta schedula partim pilosa partim pura esset? Respondit. Tempus papatus eius partim placidum partim turbulentum erit. Quod verum fuit. Etiam Papatum illius Albertus Alatrinus Episcopus, aliquando diuinauit. Nam cum ab amico interrogaretur, quem Vrbano successurum putaret, Rainerium, inquit, propter fidem & constantiam Deus elegit. Cumq: Paschalem vita priuata contentum, nolẽtem & latitantem & dicentem humeros suos nequaquã tanto oneri suffecturos Clerus Pontificem eligere vellet populus vniuersaliter acclamauit Sanctus Petrus Raineriúm virum optimum Pontificẽ elegit.

ctile. Post hæc omnes vnanimes contra eum iurauerunt vno animo vna volũtate pugnare. Postea Imperator, Papa detento; à ciuibus reuocatur, & Episcoporum inuestituras, id est annulum & baculum à Papa recipiens, ipsum Papam & ciues Romanos muneribus reconciliare curauit: & à Papa coronatus fauorem & nomen Imperiale sortitur, anno ab Incarnatione Domini centesimo vndecimo, anno verò regni eius, ex quo pater regalia sibi resignauerat sexto. Sigebertus fautor schismaticorum Imperatorum addit, quod in celebratione Missæ Pontifex Imperatori ad pacem confirmandam corpus Domini tradiderit, eique ista dixerit. *Domine Imperator, hoc corpus Domini natum ex Maria Virgine, passum in cruce pro nobis (sicut sancta & Apostolica tenet Ecclesia) damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te. Amen.* His ita transactis, Imperator voti compos factus redijt in Germaniam, Paschalis verò Synodo Episcoporum postea apud Lateranum celebrata, priuilegium de inuestituris conferendis supra recensitum, ab Imperatore minis & terroribus extortum improbauit, superque impedimento consanguinitatis in matrimonio, quod contractum est inter Boleslaum Poloniæ Principem, & filiam Russiæ Ducis nomine Sbislauam in quarto consanguinitatis gradu eidem coniunctam dispensauit.

Obijt Paschalis Papa Anno Domini 1118. quinto Kalen. Februarij, sepultusque est in Basilica Lateranensi.

Epistolas Decretales scripsit complures.

I. Ad exercitum in Palæstina militantem, qua gratulatur ei de Victoria obtenta, & simul ad progrediendum hortatur.

II. Ad Albericum Abbatem noui monasterij Cabilonensis, de priuilegio ibi concesso.

III. Ad Anselmum Cantuariensem Archiep. de Inuestituris Regibus alijsq; laicis magistratibus non concedendis.

IV. Ad Bernardum Toletanum Archiep. qua primatum Toletanæ Ecclesiæ confirmat.

V. Ad Archiep. Panormitanum, qua eum corripit, quod pallium accepturus, ad inquisitionem Apocrisariorum Sedis Apostolicæ professionem fidei iuratam emittere recusaret.

VI. Ad Primatem Poloniæ eiusdem argumenti cum præcedente.

VII. Ad Robertum Fladrensium Comitem, vt Leodienses schismaticos Henrico Imp. adhærentes, ab Ecclesia expellat.

Ad hanc Epistolã Papæ scripserunt responsoriam declamationem Leodienses prolixam satis.

VIII. Ad Clerum populumque Bambergensem, qua ijs Ottonem Episcopum commendat.

IX. Ad Henricum Regem Angliæ, pro Anselmo Cantuariensi Archiep. inuestituras Ecclesiasticas iure contra Regem propugnante.

X. Ad Didacum Compostellanum Episcopum, de reformandis moribus istius Ecclesiæ deformibus, qui per bella in eam irrepserant.

XI. Ad Episcopos Anagniæ & Campaniæ, de canonizatione S. Petri Anagniæ Episcopi.

XII. Ad Gebehardum Constantiensem, & Odericum Patauiensem, Episcopos, non quoslibet excommun catos esse vitandos.

XIII. Ad Clerum Augustanæ Ecclesiæ & plebem, qua ipsi contra Episcopum causam agentes, ad præfixum terminum citantur.

XIV. Ad eosdem, qua ijsdem ob pacem cum Episcopo suo initam gratulatur.

XV. Ad Clerum & plebem Arelatensem, vt in locum Gibelini Episcopi sui Hierosolymam translati, alium eligant.

XVI. Ad Anselmum Cantuariensem Archiep. qua de concordia cum Rege inita ei gratulatur.

XVII. Ad Gerardum Archiep. Eboracensem, qua monetur vt professionem Anselmo Cartuariensi iuxta morem prædecessorum suorum faciat.

XVIII. Ad Balduinum Hierosolymorum Regem, decernens, vt ad ampliã-

dos fines Hierosolymitanæ diœceseos, omnes vrbes quas subegerit, Hierosolymitano tanquam Metropolitano subiaceant.

XIX. Ad Gibelinum Hierosolymorum Patriarcham eiusdem argumenti.

XX. Ad Bernardum Antiochenum Patriarcham, qua nunciat se non intendisse concessione priuilegij supradicti Antiochenæ Patriarchalis Ecclesiæ dignitatem imminuere.

XXI. Ad Didacum Compostellanum Episcopum, qua monet, vt Vraca Regina filia Regis Castellæ sub pœna priuationis Regni ab incœstu, quem contraxit ineundo matrimonium cum Alphonso Aragoniæ Rege sibi in tertio gradu consanguinitatis coniuncto desistat.

XXII. Ad Henricum IV. Imper. de Inuestitura ex Concilio Lateranensi scripta.

XXIII. Ad Ioannem Tusculanum, & Leonem Vercellensem Episcopos & Cardinales, qua concessionem Inuestiturarum Imperatori factam, se cassurum & irritaturum promittit.

XXIV. Ad Guidonem Viennensem Episcopum, Inuestituram Clericorum Regibus adimendam.

XXV. Ad Clerum Ecclesiæ Augustanæ, Episcopum suum de adulterio accusatum à se necdum esse absolutum.

XXVI. Ad Arnoldum Archiep. Moguntinum, qua illi causam Episcopi Augustani ad audiendum & decidendum committit.

XXVII. Ad Decanum & Canonicos Augustanæ Ecclesiæ, de causa Episcopi sui supradicti.

XXVIII. Ad Bernardum Antiochenum Patriarcham, significans se priuilegium Hierosolymitanæ Ecclesiæ in præiudicium Antiochenæ non concessisse.

XXIX. Ad Balduinum Regem Hierosolymitanum, eiusdem argumenti.

XXX. Ad Episcopos Angliæ, de dignitate Ecclesiæ Cantuarien.

XXXI. Ad Henricum Regem Angliæ in causa Turstani Eboracensis Archiepiscopi absque iudicio è sua Ecclesia eiecti.

XXXII. Ad Pontium Cluniacensem Abbatem, de non porrigenda communione intincta.

Primum Concilium sub Paschali II. Pictauiense.

Anno Dom. 1100. 4. Kal. Aug.

Hoc Concilium pro reformatione Cleri Canones vndecim conscripsit quos vide apud Baron. an. 1100. n. 22.

In causa Philippi Francorum Regis ad pristinam adulteram post obitum Vrbani II. redeuntis, quasi cum eo (à quo iterum ad vomitum rediens interdicto subijciebatur) omnes leges fuissent extinctæ. Sed vindex earum exurgens Paschalis Ioannem & Benedictum Cardinales in Galliam ablegauit, qui S. Hilarij hortatu per somnium non cesserunt minis Regis eiusque Præfectorum, sed comminatione anathematis eum adegerunt Bertradam à se ablegari.

Secundum Concilium Romanum.

Anno Dom. 1102.

Contra Henricum IV. Germaniæ Regem celebratum. Vbi etiam Archiep Capuanus à Cassinatibus monachis accusatus sacrilegij sententiam subijt.

Tertium Concilium Londinense.

Anno Dom. 1102.

In quo incontinentes Clerici & Abbates depositi sunt.

Quartum Concilium Londinense II.

Anno Dom. 1102. Henrici Regis an. 3.

Pro reformatione Ecclesiæ anno eodem celebratum, circa festum diem S. Michaelis Archangeli, Sancto Anselmo Cantuariensi Archiep. præsidente, vbi complures Constitutiones conscriptæ sunt.

Quintum Concilium Trecense.

Anno Dom. 1104.

In causa Siluanectensis Episcopi, de Simonia per calumniam accusati habitum per Richardum Legatum Apostolicum Episcopum Albanensem. Sed innocentiam suam purgauit, & iurejurando comprobauit. Ibidem Godefridus Abbas sanctitate conspicuus in Episcopum Ambianensem consecratus est, cum fugeret per vim à populo captus & coactus ad onus eiusmodi portandum, cantaruntque omnes. *Te Deum laudamus.*

Sextum Concilium Florentinum.

Trecentorum quadraginta Episcoporum, contra Fluentium loci illius Episcopum celebratum, qui docebat iam natum esse Antichristum. *Anno Dom. 1105.*

Septimum Concilium Quintilineburgense.

Pro reformandis moribus Ecclesiæ apud Northusum villam celebratum. Quo tempore Henricus V. à patre discedens, rebellionem cum suis contra eum molitus est prætextu religionis, eò quod pater eius à Romanis Pontificibus excommunicatus esset. *Anno Dom. 1105.*

Octauum Concilium Moguntinum.

Quo Henricus IV. Rex Germaniæ, & Tertius eius nominis Imp. à Clemente III. Pseudopapa coronatus, mediante Henrico filio, imperio priuatur, per Legatos Sedis Apostolicæ, & anathemate feritur. Qui eo perductus imperialia insignia, Crucem scilicet & lanceam, sceptrum, globum atque coronam filij potestati tradidit, prospera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans, & animæ suæ iuxta Pontificis præscriptum consulere promittens. *Anno Dom. 1105. Die Natalis Dom.*

Nonum Concilium Guastallense.

In Longobardia apud Padum fluuium, de schismaticis Episcopis ac Clericis in vnionem Ecclesiæ assumendis celebratum præsidente ipso Paschali II. coram multitudine maxima Clericorum & laicorum. *Anno Dom. 1106. Dominica 4. Octob.*

Decimum Concilium Hierosolymitanum.

Quo Ebremaro deposito, Dabertus Patriarcha Regia violentia expulsus sedi suæ restitutus est. *Anno dom: 1107.*

Vndecimum Concilium Trecense II.

Quo Simoniaci & laici collatores beneficiorum proscribuntur præsidente ipso Papa Paschali. *Anno Dom. 1107. Circa Ascensionem Domini.*

Duodecimum Concilium Londinen. III.

De Inuestitura à laicis non accipienda celebratum præsidente Archiepiscopo Anselmo. *Anno Dom. 1108. Kal. Augusti.*

Tredecimum Concilium Beneuentanum.

De inuestitura beneficiorum Ecclesiasticorum à laicis non sumenda, præsidente ipso Apostolico. *Anno Dom: 1108. Mense Octob.*

Quatuordecimum Concilium Pictauiense II.

Ad reformandos mores Ecclesiæ celebratum, præsidentibus legatis Sedis Apostolicæ, Ioanne & Benedicto Cardinalibus, qui complura ibidem decreta statuerunt. *Anno Dom. 1109. Kal. Decemb.*

Quindecimum Concilium Rhemense.

In causa Godofredi Ambianensis Episcopi, frequenti concursu Episcoporum & procerum, quod monachi exemptionem à subiectione Episcopi sibi à Paschali impetrauissent. *Anno Dom. 1109. N.B.*

Sexdecimum Concilium Hierosolymitanum II.

Quo per Canonem legatum Episcopum Prænestinum condemnatus est Henricus V. Imperator. *Anno Dom. 1110.*

Decimumseptimum Concilium Lateranense.

Quo à centum plus minus Episcopis priuilegium illud, quod de concedendis sibi beneficiorum inuestituris Henricus V. à Paschali Papa extorserat, reuocatur, in ipsumque Imperatorem anathematis sententia promulgatur. Dominus quoque Apostolicus coactus coram omnibus professionem Catholicæ fidei, ne quis de fide ipsius dubitaret, facere. *Anno Dom. 112. 5. Kal. Aprilis.*

Decimum octauum Concilium Viennense.

Quo Henricus V. Imp. ob extortas inuestituras excommunicatus est, à Guidone Archiep. Viennen. qui fuit postea Callistus Papa. *Anno Dom. 1112. 17. Kal. Octob.*

Decimumnonum Concilium Beneuentanum II.

In causa Cassinensis monasterij, præsidente ipso Paschali. *Anno Dom: 1113.*

Vigesimum Concilium Cyperanum.

In quo Cassinensis monachus Archiepiscopus Consentinus, qui inuitus à Rogerio *Anno Dom. 1114.*

gerio Siciliæ Comite in monasterium intrusus fuerat, à voto absoluitur per Paschalem Papam, Guillelmus verò Dux Apuliæ Calabriæque constituitur.

Anno Dom. 1114.

Vigesimum primum Concilium Belluacense.

A Conone legato Sedis Apostolicæ aduersus Henricum V. celebratum qui in eum sententiam anathematis pronunciauit. Et Godefridum Epis. Ambianensem ad Carthusianos fugientem, ad officium pastorale redire compulit.

Anno Dom. 1115.

Vigesimum secundum Concilium Syriacum.

In causa Arnulphi Hierosolymitani Patriarchæ celebratum, qui ob inauditas enormitates & immundam conuersationem à legato Apostolico Episcopo Aurasicensi ab officio Pontificali depositus est.

Anno Dom. 1115. 9. Kal. Septemb.

Vigesimumtertium Concilium Troianum.

Quo Comes Iordanus, Comes de Loritello, alijque Barones Apuliæ sacramento in præsentia Domini Papæ & Synodi, firmauerunt treguam Dei ex tunc per spacium annorum trium fore tenendam,

Anno Dom. 1116. in Natiu. Domini.

Vigesimumquartum Concilium Coloniense.

Ob promulgandam excommunicationem, quæ in Henricum Imper. Romæ prolata erat, auctoritate Theodorici Cardinalis legati Apostolici indictum; & celebratum ab Episcopis post obitum ipsius, qui in itinere mortuus erat.

Anno Dom. 1116. 3. Non. Mart.

Vigesimumquintum Concilium Lateranense II.

Quo acta Concilij Lateranensis Primi in causa priuilegij per vim Henrico concessi confirmantur,

Anno Dom. 1116. Domin. Letare.

Vltimum Conciliabulum Romanum II.

In Causa Cluniacensis & Cassinen. monasterij, quod Cluniacensis se Abbatem Abbatum iactaret, quæ prærogatiua Cassinensi est adiudicata.

Papa 160. Anno Dom. 1118. 25. Ianuarij. Henrici Imper. IV. an. 8. Alexij Con. 138. qui paucos intra menses obijt, cuius mortem præcesserat prodigij loco, quod vehementissimo ventorum turbine statua Constantini ænea, sita super celeberrimam columnam porphyreticam in Placoton collocatam, diuulsa in terram prostrata est atque contrita, cuius immensa ruina plurimos necari contigit.

GELASIVS II.

Natione Campanus, patria Caietanus, Ioannes antea nominatus, à puero optimis disciplinis imbutus, in monasterio Cassinensi sub Oderio Abbate sanctissimo vitam religiosam professus, ab Vrbano II. Romam ad munus Cancellariæ euocatus, virtutumque merito à Paschale in numerum Cardinalium adscitus, à Clero, Senatu, populoque Romano, (conuocatis & congregatis omnibus quos Pandulphus huius temporis scriptor Vaticanus enumerat Cardinalibus,) pari voto ac desiderio, inuitus ac renitens Spiritus sancti gratia mediante, electus est Pontifex. Hæc audiens Centius Frangipanis (erat hic inhærens factioni Henrici Imp.) more draconis immanissimi sibilans & ab imis pictoribus trahens longa suspiria, accinctus retrò gladio sine moræ cucurrit, valuas ac fores fregit, Ecclesiam furibundus introijt, inde custode remoto, Papam per gulam accepit, distraxit, pugnis calcibus percussit, & tanquam brutum animal intra limen Ecclesiæ acriter calcaribus cruentauit, vt latro tantum dominum per capillos (verba sunt Pandulphi Historici) & brachia, Iesu bono interim in naui dormiente, detraxit, atque domum vsque deduxit, vbi eum catenauit, & clausit. Tunc de præfatis Episcopis Cardinalibus, ac Clericis, & multis de populo qui conuenerant, alij ab apparitoribus Cencij modo simili vinciuntur, alij de caballis ac mulis, capite verso præcipitantur, & inauditis vndique miserijs affliguntur, donec aliqui semiuiui in domum tandem propriam remearunt: malo suo venit, qui fugere citò non potuit.

Facta autem hac voce, conuenit multitudo Romana, Petrus Præfectus vrbis, Petrus Leonis cum suis, Stephanus Northmannus cum suis, Stephanus de Thebuldo cum suis, Stephanus de Berizone cum suis, Stephanus Quadralis cum suis, Buccaporcina, Bouisco, Berizasi, quilibet cum suis. Regiones duodecim ciuitatis Romanæ, Transtyberini & Insulani, arma corripiunt, cum ingenti strepitu Capitolium scandunt, nuncios ad Frangipanes iteratò remandat, Papam captum repetunt & exoptant. Nihil moræ. Territus Frangipanis, præsertim dominus Leo impietate subdola pius, Papam illicò reddidit, pedes eius amplexans, clamat irremissius: Domine miserere. Et sic pacatis inimicis vrgentibus,

tibus, vt iterum Ecclesiam duris cornibus ventilaret, euasit. Tunc sanctus Papa leuatur, niueum ascendit caballum, coronatur, & tota ciuitas coronatur cũ eo: per sacram viam gradiens, Lateranum ascendit, bannis, & insignibus alijs eum præcedentibus pariter, atque iuxta Romanum ritum moremque sequentibus. Sedit itaque Papa (vt videbatur) in pace. Frequentabant eum Comites & Barones, & qui pro responsis aliquibus veniebant, recipiebantur benignè, donec finito negotio, pro quo cuncti conuenerant, accepta benedictione redirent. Tanquam à patre filij benignius per omnia tractabantur: Et iam Curia tota in pace habebat omnia, quæ per Dei gratiam possidebat. Redijt inter alios & Hugo Magnus, ac nimium honorabilis Apostolorum presbyter Cardinalis à Circæa arce, quam ei ob rabiem Teutonicam præcauendam, ad omnia prouidus quondam Paschalis Papa, homini nobili & illustri nouiter commendauerat, quamque Papa nouus (quod vtinam non fecisset, nam paulò postmodum pœnituit) reddi Terracinensibus, per nuncios, apicesque mandauit. Omnibus igitur congregatis, vndique conferebantur ab illis, quando certis temporibus Papa, & promoueri pariter, & consecrari deberet: equidem diaconus non presbyter erat.

Eodem anno 1118. moritur Quadrag. tempore Balduinus Hierosolymorum Rex dum in expeditione esset. Sepeliturque Dominica Palmarum Hierosolymis sub Caluariæ loco. Substituitur ab eo viuente Balduinus de Burgo affinis eius, miles egregius, pietate præstantior & coronatur die Paschatis.

Sed antiquus hostis, sicut fecerat olim in cœlo, pacem tantam in longum nulla durare penitùs ratione permisit. Nam dum hæc agerentur, quidam intempestæ noctis silentio ad iam fatum egregium dominum Hugonem Cardinalem directus est, ab vno videlicet, cui exinde non parua copia inerat amicorum, qui Henricum, dictum Imperatorem Romanum, armatum contra Papam ad sancti Petri porticum diceret aduentasse, quòd moraretur, non opus esse. Papa per Cardinalem præsciuit. Et sicut iam penè senio & infirmitate confectus, fugere tam repente non poterat, manibus abducitur famulorum, & sic caballo iniectus, apud Dominum Bulgamini nocte ipsa confugiens latuit. Fugimus & nos omnes cum eo. Mane autem facto turbati omnes, & stupefacti, quia neque tute manere in vrbe, neque per terram vndique spinis septam fugere poteramus, fit nempè consilium, vt fugam caperemus per mare, quod & factum est. Siquidem in flumen Tyberis maturatò intrauimus, & per galeas duas in portum vsque descendimus: ibique cælum, terra, mare, & penè omnia quæ in eis sunt, aduersum nos pariter coniurarunt. Nam cœlum graues pluuias, grandines, tonitrua, coruscationes & fulmina frequentabat; mare simul & Tyberis iam diris tempestatibus Vicario rebellabant, vt vix in portu viui remanere possemus, nedum mare intrare. Interea sæua superbia per ripam Alemanorum barbaries tela contra nos mixta toxico iaciebat: minitabantur etiam nos inter aquas natantes piceo igne cremare, nisi Papam & nos in eorum manibus dederemus. Et credo, capti essemus, nisi nox & ira fluminis illos non impediuisset. Quid ad hæc? Quid miserrimi facerent? Ceperunt, immo cepit dominus Hugo Cardinalis presbyter Papam nostrum in collum, & ad castrum S. Pauli Andream sic de nocte portauit.

Die verò altero in aurora rediere Teutonici, prædam de nobis facere gestiẽtes. Iuratum est eis tandem, quia Papa fugisset: & sic Deo gratias, recesserunt à nobis. Iterum retentauimus, si mare adhuc valeremus intrare, Papam nocte deduximus. Cùm non sine periculo maris nos fluctus attigimus: die tertio ripæ Taracinensi vix viui applicauimus, & in quarto portum Caietæ intrauimus, vbi ab illis hominibus nimis honorificè suscepti fuimus, & benignè tractati. His compertis Henricus Imp. Romam festinus aduenit, atque ad electum nuncios dirigens, petebat vt, quæ Paschalis Papa fœdera inter Ecclesiam Romanumq; Imperatorem fecerat, sua auctoritate firmaret: alioquin alium ipse in sede B. Petri constitueret. Videns electus sibi & Imperatori salua fide conuenire non posse, mare per Tyberim ingressus cum Episcopis & Cardinalibus, alijsq; Romanæ Ecclesiæ Clericis, ac Præfecto Vrbis Romæ, Caietam venit. Vbi hoc Imperatori nunciatum est, Mauricium Bracarensem Archiepiscopum à Paschali Papa depositum euestigio inuasorem Ecclesiæ Romanæ constituit. Gelasius supradi-

prædictus postquam per literas hæc omnibus fidelibus insinuasset Caietæ, & in quadragesima presbyter ordinatus, ab Episcopis & Cardinalibus in Romanum Pontificem est consecratus Apuliæ, per manus Lamberti Ostiensis, Petri Portuensis, Vitalis Albanensis Episcoporum, cooperantibus Archiepiscopis, & Episcopis multis, assistentibus alijs viris religiosis, & cum eis Vilhelmo Duce Apuliæ, Roberto Principe Capuano, Richardo de Aquila, alijsque Baronibus plurimis, qui tunc ei omnes fidelitatem fecerunt, Consistente populo & Clero infinito. Ibi Petrum Rufum diaconum Cardinalem, Baronem Subdiaconum, & me Pandulphum Ostiarium, qui hæc scripsi, in Lectorem & Exorcistam promouit, & plures alios in minoribus gradibus ordinauit. Lætum nomine Verulanum Episcopum à Domino Paschali Papa factum, & depositum, suæ dignitati ac loco restituit. Chrysogonum diaconum Cancellarium fecit, ibique per totam Quadragesimam demorantes, festiuitatem Paschæ Capuæ solemniter celebrauimus.

Nobis verò sic quomodolibet respirantibus, superuenere qui dicerent (quod Caietæ etiam per susurrum primitus senseramus) Henricum illum barbarum, quendam Mauritium nomine Bracharensem Archiepiscopum, quasi nouum simulachrum, in loco Papæ statuisse, & illum sic intrusum Papam suum, Gregorium nominasse. Ecce recidiuo vulnere recidimus in typum antiquum. Addidit inde nuntius, quod castrum prope Turriculam à fratribus Abbatiæ sancti Andreæ retentum idem barbarus obsideret. Resumpsit Papa vires, ac Duci Vilhelmo, atque Principi Capuano Roberto, alijsque Baronibus dedit firmiter in mandatis, vt omnes contra barbarum arma compararent: dixit, & factum est. Paratur Papa ad reditum, redeunt Barones cum eo; inde ad sanctum Germanum, videlicet Cassinense cœnobium deuenerunt: vbi Vilhelmum Ducem per aliquot dies expectauimus. Interim Lando dominus de Turricula, Odo, Costus, & Gilulphus fratres eius cum eo, acriter pugnabant cum Henrico Imper.

Venit Dux Vilhelmus ad Papam interea, cœperuntque reditum suum maturare. Quod Henricus persentiens infecto negotio à castello remotus, via ipsa qua venerat in Alemaniam redijt. Tunc Papa doluit multum, quod reddi nimis inconsultè præceperat Circæam arcem, quam vellet habere. Igitur Dux & Principes cum Baronibus rediere, Papa in propria sede in Campaniam veniente, sui eum non sine pretio receperunt, & ita pedetentim magis vt peregrini quàm domini. Romam sicut Dominus nouit intrauimus. Latuit dominus Papa meliùs, quàm hospitatus sit in Ecclesia quadam, quæ sancta Maria in secundo cereo dicitur, intra domos illustrissimorum virorum, Stephani Northmanni, Pandulphi fratris eius, & Petri Latronis Corsorum. Ibique de imminentibus periculis, præsertim de intrusione Burdini cum tota simul Ecclesia diligentiùs conferebat. Eum quidam de Cardinalibus Desiderius sanctæ Praxedis, cuius proximè erat festiuitas ad cantandum in ipsamet Ecclesia Missam, simpliciter quondam vespere inuitauit, sed nimium simplicius est à domino Papa concessum. Die autem crastina, etsi displicuerit plurimis, quia Ecclesia esset in fortijs Frangipanum, freti tamen Stephani Northmanni, & Crescentij Caietani eiusdem Papæ nepotis, antiquis strenuitatibus, itum est ad cantandum. Necdum adhuc celebratis officijs, ecce cum non parua manu militum Frangipanes apparent, irruunt, lapides & spicula mittunt, nostros affligunt, multique paucos atterunt. Resistit miles Northmannus, & Crescentius gloriosus cum eo, resistunt vndique nostri, vndique strati, vndique pugna grauis. Interim Papa sacris pro parte vestibus reuestitus, quantum equus poterat fugiebat per campos, quem Crucifer sequitur, sed cadit. Hunc igitur muliercula inuenit & abscondit, crucemque in sepe recondidit, & in sero reduxit. In quarta parte diei acriter est vtrinque pugnatum, cùm Stephanus Northmannus credens Papam in tuta fugisse, taliter Frangipanes alloquitur. *Quid*, inquiens, *facitis? & quo ruitis? Papa quæm quæritis, iam recessit, iam fuga elapsus est? Nunquid & nos*

perdere

perdere cupitis? Equidem Romani sumus similes vobis, & si dici liceat, consanguinei vestri. Recedite ergo, recedite, vt & nos fessi pariter recedamus. Ad hanc vocem nepos eius Frangipanis gemebundus dolens Papam eundem liberatum, cū insano fratre Cencio, alijsque recessit; redierunt & nostri, non omnes. Interim Papa vtrobique quæsitus, demum intra campos sancti Pauli Ecclesiæ adiacentes fessus, tristis, & eiulans inuentus est, & reductus. Die illa prandium cū cœna fit vnum, spem & metum animi cunctorum mutabant dolentes; & quantum ad diem per longa tempora memorabilem, consiliatum est, nox consilium diremit.

Sanè die altero hæc & illa dicentibus varijs. Papa post omnium sententias dixit. *Viri fratres & filij, sicut nec longe malum, ita nec longo opus est, nec nouo sermone, sequamur patres nostros, quoniam valde bonum est antiquos sequi parentes. Sequamur & Euangelium. Quandoquidem viuere in ciuitate ista non possumus, fugiamus in aliam: fugiamus Sodomam, fugiamus Aegyptum, fugiamus nouam iuxta verbum Propheticum Babyloniam, ciuitatem sanguinum fugiamus. Veniet, credite mihi, veniet aliquando tempus, cum vel omnes pariter, vel quos Deus permiserit, flante Austro, redibimus, & tempora meliora redibunt. Ego coram Deo & Ecclesia dico, si vnquam possibile esset, mallem vnum Imperatorem, quam tot. Vnus saltem nequam perderet nequiores, donec de illo quoque euidentem iustitiam Imperatorum omnium faceret Imperator.* Ad hæc omnes vna voce clamauere, Fiat sic, fiat, & tertio fiat. Amen.

In Gallias itaque profectus, Synodo quam apud Viennam habuit transacta, in monasterio Cluniacensi subita passione, quam Græci pleurisen vocant, correptus, vocatis suis, & fratribus multis, facta confessione, corpus & sanguinem Redemptoris accepit, ac iuxta formam monasticam strato terræ corpusculo, sancta illa anima 4. Kal. Febr. Anno 1119. carne soluta est, corpus verò intra limen Cluniacensis Cœnobij requiescit in pace. Sedit annum vnum, dies quatuor, & cessauit Episcopatus dies decem & quinque.

Epistolas scripsit quinque. *Primam*, ad Episcopos Clerum & populum Galliæ, mandans vt se contra Mauritium Bracharensem Episcopum ab Henrico Imperatore in sedem intrusum Pseudopapam arment.

II. Ad Bernardum Toletanum Episcopum Hispaniæ Primatem de Mauritio in sedem intruso.

III. Ad Clerum & plebem Romanam, qua commendat eorum constantiā, aduersus intrusum Mauritium Pseudopapam.

IV. Ad Gualterum Rauennatem Archiepiscopum, qua illius electionem post schisma eiuratum confirmat, eique pallium cum alijs iuribus concedit.

V. Ad exercitum Christianorum ciuitatem Cæsaraugustanam obsidentem, qua omnibus ad eum aliquid conferentibus indulgentiam largitur.

Primum Concilium Capuanum.

Quo Gelasius Papa II. Henricum Imp. eius nominis IV. quintum verò Regem Germaniæ, vnà cum Mauritio Burdino Antipapa, qui se Gregorium VIII. nominabat, excommunicauit. *Anno Dom. 1118.*

Secundum Concilium Coloniense.

Quo per Cononem legatum sedis Apostolicæ, excommunicatio in Henricum Imp. lata promulgatur. *Anno Dom. 1119.*

Tertium Concilium Frideslariense.

Contra eudem Henricum Imp. per eundē Cononem Prænestinum celebratū. *Anno Dom. 1119. die 26. Iunii tom. 3*

Vltimum Concilium Viennense.

In quo quid gestum sit, vel constitutum à Gelasio Pontifice fuerit, silent omnes. *Anno Dom. 1119.*

CALIXTVS II.

Gulielmi Burgundiæ Comitis filius, Henrici Imperatoris consanguineus, regiaque stirpe progenitus, in rebus sæculi strenuus, & in Ecclesia- *Anno Dom. 1119. ipsis Kal. Feb. Henr. IV. Imp. an. 9.*

Ioannis Comn. I. Quo tempore S. Norbertus Regulam S. Augustini seruandã suscipiens, collectis socijs, auctor fuit Ordinis Præmonstratensis, à loco sic dicto in quo primum monasterium extruxit. Vide Hugonem in vita ipsius & Surium to. 3. die 6. Iunij.

sticis apprimè eruditus, tertio die post obitum Gelasij, vnanimi consensu totius Cleri ac populi Romani Cluniaci in Gallijs ex Vidone Viennensi Archiepiscopo, inuitus electus est Pontifex. Qui se indignum iterato reclamans, idcirco modis omnibus resistebat, quia & incertum habebatur à multis, vtrum Romæ ratum factum huiusmodi teneretur. Propter quod vix cappa rubea amiciri sustinuit, donec nuncij redeuntes Roma per Vicarium tunc Papæ, Petrum Episcopum Portuensem, per Cardinales omnes, per dominum Petrum Leonis (nã iste nimium laborauit in verbo propter diaconum filium suum Petrum Leonis, qui potissimum in Francia id peregerat) per Præfectum & Consules, per Clerum & populum vt viua voce ac literis, electionem ipsam canonicè iureque firmarent.

Hic in somnis proxima nocte, apto satis, licet ignoto præsagio, vidit sibi à persona præpotente Lunam sub chlamyde repositam committi, ne causa Ecclesiæ transitu Apostolici periclitaret: ab ea quæ aderat Romana Ecclesia, in summum Pontificem electus, visionis veritatem enucleatius animaduertit. Quod magis magisque perspicuum reddiderunt euenta; siquidem diuturnum bellum ob inuestituras conflatum, diu multumquæ Ecclesiam fatigans & lacerans, cedente tandem Imperatore, ab eodem Calixto Papa felicissime compressum est.

Dum itaque factam electionem absentes Cardinales per literas approbassent, atque Ecclesiam S. Mauri Confessoris, translatis isthuc è Cœnobio Cassinensi corporibus SS. Antonij & Constantiniani solenni ritu Calixtus dedicasset, Cluniaco Romam reuersus, à Clero, Senatu, populoque Romano honorificè acceptus fuit. Burdinus verò Antipapa in desperationis lubrico positus Callisto aduentante, ad Sutrium confugit, eiusque se munitione continuit, sperans aliquod auxilium ab Imperatore. Interim Callistus, haud diu Romæ moratus Beneuentum direxit iter, vbi Northmannos ad expugnationem Sutrinæ munitionis hortaretur, quam anno sequenti expugnauit, & Burdinum captum camelo impositum, pelleque vrsina indutum ad Cassinense cœnobium, cum multa misit ignominia, vbi vsque ad supremum senium vitam compulsus est agere monasticam.

Anno Dom. 1123. Idem Calixtus Papa excommunicationis fulmine in Rhemensi, Lateranensi, alijsque Concilijs, sua & prædecessoris sui auctoritate congregatis, Henricum Imp. coegit, vt omne ius inuestiendi Episcopos Ecclesiæ restitueret. Atque ita hoc Pontifice auctore tandem pax optatissima inter Ecclesiam & Imperium cõposita fuit, anno plus minus quinquagesimo, ex quo inter Gregorium VII. & Henricum III. Imperatorem ingens discordia, ob beneficiorum collationem emerserat. His, & alijs rebus constitutionibusque præclaris multis, quæ in decreto Gratiani recitantur, & quodam opusculo de S. Iacobo Apostolo in lucem edito clarissimus, migrauit ad Dominum Idib. Decemb. An. Domini 1124 cum munus Pontificium administrasset annis 5. mens. 10. & dies 13. sepultusque in basilica Lateranensi iuxta Paschalem Papam.

Scripsit Epistolam *Primam*, Ad Adalbertum Moguntinum Archiepiscopum de sui creatione.

II. Ad Stehanum Cisterciensis Ordinis Abbatem, qua eiusdem monasterij capitula confirmat.

III, Ad Decanum & Canonicos Viennensis Ecclesiæ, qua illius antiqua priuilegia confirmantur.

IV. Ad Episcopos & Clerum Galliæ, de Burdino Antipapa capto.

V. Ad Henricum Imp. qua illum ob factam inuestituræ Ecclesiasticæ restitutionem & pacem cum Ecclesia initam laudat.

VI. Ad Pelagium Bracharensem Episcopum de priuilegijs eiusdem Ecclesiæ.

VII. Ad Ottonem Bambergensem Episcopum, Pomeranorum Apostolum, de priuilegijs eiusdem Bambergensi Ecclesiæ concessis.

VIII. Ad eundem Ottonem, eiusdem argumenti.

Pri-

Primum Concilium sub Calixto Papa II. Rhemense.

Propter Inuestituras Ecclesiasticas, excommunicationem Henrici Imperatoris aliasque causas à Gelasio II. indictum, sed tempore Calixti II. celebratum, vbi Rogerius in Annalibus Anglicanis scribit numeratas fuisse virgas pastorales 424. inter quos fuit Turstinus Eboracensis Archiepiscopus, qui ibidem ab Apostolico est consecratus. *Anno Dom. 1119. præsente Rege Frā. corum Ludouico & Papa Calixto.*

Secundum Concilium Lateranense I. Oecumenicum seu vniuersale Nonum approbatum, trecentorum & amplius Episcoporum.

Pro pace & concordia inter Ecclesiam & Imperium ineunda celebratum. Ibi Canones 17. sunt Constituti, quorum maximam partem Gratianus, qui hoc sæculo claruit, in suum Decretum transtulit. Paxque inter Pontificem & Imperatorem hac lege est constituta, vt scilicet Imp. liberas Clericis & Monachis relinqueret Episcoporum & Abbatum electiones; contra verò Pontifex concessit electis, vt regalia ab Imperatore acciperent, vt quæ sunt Dei Deo, quæ sunt Cæsaris Cæsari redderentur. *Anno Dom. 1122. in Quadragesima.*

Tertium Concilium Neapolitanum in Samaria.

Auctoritate Guaremundi Hierosolymitani Patriarchæ ad reformandos mores Ecclesiæ celebratum, in præsentia Balduini Hierosolymorum Regis. Et quia peccatis hominum exigentibus quadriennio continuo, terra sancta terræ motu, cladibus Christianorum, incursionibus assiduis barborum, locustarum intemperie & edacibus muribus ad ingentem famem redacta fuerat, idcirco ad morum erigendam conseruandamque disciplinam patres congregati 25. Capitula sanxerunt, vnde ingens correctio subsecuta fuit, vt testatur Baronius. *Anno Dom. 1120.*

Quartum Concilium Romanum.

Quo Cassinensis Monasterij Abbas Odericus consecratur, eiusque monachi à querela Episcoporum absoluuntur, solius Romanæ Ecclesiæ defensioni deputati. *Anno Dom 1122. Mense Martio.*

Quintum Concilium Romanum II.

Quo ob restitutam in Comitijs Vormatiensibus inuestituram Ecclesiasticam, pax inter Pontificem & Imperatorem inita confirmatur. *Anno Dom. 1123.*

Sextum Concilium Tolosanum.

Auctoritate Calixti Papæ contra quosdam hæreticos monachos, in bona Ecclesiæ & Sacramenta Ecclesiæ blasphemos celebratum; qui omnes sunt damnati. *Anno Dom. 1124.*

HONORIVS II.

Dictus antea Lambertus, Bononiæ natus, Ostiensis Episcopus, qui Vormatiensi Principum conuentu resignantem libere inuestituram Episcoporum Imperatorem Henricum IV. auctoritate Sedis Apostolicæ, cuius legatione fungebatur, vinculo anathematis absoluerat, electus est Pontifex à potentiori factione, cum iam purpura indutum Theobaldum Cardinalem presbyterum S. Anastasiæ, cæteri Cardinales Papam proclamassent & *Te Deum laudamus* decantarent Cælestini II. nomine insignitum, qui sponte parti potiori cessit. Honoriusque videns quod electio ipsius minus canonicè processerat, post duodecim dies in conspectu fratrum mitram & mantum spontè refutauit, atque deposuit. Fratres verò tam Episcopi, quàm presbyteri & Diaconi Cardinales, videntes ipsius humilitatem, & prospicientes in posterum ne in Romanam Ecclesiam aliquam inducerent nouitatem, quod perperam factum fuerat, in melius reformarunt, & eundem Honorium denuò autorizantes ad eius vestigia prociderunt, & tanquam pastori suo & vniuersali Papæ consuetam obedientiam exhibuerunt. Qui initio Pontificatus sui Oderisium iuniorem Abbatem Cassinensem contumacem & penitus refractarium, excommunicauit & deposuit. Vilhelmum Tyri Archiepiscopum ex Latinis primum, à Guaremundo Hierosolymitano Patriarcha consecratum, pallio donauit, scripsitque ad Episcopos & clericos Tyri, nec non ad prædictum Guaremundum Hierosolymorum Patriarcham

Anno Dom. 1124. 14. Decemb. Henrici IV. 14 Ioan. Comn. 6. quo tempore Balduinus Rex Hierosolymorum à Sarracenis circumuētus capitur. Quare Christiani nihil spes nisi in Deo habentes, exemplo Niniuitarum ieiuniū & pueris & pecoribus indicunt. Postea omnes ad prælium egrediuntur vixi tria millia pugnatorum. Patriarcha stabat in fronte pro vexillo ferens Crucē Dom. Abbas Cluniacensis Pontius lanceam qua latus Christi perforatum, Episcopus Betlehemiticus lac S. Mariæ Virg. in pyxide ferens. Sicque cum

40 millibus Sarracenorum congressi nemine de suis amisso 7. millia barbarorum occiderunt. Quinque millia submersi sunt in aquis reliqui per campos dissipati.

cham epistolis mandauit, vt suum illi Archiepiscopum à se iure pallij donatum benignè accipiant, & religiosè obseruent. Misit etiam cum eodem Aegidium Tusculanum Episcopum, Apostolicæ sedis legatum, virum eloquentem, & admodum literatum, per quem Antiocheno Patriarchæ Bernardo epistolam scripsit, monens vt Domino Tyrensi suos quos detinebat sub pœna suspensionis restitueret Suffraganeos.

S. Bernardum hac ætate mirabilem ac velut quoddam sydus terris illapsum: Hildebertum Turonensem Archiepiscopum Norbertum multarum gentium Apostolum; Hugonem de S. Victore Parisiensem Theologum, aliosque viros ingenio, doctrina, religione ac pietate præstantes mirificè coluit. Decreta Synodi Mamertensis, quibus duo iura Conano Comiti Britanniæ consentienti eripiebantur, rescripto quodam velut sanctè & legitimè constituta confirmauit: prauamque illam corruptelam potius quàm consuetudinem, quæ decedente marito vel vxore, vniuersa decedentis mobilia, quæque ex naufragio emerserant, non ad filios vel legitimos hæredes, sed ad fiscum transibant, magno beneficio totius Britanniæ planè abrogauit. Ottonem Halberstadensem Episcopum à suis Canonicis accusatum & conuictum, quòd pro consecratione cuiusdam Ecclesiæ triginta solidos accepisset, deposuit, eiq; Rodulphum substituit. Vilhelmo Duce Apuliæ & Calabriæ sine liberis defuncto, Rogerium Siciliæ Comitem eiusdẽ inuasorem, vi & armis coegit ad iuramentum fidelitatis more solito Ecclesiæ Romanæ præstandum. Ludouicum Crassum Franciæ Regem bonorum & iurium Ecclesiasticorum vsurpatorem, à Stephano Parisiensi Archiepiscopo iustis censuris innodatum, male informatus, ideoque à S. Bernardo binis literis grauiter satis reprehensus, absoluit. Huius tempore Tanchelinus quidam Adamitarum hæresim condens, multos Antuerpiæ sua eloquentia & sedulitate seduxit. Negabat enim corporis & sanguinis Christi perceptionem ad salutem prodesse: nihil faciebat sacerdotes & Episcopos: suis hæresibus non assentientes per suos sectatores (habebat enim circiter tria millia militum, qui eum vbique sequebantur) occidi iubebat. Ad eam hæresim ex hominum animis eradicandam illius loci Episcopus constitutus est Nortbertus Præmonstratensis Ordinis, qui suis concionibus adeo profecit, vt ferè omnes ad fidem Catholicam conuersi fuerint, adferentes in Ecclesiam corpus Dominicum, quod per decem annos in cistis ac foraminibus secluserant.

Eiusdem temporibus vniuersa ferè Pomeranorum natio à Boleslao Polonorum Duce subacta, Magnusque Gothorum Rex, prædicatione Ottonis Bambergensis Episcopi Christianam fidem complexus, in Christi castra transierunt. Cumque tandem Honorius Papa, post obitum Henrici IV. Imp. qui sine hærede decesserat, anno Domini 1125. Lotharium Ducem Saxoniæ communi Procerum consensu Regni & Imperij successorem designatum, à rebellantibus cõtra eum Henrici nepotibus ex sorore, Conrado nimirum & Friderico Sueuorum Ducibus, sententia excommunicationis in eas prolata, ab intestino bello liberasset, defunctus est 16. Kal. Martij anno 1130. cum tenuisset Pontificatum annis 5. mense vno, & diebus 17. sepultus in basilica Saluatoris.

Hic fecit ordinationes in vrbe plures, & ægrotus deferri se fecit ex Lateranensi palatio ad monasterium S. Andreæ, ibique in pace defunctus est.

Epistolam Primam scripsit, ad Petrum Cluniacensem Abbatem, de Pontij inuasoris obitu, & sepultura.

II. Ad Episcopos, Clerum, & plebem Tyri, significans se Vilhelmum Tyri Archiepiscopum electum, & à Patriarcha Hierosolymitano consecratum pallio donasse.

III. Ad Guaremundum Hierosolymitanum Patriarcham, eiusdem argumenti.

Legatus hic erat Greg. de Crescentio S. Theodori diaconus Cardinalis.

IV. Ad Bernardum Patriarcham Antiochenum, monens eum vt Tyri Archiepiscopo subditos suffraganeos restituat.

V. Ad Regem Daniæ, qua ipsi Gregorium Legatum suum commendat.

Primum Concilium sub Honorio II. Londinense.

Auctoritate Ioannis de Crema Cardinalis, & Apostolicæ sedis legati indictum, quo

quo 60. patres ad reformandos prauos Ecclesiæ mores 14. Capitula ediderunt.

Secundnm Concilium Trecense Gallicanum.

Quo Templarijs militibus, anno suæ institutæ religionis nono, vna cum Regula assignatus habitus albus, de mandato domini Honorij Papæ, (cuius legatus præsidebat Episcopus Albanensis) & Domini Stephani Hierosolymitani Patriarchæ. Postmodũ verò tempore Domini Eugenij Papæ III. cruces de pãno rubeo, vt inter cæteros essent notabiliores, mantellis suis cœperunt assuere, tam Equites, quam eorum fratres inferiores, qui dicuntur seruientes. Et breui tempore ad tantas possessiones deuenerant, vt Regijs opulentijs pares hodie (inquit Tyrius lib. 12. c. 7.) dicantur habere copias. Hi Patriarchæ suo à quo ordinis institutionem susceperunt, vt ad opulentiam deuenerunt, obedientiam debitam subtraxerunt, decimas & primitias Ecclesijs debitas persoluere noluerunt, & earum indebitè turbando possessiones, facti sunt valde molesti. Acta huius Concilij & Patres qui eidem interfuerunt, describuntur in Regula Templariorum, quam ex Bibliotheca S. Victoris Parisiensis acceptam Seuerinus Binius, huic Concilio statim subiungit.

Anno Dom. 1127.

NOTA. Habitum, opulentiam & superbiam Templariorum.

Tertium Concilium Londinense II.

Pro reformandis moribus Ecclesiæ Anglicanæ celebratum auctore Guilielmo Dorouernensi Archiep.

Anno Dom. 1127. 3. Idus Maij.

Quartum Concilium Rauennatense.

Quo Aquileiensis & Venetiarum Patriarchæ depositi sunt, per Petrum presbyterum Cardinalem tituli S. Anastasiæ Sedis Apostolicæ legatum.

Anno Dom. 1128.

INNOCENTIVS II.

Nobili familia Paparescorum Romæ natus, Gregorij nomine antea appellatus, monachus Lateranensis cœnobij sanctorum Io. Baptistæ. Io. Euangelistæ atque Pancratij. *Cuius vita & fama*, teste S. Bernardo in Epist. ad Episcopos Aquitaniæ, *nullum æmulum timent*, ex Cardinale Diacono S. Angeli, die eodem quo Honorius defunctus est, creatus est Pontifex. In cuius odium & æmulationem altera pars Cardinalium crearunt Pontificem Petrum Cardinalem presbyterum, Leonis potentissimi ciuis Romani filium, atque Anacletum II. cum nominarunt, maximoque schismati causam dederunt. Cui dum Innocentius, propter violentiam amicorum eius qui in vrbe erant, & potentiam Rogerij Siculi, cuius fauore in sedem intrusus fuerat, resistere non valeret, transcensis Alpibus in Franciam se contulit, celebratisque ibidem Rhemensi, Claromontano, & Pisano Concilijs, Antipapam eiusque fautores excommunicauit. Inde comitatu S. Bernadi Abbatis stipatus Leodium profectus, conuocata ibidem Episcoporum Synodo Lotharium Regem ad defensionem Romanæ Ecclesiæ inuitauit. Cumque ista occasione Lotharius inuestituras magno cum detrimento Imperij Ecclesiæ restitutas, sibi reddi frustra postulasset, nihilque istius à Pontifice impetrari posse cognouisset, auxilium quod petebatur promisit & attulit. Nam cum vrbem Romam vix ingressus fuisset, Rogeriũ omnesque schismatis fautores oppressit & fugauit. Cumq; Innocentium septimo anno, quam ab vrbe in Galliam & Germaniam discessisset, sedi & vrbi restituisset, in Ecclesia S. Saluatoris quæ Constantiniana dicitur, ab eodem coronatus, Imperatoris & Augusti nomen adeptus fuit.

Anno Dom. 1130. 17. Februar.

Vacante Imperio Occident, Ioan. Cõn. 12. Quo tempore Christiani in Oriente aucti nouis viribus Occidentalium (Vilhelmus siquidẽ Dux Aquitaniæ duxerat secum in terram sanctam 60. millia equitum, & multo plures pedites) obsederant Damascum, & confidentes in potentia virtutis suæ, victi imbribus nebulis ventis re infecta ad propria remearunt. Stephanoque Patriarcha mortuo sub rogatus in sedẽ Hierosolymitanam Vilhelmus Belga patria Mechliniensis. Anno 1143. Fulco Hierosolymorũ Rex lapsus equo moritur relinquens Regni successorem filium Balduinum 13. annorum sub regimine Melesendis Reginæ.

Huius temporibus Petrus Abailardus hæresiarcha Britannus, & summus Philosophus docebat, præter Deum aliquid externum, & inter creatorem & creaturam tertium aliquod esse constituendum. Christum non assumpsisse carnem vt hominem liberaret. Timorem Domini castum non esse in futuro sæculo. De Trinitate, Arium: de persona Christi Nestorium: de gratia Pelagium, deque alijs pluribus hæresibus, plures alios hæreticos sectabatur.

Hoc eodem tempore Petrus de Bruis, Sacramentarios Petrobrusianos & Apostolicos multis erroribus deformes creauit.

Hoc Pontif. sedente captum est celebrari in Ecclesia Lugdunensi Festũ Conceptionis Dei Genitricis Anno Domini 1136.

Lotharius verò post restitutum Innocentium ex Italia rediens apud Tridentum

tum morbo correptus, in ipsis montibus in vilissima casa Imperator potentissimus, miseram humanæ conditionis relinquens memoriam, anno Regni sui 13. obijt. Per electionem Principum, in conuentu Moguntiæ celebrato, designatus est successor Regni Conradus Dux Sueuorum, Henrici Imp. IV. ex sorore nepos. Anacletus quoque Pseudopontifex, octauo anno postquam sedem Apostolicam inuaserat, vita functus est. Cumque ab eo ordinatos degradari, nec vltra ad sacros ordines promoueri Innocentius Pontifex decreuisset, eius sectarij Cardinales, alium quendam Victorem IV. in schismate surrogarunt. Verùm cum pauculos menses sedem detinuisset, auctore S. Bernardo, Pontificatum vltrò resignauit. Post hæc innocentis vitæ famæque integerrimæ Pontifex Innocentius obijt 8. Kal. Octobr. Anno Domini 1143. cum sedisset annos 14. Mens. 7. dies 8. Sepultus in basilica Lateranensi.

Hic Pōtifex captus fuit in Apulia à Rogerio Siciliæ Rege Anno 1139. die 10. Iulii dimissusq; pace certis conditionibus composita 7. Kal. Augusti.

Epistolas scripsit ad diuersos. Primam Ad Raynaldum Rhemensem, Hugonem Rotomagensem, Hugonem Turonensem, Archiepiscopos, eorumq; suffraganeos de parricidio S. Thomæ.

II. Ad Petrum Abbatem Cluniacensem, qua priuilegia eiusdem Ordinis confirmat.

III. Ad Attonem Pistoriensem, de immunitate Ecclesiæ Pistoriensi concessa.

IV. Ad Vilhelmum Hierosolymitanum Patriarcham in causa Tyrensis Dioecesis.

V. Ad eundem, eiusdem argumenti.

VI. Ad Gerhardum Tripolitanum. R. Tortosanum, & H. Biblitanum, Episcopos, eiusdem argumenti.

VII. Ad Patriarcham Antiochenum, eiusdem argumenti.

VIII. Ad Balduinum Berytensem, Bernardum Sidoniensem, Ioan. Ptolomeidensem Episcopos, eiusdem argumenti.

IX. Ad Rogerium Siciliæ Regem, qua Regium titulum illi ab Honorio concessum confirmat.

X. Ad Henricum Senonensem & Rainaldum Rhemensem, de Abailardo & Arnaldo damnatis, & monasterio includendis, librisque eorum comburendis.

XI. Ad Samsonem Rhemensem, Henricum Senonensem, & Bernardum Abbatem Claræuallensem eiusdem argumenti.

XII. Ad Stephanum Ecclesiæ S. Memnij Abbatem, priuilegium eiusdem monasterij continens.

Primum Concilium sub Innocentio II. celebratum Claromontanum in Gallia.

Anno Dom. 1130.

Quo initio Pontificatus sui, pseudopontificem Anacletum excommunicauit.

Secundum Concilium Stampense.

Anno Dom. 1130.

Quo, auctore S. Bernardo, damnatur Antipapa Anacletus cum suis sectatoribus; contra verò approbatur electio Innocentij II.

Tertium Concilium Iotrinum.

Anno Dom: 1130 Præsidebat huic Cōcilio Gaudefridus Sedis Apostolicæ legatus.

Ob S. Thomam, S. Victoris Parisiensis Priorem occisum pro iustitia congregatum. Theobaldus enim Archidiaconus Parisiensis exactiones iniustas à presbyteris exigebat, cui rei opposuerat se hic Sanctus, & propterea in itinere à nepotibus Archidiaconi occisus est. Cuius Epitaphium vide apud Seuerinum Binium parte secunda Tomi tertij Conciliorum.

Quartum Concilium Rhemense.

Anno Dom. 1131. Interfuit huic Concil S. Norbertus Ep. Magdeburgensis & S. Bernardus Abbas

Quo Innocentius Regem Ludouicum viuente patre coronauit, & Pseudopontificem Anacletum vnà cum schismaticis fautoribus excommunicauit, præsente Ludouico Crasso Rege Franciæ 14. Kal. Nouembr.

Quintum Concilium Leodiense.

Anno Dom. 1131.

In quo Otto Halberstadensis Episcopus ab Innocentio Papa pristino honori restituitur, & Antipapa Anacletus condemnatur in præsentia Lotharij Regis Germaniæ, qui promissione Imperialis coronæ à Pontifice accepta, auxilium ei

parat

parat ad tyrannidem Apostolicæ sedis inuasorum comprimendam.

Sextum Concilium Moguntinum.

In causa Brunonis Argentinensis Episcopi, qui Episcopatum violenter inuasum resignauit in manus Cardinalis Matthæi Episcopi Albanensis Legati Apostolici, præsente Lothario Rege.

Anno Dom. 1131

Septimum Concilium Placentinum.

Aduersus Anacletum Antipapam celebratum, cum iam e Gallia Innocentius reuerteretur.

Anno Dom. 1132.

Octauum Concilium Pisanum.

Itidem contra Pseudopapam indictum, qui ob parentelæ suæ fortitudinem tunc apud S. Petrum commorabatur. Et plurimos à Synodo reuertentes Episcopos & Abbates vulneratos & captos in carcerem coniecit. Innocentius verò inuasore sedis anathematizato, Alexandrum Leodiensem Episcopum de Simonia accusatum Episcopatu deposuit. Quo ille duro nuncio percepto statim præ amaritudine animæ expirauit, vix sacramentis perceptis, & regulari vita ad S. Aegidium promissa.

Anno Dom. 1134. S. Bernardus Abbas in hoc Concilio adfuit omnibus consiliis, iudiciis & definitionibus.

Nonum Concilium Northamtoniense in Anglia celebratum.

Cui præsidebat, in præsentia Stephani Regis Eboracensis Archiep. Turstanus, in quo viduatis pastoribus suis Ecclesijs dati sunt Episcopi & Abbates, disciplinaque clericorum reformata.

Anno Dom. 1138. 4 *Idus* April.

Decimum Concilinm Londinense.

Sub præsidio Alberici Ostiensis, Apostolicæ sedis legati celebratum ab Episcopis Angliæ. Vbi post multarum discussionem causarum, promulgata sunt capitula 16.

Anno Dom. 1138. 13. *Decembr.*

Vndecimum Concilium Lateranense Generale Decimum approbatum. mille circiter Patrum.

Pro iure cleri contra Anacletum & Victorem Antipapas, eorumque fautores celebratum ab Innocentio II. vbi etiam conscripti sunt pro moderatione Ecclesiæ Canones XXX. quos ferè omnes Gratianus in suum Decretum intulit. In hoc eodem magno Concilio condemnatus est Arnaldus hæreticus patria Brixiensis, discipulus Petri Abailardi Britanni. Qui præter diuersos in religione & fide Orthodoxa errores, etiam antiquum Senatum in Vrbe Roma renouare voluit, cui summam rerum committeret, & Italiam primum, postea orbem subiugare studuit; iamque seducta multitudine bellum Tiburtinis indixit & gessit. Sed postea de Italia fugiens ad Transalpina se contulit, & ibi paucos intra annos perijt.

Anno Dom: 1139. *Media Quadragesima tempore Conradi Regis Germaniæ, Præcipuè autem in hoc Concilio statutum est. Ne quis in prædiis Sacerdotalibus sibi successorem constituere possit. Item statutum est, ne cui liceret Clero manum intêdere, eumq; qui secus faciat excommunicandum esse, nec absoluendum nisi à Romano Pontif.*

Duodecimum Concilium Vintoniense in Anglia.

Pro immunitate Ecclesiastica, contra Regem Stephanum celebratum, qui Castella Ecclesiæ inuaserat, & Episcopos nonnullos carceribus mancipauerat.

Anno Dom. 1139. 8. *Kal. Iulii.*

Tredecimum Concilium Suessionense.

Auctoritate Legati sedis Apostolicæ contra Petrum Abailardum sub Ludouico seniore Francorum Rege celebratum. Is erat monachus Benedictinus in monasterio S. Dionysij, hæresim Sabellianam docere cœpit: quare libros quos ediderat de Trinitate propria manu ab Episcopis igni dare coactus est. Dicebat enim ille Sophista. *Sicut eadem oratio est, propositio, assumptio, & conclusio, ita eadem essentia est, Pater, & Filius, & Spiritus S.* Iussus autem recitare Symbolum Beati Athanasij, illud inter singultus & lachrymas legit. nulla sibi respondendi facultate concessa, eò quòd disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur.

Anno Dom. 1136.

Quatuordecimum Concilium Senonense.

Contra eundem Petrum Abailardum celebratum in præsentia Ludouici Regis Iunioris. Vbi à S. Bernardo conuictus hæreseos ad sedem Apostolicam appellauit. Sed damnati fuerunt errores ipsius.

Anno Dom. 1140.

Quindecimum Concilium Vintoniense II.

In causa Anglicani Regni celebratum auctoritate Theobaldi Archiepiscopi

Anno Dom. 1142.

Feria 2: post octauas Paschæ.

Cantuariensis, quod nimirum ius potissimum spectaret ad Clerum eligendi Regem, quia tunc Henricus Rex sine prole mascula decesserat.

Sexdecimum Concilium Antiochenum.

Anno Dom. 1142. Pridie Kal. Decẽbr.

Contra Radulphum Patriarcham Antiochenum, sub præsidio Alberici Hostiensis Episcopi, legati sedis Apostolici celebratum. Cui Simonia & incontinẽtia obijciebatur ab Archidiacono Lamberto: quare depositus de sede, in castro Harenc præ mœrore animi expirauit, quòd miserabiliter à Principe Antiocheno Vinculis ligatus, & in carcere apud monasterium S. Simeonis iuxta mare in monte eminentissimo detentus fuisset, vnde elapsus Romam profectus fuerat, & gratiam sedis Apostolicæ assecutus, reditum maturabat in Diœcesim: alij dicunt veneno à ministro suo interfectum esse.

Decimumseptimum Concilium Hierosolymitanum.

Anno Dom. 1143 Tertia post sanctũ Pascha die in primitiua & Ecclesiarũ matre sancta Syon.

Sub eiusdem legati Apostolici præsidio, contra Armenorum in fide errores celebratum: & in multis facta est correctio. Armeniorum verò Pontifex, nomine Maximus Cappadociæ, Mediæ, Persidis & vtriusque Armeniæ Primas, vir Catholicus Synodo peracta, ad Innocentium Romam profectus est.

Anno Dom: 1143 Conradi Regis Germaniæ an. 5. Manuelis Imp. anno 1. cui Conradus Rex matrimonio iunxit sororẽ coniugis suæ.

COELESTINVS II.

Natione Tuscus, Guido antea vocatus, ex presbytero Cardinale tituli S. Marci, iuxta constitutionem Innocentij prædecessoris sui, qua populus omnino à Pontificis electione arcebatur, primus sine vllis populi suffragijs, creatus est Pontifex, die eodem quo Innocentius II. è viuis decesserat, ad euitandum ciuile bellum, quod à Romanis Senatum restituere satagentibus imminebat. Hic Vilhelmum Eboracensis Ecclesiæ Thesaurarium, hominem tunc temporis improbum in sedem Eboracensem bis intrusum, & ab Innocentio damnatum atque fugatum, per surreptionem Ecclesiæ Eboracensis Episcopum ordinauit & consecrauit, & contra S. Bernardum hac de re grauiter conquerentem defendit. Cumque mensibus quinque & diebus 13. Pontificatum tenuisset, obijt Anno Domini 1144. 8. Idus Martij & sepultus est in basilica Constantiniana.

Concilium Londinense sub tempus Pontificatus Cœlestini II. celebratum.

Anno Dom. 1143. In media quadrag.

Auctoritate Vilhelmi Vintoniensis Episcopi legati sedis Apostolicæ Rege Stephano præsente: in quo sancitum est, ne qui alicui clerico violentas manus iniecerit, ab alio possit absolui, quam ab ipso Papa, & in præsentia ipsius. Antea enim nullus honor Ecclesijs, Episcopis, atque Clericis à raptoribus deferebatur: sed æquè capiebantur & redimebantur Clerici, vt laici, & in vinculis detinebantur. Et sic miluorum rapacitas in Anglia aliquantulum conquieuit.

Anno Dom 1144. Martii 12. Conradi Regis Rom. 6. Manuelis Imp.

LVCIVS II.

Cui Gerardi nomen fuerat, patre Alberto ciue Bononiense ex Caccianimica familia genitus, vir pro mansuetudine & humilitate sua, officio sacerdotali dignus, ex Cardinale tituli S. Crucis in Hierusalem, factus est Pontifex. Hic assumptus erat à Honorio II. in titulo S. Crucis, & creatus Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, suamque Ecclesiam sicut bonus pastor, tàm in ædificiis, quàm in possessionibus multum ac plurimum augmentauit, & diuitem de pauperrima fecit. Fabrica autem ipsius Ecclesiæ à summo vsque deorsum in melius reformata, & claustrũ cum omnibus officinis de nouo ædificauit, & Conuentum ibidem Canonicorum Regularium, Deo auctore, constituit. Hunc autem præclarum virum, pro scientia & vitæ suæ meritis Papa Innocentius post mortem Haimerici Cancellarii arctius sibi astrinxit, & Cancellarium Apostolicæ Sedis constituit, atque in obitu suo tanquam præcipuo & digniori Ecclesiæ membro, bona Ecclesiæ commisit. Qui sedem Papalem adeptus, grauem à ciuibus persecutionem passus, (qui de die in diem animam iusti affligere non timuerunt, & Senatoribus quos ante instituerant, Patricium adiecerunt, Iordanem Petri Leonis filium ad eam dignitatem eligentes, reposcentesque omnia regalia tam in vrbe, quàm extra posita

Huius Pontificis tẽpore Alfonsus Portugaliæ dux pietatis ergo suum ducatum constituit Romana Ecclesia vectigalem annuo censu vnciarum auri quatuor.

poſita à Pontifice ad ius Patricij ſui, Pontificem verò antiquorum ſacerdotum more, de decimis tantum & oblationibus ſuſtentari oportere dicentes) humiles ad Regem Conradum, tam ſuam oppreſſionem continentes, quam de incolumitate & proſperitate eius Deo gratias agentes, ipſumque ad patrocinium Romanæ Eccleſiæ inuitantes literas mittit; & ipſe tanquam vir prudens & fortis, habito cum Eccleſiæ fidelibus conſilio, Senatores, qui contra prohibitionem prædeceſſoris ſui Papæ Innocentij Capitolium conſcendere, Senatum abiurare cogit; Cumque eos ad noua ſtudia concitatos à Capitolio depellere conaretur, incerto lapidis ictu percuſſus ægrotare cœpit, atque tædio affectus breui ex hac vita migrauit Anno 1145. quinto Kal. Martij, cum ſediſſet menſes vndecim, dies verò. 14. Sepultus in baſilica Lateranen.

Scripſit Epiſtolam Primam. Ad Petrum Cluniacenſem Abbatem, de ſua ægritudine, & treuga ſeu inducijs cum Rege Siciliæ initis.

II. Ad Regem Conradum contra Romanos, rebelles Eccleſiæ, patrociniũ ab eo poſtulans, & ſuam oppreſſionem deſcribens.

III. Ad Raymundum Toletanum, de primatu Toletanæ Eccleſiæ.

EVGENIVS III.

Natione Piſanus, vir religione ac ſanctitate conſpicuus, & prudentia in negotijs obeundis locuples, electus in Pontificem repente poſt obitum Lucij, ob periculum tumultuantis populi, à Cardinalibus quidem, ſed non ex Cardinalibus; verùm ex monachis Ciſtercienſibus, quorum Abbas fuerat in monaſterio S. Anaſtaſij Trium Fontium in Vrbe. Et ſtatim deductus eſt ad Lateranenſe palatium, & in Apoſtolca ſede ſecundum morem poſitus eſt, & nominatus Eugenius III. cui primo nomen Bernardi erat. Qui cum proxima die Dominica conſecrationis munus apud S. Petrum, ſicut conſuetudinis ordo poſcebat, & diſpoſitum fuerat, deberet ſuſcipere; præcognito Senatorum peruerſo conſilio, quo eius electionem violenter retractare diſpoſuerat, niſi eorum voluntatem faceret, & vſurpatum Senatum eis Apoſtolica authoritate confirmaret, noctis ſilentio Vrbem cum paucis fratribus exijt, & ad arcem Monticelli ſe in tutum recepit. Congregatis verò alia die cunctis patribus, qui diſperſi fuerant propter metum furentis populi, proceſſit ad Farfenſe monaſterium in Sabinis poſitum cum domeſtica familia, & conſecrationis gratiam in ſequenti Dominica, pro plenitudine ſui Apoſtolatus, ſecundum morem Eccleſiæ ſuſcepit. Inde Viterbium progreſſus, per aliquod tempus ibi moram fecit. Romanus verò populus cum Patricio ſuo Iordane in furorem verſus, deprædatis & demolitis domibus Cardinalium omnes principes ac nobiles ex ciuibus ad ſubiectionem Patritij compellunt, Præfecturæ dignitatem abolentes. Et Eccleſiam B. Petri incaſtellare ſacrilegè non metuunt. Quos Pontifex cum ſuis fautoribus anathemate percuſſos, militia ſua Tyburtinis Romanorum antiquis hoſtibus adiuncta paucos intra dies coercuit, & pacem ad extremum petere coegit. Quam pacem eo tenore dedit, vt Patritiatus dignitatem exfeſtucarent, & Præfectum in priſtinam dignitatem reciperent: Senatores autem ex eius auctoritate tenerent. Sicque in vrbem rediens Natiuitatem Domini ibidem celebrauit. Dum autem Viterbij conſiſteret, Orientales ex Armenia atque Syria legationes accepit, qui laborioſum iter ſuum per annum & ſex menſes complentes, ex parte Eccleſiæ illius ſubiectionem omnimodam Sedi Apoſtolicæ reddiderunt; & quia inter ipſos & Græcos quædam de ritu ſacrificij diſcrepantia erat, Romanam Eccleſiam iudicem eligentes, conſilium & determinationem petierunt, formamque ſacrificij iuxta conſuetudinem Latinorum habere voluerunt. Quos Pontifex Romanus gratanter ſuſcipiens, Miſſarum ſolennijs ac ſacrificijs ſecretis adhibuit, diligenterque ea quæ fiebant ibidem eos animaduertere monuit. Qui dum facerent, intentique ſacro altari aſtarent, vnus ex eis Pontificali dignitate præditus, ſicut poſtmodum in plena Curia retulit, in B. Martini octaua

Papa num. 66. Anno Dom. 1145. Febr. 27. Conradi Regis Roman. 7. Manuelis Imp. 3. qui immobiles poſſeſſiones non permittebat habere monachis ſed ex fiſco tantum pendi iuſſit quantũ ad victum & cultum opus eſſet.

quando dedicatio Ecclesiæ Beati Petri celebrari solet, Summo Pontifice diuina mysteria agente, splendido fulgore radium Solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes vidit. Cumque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur inueniret: Deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat aperuit. At venerabilis Pater, non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cœlitus hoc sibi monstratum affirmabat. vt videlicet Ecclesia, à qua ipse missus fuerat, sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, at deinceps quasi ea reuerentia & forma tractare deberet, ad disceret. Retulit etiam præfatus Episcopus, quod in confinio Armeniæ quædam gentes essent, quæ fœtus suos fœtentes generarent, eosque statim ad aquas Armenorum lauandos transmitterent. Quos cum illi baptismatis vnda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remissi, ad paganismum & spurciciam redibant. Quod vtrum faciendum esset, item Romanam Ecclesiam consuluerunt.

NOTA. Hoc Pontifice sedente Gratianus Monachus Ordinis S. Benedicti, natus in Tuscia ciuitate Clusio dicta, religionem vero professus Bononia in monasterio S. Felicis, collegit ampliori studio librum Decretorum, & per distinctiones ac quæstiones ritè disposuit Anno Dom. 1151.

Vidimus etiam ibi (inquit Otto Frisingensis) tunc prætaxatum de Syria Gabulensem Episcopum, cuius præcipuè opera ad plenum Antiochia Romanæ sedi subesse cœpit, tam de Patriarcha suo Antiocheno, & de Principis matre Balduini Hierosolymitani quondam Regis filia querimoniam facientem, quam de spolijs Sarracenis ablatis, iure antiquitatis exemplo Abrahæ decimas (qui eas Deo recognoscens victoriam, de suis spolijs Melchisedec dedit) exigentem, ac super hoc Apostolicæ sedis auctoritatem requirentem. Audiuimus eum periculum transmarinæ Ecclesiæ post captam Edessam lachrymabiliter conquerentem; & ob hoc Alpes transcendere ad Regem Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio volentem.

His auditis Eugenius Papa, non curans quæ sua essent, sed quæ Dei esse sciret, non ad sui liberationem exilij aduersus Romanos, occidentalium Christianorum Principum arma conuertenda putauit, sed aduersus Sarracenos res Christianorum in Oriente inuadentes & possidentes, fore mouenda omni conatu, Pontificia auctoritate laborauit, primum omnium scribens ad Ludouicum Francorum Regem. Perfacile namque fuit ad religiosum opus impellere ipsum, qui iam venerat eandem inire ad sacra loca peregrinationem. Dum enim Ludouicus occultè Hierosolymam adeundi desiderium haberet, eo quod frater suus Philippus eodem voto astrictus, morte præuentus fuerat, diutius protelare nolens propositum, quibusdam ex Principibus suis vocatis, quid in mente volueret, aperuit. Erat tunc temporis in Gallia cœnobij Clareuallensis Abbas quidam Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia, literarumque scientia præditus, signis & miraculis clarus. Hunc Principes vocandum, ab eoque quid de hac re fieri oporteret, tanquam à diuino oraculo consulendum decernunt. Ille de tam, grandi negotio ex propriæ auctoritatis arbitrio responsum dare friuolum iudicans, vt ad Romani Pōtificis audientiam & examen deferatur, optimum esse respondit. Itaque missa ad Eugenium legatione, totum illi negotium aperitur. Qui antecessorum suorum exempla reuoluens, quod videlicet Vrbanus huiusmodi occasione transmarinam Ecclesiam, duasque Patriarchales sedes, Antiochiam & Hierosolymam, ab obedientia Romanæ sedis scissas, in pacis vnitatem receperit, votis prædicti Regis, pro dilatando Christianę religionis ritu annuit; auctoritate prædicandi, animosque cunctorum ad hoc commouendi, prænominato Abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos, vt Propheta, vel Apostolus habebatur, concessa.

Dum itaque Eugenius laborat pro liberatione Terræ sanctæ, Deus expugnat inimicos eius, Romanos ipsos per Tiburtinos, vt pace ab eo accepta ipsum in vrbem reciperent honorifice, vbi Natalem diem Domini solemniter celebrauit. Deinde Parisios veniens, consecrauit Petrum quendam, Aimerici Ecclesiæ Ro-

Romanæ Cancellarij nepotem, in Archiepiſcopum Bituricenſem, contra Ludouici Regis Franciæ voluntatem. Quod Rex in iniuriam ſuæ dignitatis factum vehementer indignans, propoſitis publicè ſacroſanctis reliquijs, in præſentia multorum iurauit: quod Archiepiſcopus præfatus, quamdiu ipſe viueret, ciuitatem Bituricam non intraret. Sic per triennium Regis perſona ſubiacuit interdicto. In quācumque ciuitatem, vicum vel caſtellum intrabat, ſuſpendebatur celebratio diuinorum. Tandem Bernardo Abbate Clareuallenſi perſuadente, ad hoc eſt cor Regis inclinatum, vt Archiepiſcopum reciperet, & pro tranſgreſſione periurij, Hieroſolymam ſe promitteret profecturum. Igitur per totam Galliam fit exactio generalis, nec genus vel ordo, aut dignitas quempiam excuſauit, quin auxilium Regi conferret. Ad inſtantiam S. Bernardi Papa Vilhelmum Eboracenſis Eccleſiæ inuaſorem, per obreptionem à Cœleſtino defenſum, damnauit & relegari mandauit.

Treuiros cum octodecim Cardinalibus ad Synodum venientem Pontificem per tres menſes proprijs ſumptibus Adelbertus loci illius Archiepiſcopus munificentiſſimè aluit. Qui Per S. Bernardum impetrauit à Conrado Imp. & Ludouico Francorum Rege, vt Chriſtianis in Aſia contra Alcoraniſtas Machometanos opem ferrent, & contra Sarracenos expeditionem ſuſciperent.

Cum autem in Italiam reuerſus Tibur in amœnum ſeceſſum ſe contuliſſet, mortuus eſt Anno Domini 1152. Octauo Idus Iulij, cum ſediſſet annos 8. menſes 4. dies 13. Creauit presbyteros vndecim, Epiſcopos 61. Tibure in Vrbem cum totius Cleri, & populi Romani frequentiſſima turba, maximo luctu, communique omnium immenſa triſtitia deportatus eſt, & in ipſa B. Petri Eccleſia coram maiori altari tumulatus eſt.

Eugenius iterum à Romanis Arnaldiſtis exagitatus vrbe pellitur primoq: ſe continet in arce S Angeli, quam filij Petri Leonis poſſidebant, poſtea Tibur ſeceſſit, vbi & vitam obijt.

Scripſit Epiſtolas X. *Primam*. Ad Ludouicum Regem Galliarum de expeditione in Terram ſanctam ſuſcipienda.

II. Ad Theobaldum Cantuarienſem Archiepiſcopum, de controuerſia inter Cantuarienſem, & Bernardum Epiſcopum S. Dauidis de iure Metropolitano.

III. Ad Hildegardem Abbatiſſam, monens eam vt per humilitatem ſtudeat donum prophetiæ conſeruare.

IV. Ad vniuerſum Clerum Romanum, vt Capellani promittant obedientiam Rectoribus Titulorum, ſiue Eccleſiarum.

V. Archipresbytero tituli S. Marci, de eodem.

VI. Ad Conradum Regem Romanorum qua Hieroſolymis reuerſum ob tribulationes ipſi & exercitui eius irrogatas conſolatur.

VII. Ad Elgebertum Epiſc. & Canonicos Bambergen de Henrici Imp. ſanctitate, miraculis, & Canonizatione.

VIII. Ad Epiſcopos Germaniæ, improbans tranſlationem Epiſcopi Cicenſis in Magdeburgenſem Archiepiſcopatum.

IX. Ad Canonicos S. Petri Romæ, de quarta parte oblationum ipſis conceſſa.

X. Ad Arnoldum Archiepiſcopum Colonienſem, de iurium & priuilegiorum multorum Archiepiſcopo & Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis presbyteris Canonicis ante diu conceſſorum confirmatione.

Conradus Rex Roman. an. 1149. Hieroſolymis rediit exercitu perdito euētibus contrariis & viribus militaribus conſumptis nullaq; re præclara in illa expeditione facta. Qui anno eodem quo in Germaniam rediit 15. Kal. Mar: non abſque ſuſpicione veneni propinati ſuaſionæ Rogerii Siciliæ Regis à medicis quos ex Italia acceperat. Cui ſucceſſit Fridericus ex fratre nepos Dux Sueuorum.

Primum Concilium ſub Eugenio III. Vezeliacum.

Pro expeditione contra Turcas in Burgundia celebratum, præſide ipſo Papa, & præſente Ludouico Rege, cum Alcorana Regina, alijſque Regni Principibus, qui poſt habitam orationem à Diuo Bernardo Crucem accipiunt, ſacram militiam profeſſi.

Anno Dom. 1145.

Secundum Concilium Carnotenſe.

Pro expeditione in terram ſanctam ſuſcipienda indictum, Rege Ludouico præſente cum ſuis Principibus, qui vnanimi conſenſu S. Bernardum Abbatem Ducem & principem militiæ elegerunt; ſed noluit ſtrepitui armorum ſe miſcere

Anno Dom. 1146. Tertia Dominica poſt Paſcha.

vir sanctus & religiosus.

Tertium Concilium Parisiense.

Anno Dom. 1147. Contra Gilbertum Porretanum, Pictauiensem Episcopum congregatum, præsidente summo Pontifice Eugenio, qui subtiles propositiones Gilberti de Trinitate publice examinatas, reiecit pro decisione ad Concilium Rhemense.

Quartum Concilium Rhemense.

Anno Dom 1148. Contra Eon hæreticum, qui dicebat se esse filium Dei, per quem omnis oratio concluditur, cùm dicimus, *Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos.* Item contra assertiones Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis, alijsque de causis indictum & celebratum, præsente Pontifice Eugenio, qui cum Patribus Cōcilij septemdecem Canones pro moderamine Ecclesiæ conscripsit. Eon vero vir rusticanus & illiteratus cum suis discipulis, (quorum vnum vocabat Sapientiam, alterum scientiam, tertium Iudicium, & in hunc modum cæteros) digno supplicio est affectus. Gilbertus verò correctus & admonitus. Sed nulla pœna mulctatus fuit. Alias, si conuictus fuisset hæreticus, ex præscripto sacrarum legum omninò priuatione Episcopatus mulctatus fuisset.

Quintum Concilium Treuirense.

Anno Dom. 1148. In causa S. Hildegardis Abbatissæ in monte S. Ruperti celebratum præsidente Eugenio Papa, qui persecutionem Romanorum declinando in Gallijs morabatur. Et in illa Synodo examinatis reuelationibus & prophetijs sanctæ illius Virginis, literis eam salutatorijs visitauit, in quibus ei licentiam auctoritate Apostolica proferendi & scribendi quæcunque per Spiritum S. cognouisset, gloriose concessit, eamque vt sine timore reuelata sibi conscriberet, animauit.

Vltimum Concilium Floridanum in Gallia.

Anno Dom. 1151. Ob causam diuortij inter Ludouicum Francorum Regem & Elionoram filiam Ducis Aquitaniæ congregatum. Et quia proxime se cognatione contingebant, ideo per consensum partium matrimonium fuit dissolutum.

Anno Dom. 1153. Friderici Regis Romanorum 2. Manuelis Imp. 12. Quo tēpore obiit S. Bernardus Abbas annorū 63. Qui viuens 160 monasteria Cisterciensium diuersis in locis erexit.

ANASTASIVS IV.

Natione Romanus, ex regione Sabura, filius Benedicti, antea vocatus Conradus, Canonicus Regularis, & Cardinalis Episcopus Sabinensis, homo, inquit Frisingensis, veteranus & in consuetudine Romanæ Curiæ exercitatus, ad supremum Ecclesiæ gradum summa concordia euectus. Sedit anno vno mensib. 4. & diebus 24. Hic Ecclesiæ *Lateranensi* calicem magni ponderis obtulit, amator & nutritius pauperum, non tantum apud S. Mariæ rotundæ templum elegantissimas ædes, & magnificentissimum palatium extruxit; verum etiam tempore famis qua tota fere Europa conflictabatur, egenis etiam extra Vrbem Romam degentibus, victum largissimè suppeditauit. Eius tempore floruerunt *Richardus* de S. *Victore*, Gratianus Decreti compilator, Petrus Lombardus & Petrus Comestor, duo insignes Theologi. Obijt Anastasius Romæ 4. Non. Decemb. & in Laterano sepultus 1154.

Anno Dom. 1154. 5. Decembr. Friderici Regis Romanorum 3. Manuelis Imp. 13.

ADRIANVS IV.

Natione Anglus, de Castro S. Albani Nicolai nomine ante Pontificatum appellatus, Ecclesiæ Cardinalis Episcopus Albanensis, in Noruegiam ab Eugenio missus, postquam fidem Christi ibi propagasset, gentemque barbaram conuertisset Romam reuersus. Vir valde benignus, mitis, ac patiens, in Græca & Latina lingua præcipuus, sermone facundus, eloquentia politus, in cantu Ecclesiastico excellens, prædicator egregius, ad irascendum tardus, ad ignoscendum velox, hilaris dator, eleemosynis largus, & in omni morum compositione præclarus. Huius tempore Romani Arnoldi Heresiarchæ sectarij, Gerardum Cardinalem presbyterum tituli S. Prudentianæ, ad Pontificem euntem in via aggressi ad mortem vulnerarunt: qua de causa ciuitas interdicto subiecta, non prius est absoluta, quam Arnoldum eiusq; sectatores mœnibus & imperio

vrbis eliminarent, (Hic enim author fuerat Romanis vt excusso iugo Pontificum, Senatum consluerent, qui antiquorum Senatorum more Italiam gubernarent, Pontifice omnibus possessionibus spoliato.) Quod cum præstitissent, sublata est censura Interdicti, ipsique ciues participationi sacramentorum restituti fuerunt. Hæresiarcham Arnoldum, qui Senatus auctoritate in vrbe muniebatur, ab vrbe relegatum, in finibus Tusciæ apud Otriculos, qui eum tanquam Prophetam in terra sua omni honore colebant, per Gerardum Cardinalem S. Nicolai captum, & à Vicecomitibus Campaniæ è manibus eius abreptum, instantia Pontificis per Fridericum adhuc Regem, sumpto de Vicecomite vno graui supplicio, alijsque fugatis, Pontificiæ iurisditioni restitutum, tandem vrbis Præfectus à Papa in vrbe existente requisitus ligno adegit, ac rogo in puluerem redacto funere, ne à stolida plebe corpus eius venerationi haberetur, cinerem in Tiberim immisit. Guilhelmum Siciliæ Regem, qui literas Pontificias, ideo quod Regis titulo inscriptæ non fuissent, & legatum reiecerat, anathematis vinculo innodauit. Intelligens Regem Fridericum multis stipatum copijs in Italiam intrasse, eidem obuiam processit, & Sutrium vsque profectus, à Rege ex equo descendente, debito honore exceptus est, à quo Romã veniens coronam Imperialem accepit. Vrbem Tiburtinorum qui se Imperatori dediderant, nulla interiecta mora, idem Imperator, quia Ecclesiæ esse patrimonium intelligebat, Pontifici restituit, ac tum in Germaniam reuersus est. Exinde Beneuentum à primoribus Regni vocatus sese contulit, & potissimam partem è manibus Guilhelmi Siciliæ Regis recuperauit. Ibi moram trahenti Imperatori Græcorum per legatos 50. millia librarum auri Pontifici obtulit, addita promissione, se Guilhelmum ex Italia abacturum suis stipendijs, interea si tres in Apulia vrbes maritimæ dederentur. Eo nuncio Guilhelmus percitus, cum Pontifice amicitiam componere per sequestros tentauit; omniaque quæ occupauerat, imò multo plura se redditurum promisit, si titulo Regni vtriusque Siciliæ insigniretur. Petitioni Regis initio statim Pontifex detulisset, si Cardinalium pars maxima illud non dissuasisset. Sed cum Guilhelmus cum valido exercitu Apuliam omnem sibi subiecisset, renitentibus Cardinalibus Adrianus indignatus, omnia vt petierat, ex sententia Guilhel. permisit, titulosque prædictos attribuit. His ita compositis, Adrianus Oriuetum concessit, quod Romanorum Pontificum primus sua habitatione nobilius reddidit. Romam reuersus cum Friderico Imp. ob non vindicatam iniuriam Londinensi Archiepiscopo illatam, expostulauit per literas, ex quibus male intellectis orta est illa inter Adrianum & Fridericum de Imperio periculosa disceptatio, quam Radeuicus prolixè describit. Sedata est discordia, quando Pontifex per secundam epistolam declararat, se per beneficij collationem nihil aliud, quam Imperialem coronationem, eique impartitam consecrationem intellexisse. Resuscitata verò fuit, quando recusaret Pontifex confirmare, quem Imperator Rauennatem Episcopum constituerat. Cumque Romæ agens à ciuibus inquietaretur Anagniam redijt, vbi post breue temporis interuallum ex morbo squinantiæ obijt. Kalendis Septembris, postquam in officio Pontificali quatuor annis & decem mensibus laudabiliter se gessisset. Eius corpus ad vrbem delatum proximè apud sepulchrum Eugenij conditum est.

Vilhelmus autem Rex Siciliæ, Papã cum suis Cardinalibus Beneuenti obsedit, maximisque affecit molestiis, cũ & victus deficeret & metus mortis omnibus imminere, iniquis conditionibus se liberare debuit, quales nullus hactenus Pontifex à quibusuis implacabilibus Romanæ Ecclesiæ hostibus suscipere coactus fuerat.

Illud Adrianus reliquit posteris admirandum exemplum, quod nec obulum quidem erogarit in suos propinquos, adeò vt nec matri ipsi aliquid voluerit impendisse, quam eleemosynis Cantuariensis Ecclesiæ (teste Saresberiense, Epist. 24. ad S. Thomam,) alendam reliquerit.

Henricus Rex Angliæ vbi accepisset Adrianum gentilẽ suum creatum esse Romanum Pontif. ipse prior literas ad eum dederat, quibus Papa hac sua Epistola respondet.

Scripsit Epistolas aliquot, & Primam quidem ad Henricum Regem Angliæ, qua concedit priuilegium ad Hyberniam occupandam.

II. Ad Fridericum Imper. qua cum eo ob non vindicatam iniuriam Londidensi Archiepiscopo illatam expostulat, quæque non benè intellecta supra memoratæ discordiæ occasionem dedit Imperatoriæ.

III. Ad Episcopos Galliæ & Germaniæ, qua petit Fridericum corrigi, & ad restitutionem honoris induci.

IV. Ad Fridericum Imp. prioris epistolæ de collatione beneficij interpres, & pacis reconciliatrix.

V. Ad eundem Imper. qua Guidoni Rauennati Archiepiscopo confirmationem denegat.

Respondit Archiep. Thessalo. Papæ se non esse abscissum ab Ecclesia Catholica vnitate, licet quibusdam ritibus discreparet Orientalis Ecclesia ab Occidentali:

VI. Ad eundem, de duplici iniuria Sedi Apostolicæ per ipsum illata.

VII. Ad Basilium Thessalonicensem Archiepiscopum pro Græcorum concordia.

VIII. Ad Guilhelmum Regem Siciliæ, de titulo Regni, alijsque priuilegijs ab eo per vim & metum extortis.

IX. Ad Rectores Romanæ fraternitatis, vt Capellani promittant obedientiam Rectoribus titulorum.





LIBER XXI.

I quando dissensiones, schismata, & totius Christianitatis turbolentiæ maiores fuerunt, quæ velut fluctus ingentes maris nauiculam Petri, vndique operiebantur, tum his præcipuè temporibus, cum Adriano IV. rebus humanis sublato, in locum ipsius successisset Alexander III. Fridericus siquidem Imperator ex altercatione illa quam cum defuncto Adriano susceperat, à peruersis, & ambitiosis hominibus concitatus, adeò pertinaciter se, in res Ecclesiasticas immiscere cupiebat, vt absque suo nutu, & arbitrio Pontificem electum esse videns; non solùm ipse insurgeret in eum, & cum scandalo fidelium Antipapas ei opponeret, sed alios etiam Reges, & Principes obstinato animo in eum concitaret, & Constantinopolitanum Imperatorem quasi consortem Imperatoriæ dignitatis per literas euocabat, vt cum ipso communibus suffragijs de electione Summi Præsulis deliberaret; nec permitteret Cathedram conscendere Apostolicam, nisi quem ipsi habilem, & idoneum iudicassent. Iamque his concertationibus status S. R. E. in extremum discrimen adductus esse videbatur, diuina attamen miseratione, clade immensa percussis hostibus, speciosiori nitore refloruit, vt ex vita Alexandri Papæ III. & Concilijs ab eo gestis videre est. Nam & Anglicana Ecclesia tot turbis exagitata tandem martyrio S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis illustrata conquieuit, & Sicilia rebellis legibus Apostolicis ingenti terræmotus clade castigata, ad obedientiam redijt: & in Italia tot expeditionibus bellicis ab Imperatore turbata, pax exul annis decem, & octo tandem suo decore est postliminio restituta, dirumque Schisma, quo sub triplici capite latrante Cerbero, perterritus, & fatigatus est Catholicus orbis, cessauit omninò, inter Sacerdotium, & Imperium pace stabilita. Sed iam ipsum Alexandrum fortem spiritu Heliæ. & inuincibilem mundi huius machinationibus videamus.

A D.1159. Sept.5. Friderici Imp. an.5 Manuelis 17. qui audito ingenti apparatu Occidentaliũ in Terram Sanctã scripsit litteras ad Alexandrũ de procuranda rebus suis securitate mittendoque cum Francorum exercitu aliquo S R.E.Card Legato cuius reuerentia illi compescerentur, timebat enim ne in transitu aliquid in Imperium suum molirentur.

ALEXANDER III.

Rolandus antea nominatus, Patria Senensis, legatione ad Fridericum Imperatorem ob non vindicatam iniuriam Londinensi Episcopo illatam functus, ex Cardinale presbytero tituli S. Marci, à viginti tribus Cardinalibus electus est Pontifex. Contra eum in schismate à tribus duntaxat Cardinalibus electus est Octauianus quidam, natione Romanus (ex sanguine Comitum Tusculanorum, qui toties oppresserunt Romanam Ecclesiam potentia sua) Cardinalis presbyter, Victor III. deinceps appellatus. Imperator Fridericus, qui tunc Cremonam obsidione premebat, ab vtraque parte per literas certior factus, vtrumque electum Papiam venire iussit, eorum dissidia componere promittens. Cui ordinationi cum Alexander parere nollet, indigna-

gnatus Fridericus, Victorem in suam protectionem accepit, Alexander verò in Franciam abijt. Vbi Concilio in Claromonte habito, Fridericum & Victorem excommunicauit. Interim Fridericus Mediolanum tertiò expugnatum diruit, & solo æquauit, tria Magorum corpora Rainoldo Coloniensi Archiepiscopo donauit (qui eadem statim Coloniam transtulit) quæ in Ecclesia B. Eustorgij Confessoris, atque Pontificis solemniter, ac gloriosè recondita fuere. Similiter & corpora Sanctorum Martyrum Naboris, & Fælicis. Indicto autem Imperator Concilio Papiæ, Franciæ Regem monuit, vt ad Concilium venire dignaretur, secumque Alexandrum adduceret. Quod cum Alexander iterum facere recusaret, Fridericum magis, ac magis ira inflammatum in se commouit. Proinde Victorem in Italiam mox subsecuturus præmittit, eoque Lucæ defuncto Guidonem Cremensem Antipapam successorem substituit. Alexander verò rediens Romam anno Pontificatus sui Secundo, multos aduersarios in Vrbe inuenit, in se cornua palam erigentes, quòd Friderici exercitus, præter Vrbem veterem, & Anagniam, omnem Ecclesiæ ditionem iam occupauerat. Sed mortuo Octauiano Romani creatis Consulibus Alexandro Pontifici amicis eum statim ex Francia, quo iterum abierat triremibus Regis Siciliæ vectus, reuocant per legatos, & perbenignè suscipiunt; populique cisalpinæ Galliæ à Friderico possessi, statim arma sumunt, ac præsidia eius ex arcibus quibusdam deijciunt, Mediolanum restituunt, ac muniunt, Laudenses Mediolanensium hostes in societatem recipiunt, & Alexandriam, de nomine Alexandri Pontificis nuncupatam Ciuitatem apud Rouretum Taro amni adiacentem paribus animis, impensaque condunt, & in eam ex omnibus ciuitatibus quindecim millia hominum ad incolendum mittunt. Moritur interim Guido Cremen. Antipapa in Basilica S. Petri quam magno Friderici præsidio adhuc obtinebat, cuius in locum à seditiosis quibusdam sufficitur Ioannes Sirmiensis Abbas ex Panonia, cui Aino Comes sibi timens ob cladem antea Romanis illatam, Tusculum tradidit, montem Flasconem ex pacto recepturus: Verum cùm Aino à Flasconensibus non reciperetur, recusarentque Tusculani Antipapam recipere, Tusculum rediens, omnino excluditur. Inde verò ad Alexandrum, qui tum Verulis erat abiens, qui omne suum quod in Tusculo habebat, ei condonauit. Vnde Tusculani publico etiam decreto, ac consilio adhibito, Pontificem recipiunt. Quo in loco Henrici Regis Angliæ oratores auditi sunt, Regem suum purgantes, quòd falsò diceretur in necem B. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis coniurasse. Pontifex post multam inquisitionem ad extremum his conditionibus Regem absoluit, vt is à Pontifice, & Successoribus eius titulum Regni agnosceret, ducentos milites Hierosolymam mitteret, qui suis auspicijs, suaque impensa per annum contra Sarracenos dimicarent; vtque ipse triennio, cum quanto posset exercitu, contra barbaros bellum gereret; libertatem Ecclesiasticam in suo Regno tueretur; appellationibus ad Curiam Romanam factis non aduersaretur. Sanctum verò Thomam, euidentissimis miraculis clarum, in numerum Sanctorum retulit.

Hoc Pontif. sedente An. Christi 1169. die 4. Febr. in vigiliis S. Agathæ circa primã horam diei, vehemens terræmotus tanta Siciliam excussit vehementia, vt in Calabria quoque sentiretur. Catanensium opulentissima Ciuitas vsque adeò subuersa est, vt ne vna quidem domus in Vrbe superstes remanserit viri ac mulieres circiter quindecim millium cum Episc. eiusdem, qui Simoniace ascẽ-

Cumque Pontifex in dies grauius ab Imperatore vexaretur, & inquietaretur à Romanis Venetias se contulit, ibique Imperatorem ad oscula pedum Pontificiorum se demittentem, in gratiam, pacem, & vnionem Ecclesiæ, in vestibulo S. Marci recepit, absque vllo arrogantioris dicti, factique asperioris interuentu; (Vt verò caput Imperatoris ad pedes suos dimissi obtriuerit, simulque dixerit. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, &c.* sicut ab humilitate Pontificis, ita ab omni fide plane est alienum, vt ex Concilio Veneto patet) simul deinde ad altare maius profecti, accepta, dataq; salute, de fœderibus pacis inter se multum diuque collocuti sunt, quæ postea sequenti die ex sententia confecta est. Abiens deinde Imperator Rauennam se primo contulit, mox in Longobardiã properauit. Alexander verò cum triremibus tredecim Guilhelmi Siciliæ Regis, & quatuor Venetorum, ornato ob beneficium acceptum eorum summo Magi-

stratu

ſtratu inſignibus quibuſdam,& muneribus, Sipontum primo ventis delatus, atque inde Troiam, & Beneuentum, per Caſſinenſem ſaltum, Anagniam ſe contulit; vbi non diu immoratus, Tuſculum petens, Romanos certis pactis placauit. A quibus magno gaudio ſuſceptus, ſtatim Lateranenſe Concilium pro Schiſmatibus extirpandis, Sarracenis impugnandis, moribuſque Eccleſiæ reformandis celebrauit, maximè prohibens, & ſub anathematis pœna, ne quis ferrum, ligna, armaue infidelibus, & à religione noſtra alienis importaret. Cumq; iam poſt longos,& aſſiduos labores quieturus videretur, leui febricula accedente, ad æternam ex hac vita quietem euolauit. Anno Domini 1185. cum Sedi Apoſtolicæ annis viginti & vno, atque diebus 19. præfuiſſet.

Scripſit Epiſtolas plures, quarum *Primam* direxit, ad Gerardum Epiſcopum, & Canonicos Bononienſes, de ſui legitima electione. nciliab

II. Ad Arnulphum Lexouienſem Epiſcopum, de rebus in Co ulo Papienſi geſtis.

III. Ad Archiepiſcopos,& Clerum Angliæ, de canonizatione S.Eduardi Regis Angliæ.

IV. Ad Thomam Archiepiſcopum Cantuarien.qua iura,& priuilegia eius confirmantur.

V. Ad eundem, qua eum cõtra Regis perſecutionem inchoatam confirmat, & ſimul admonet, ne quid libertati Eccleſiaſticæ contrarium Regi indulgeat.

VI. Ad eundem, ac omnes Epiſcopos Angliæ adhortans Pontificalis officij.

VII. Ad Thomam eundem, qua eum à iuramento de conſuetudinibus Anglicanis, immunitati Eccleſiaſticæ repugnantibus obſeruandis abſoluit.

VIII. Ad eundem,de munere legationis Apoſtolicæ,Cantuarienſi concedi ſolito, Eboracenſi Epiſcopo ad inſtantiam Regis,ſine præiudicio Cantuarienſiis, conceſſo.

IX. Ad eundem, qua eum preſſum anguſtijs conſolatur.

X. Ad Henricum Regem Angliȩ,de immunitate Eccleſiaſtica non violanda, & Clericis ad tribunal ſȩculare non trahendis.

XI. Ad Thomam Cantuarien. ſignificans eum non teneri damnatione Conciliabuli apud Northamtonum celebrati.

XII. Ad Gilbertum Londinenſem Epiſcopum, mandans illi,vt pergat Henricum Regem Angliæ monere ad deuotionẽ Romanæ Eccleſiæ exhibendam, eiuſque iura tuendum, & Thomam Cantuarienſem in fauorem,& gratiam recipiendum.

XIII. Ad eundem, de Cantuarienſi Eccleſia.

XIV. Ad Thomam Cantuarien.munus Apoſtolicȩ legationis ei iniungens.

XV. Ad eundem Cantuarienſem, qua ſententiam contra Anglicanas conſuetudines, earumq; defenſores Epiſcopos latam confirmat.

XVI. Ad eundẽ,de conſuetudinibus Anglicanis à ſe confirmari petitis.

XVII. Ad omnes Epiſcopos Angliæ, eiuſdem argumenti.

XVIII. Ad Thomam Cantuarienſem, de legatione in Angliam miſſa.

XIX. Ad Henricum Regem Angliæ, eiuſdem Argumenti.

XX. Ad Ludouicum Regem Francorum, de legatione per Franciam Thomæ Cantuarienſi commiſſa.

XXI. Ad Vilhelmum, & Oddonem Legatos, vt pro bono Eccleſiæ Reges Francorum, & Angliæ concordentur: & in Anglia de ſtatu Regni & Eccleſiæ ſine ſcitu Thomæ Cantuarienſis nihil agant.

XXII. Ad eoſdem ſignificans nihil iurium ademptum eſſe Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo.

derat cathedram non vocatus ſicut Aaron: maximaque parte Monachorum ruina ædificiorum ſunt oppreſſi, Aetnaque mons ignes ſuos in immenſum circumquaque diffudit, vt per ſpatium dietæ vnius vndiq; combuſta, & deformata eſſet tota facies regionis. Seuientis enim flammæ procelloſa vorago omnes incolas, aut expulit, aut combuſſit; hereditaſque miſerorum data eſt in combuſtionẽ, & cibum ignis.

Extabant totidem libri Epiſtolarum Alexandri, quot numerati ſunt anni Põtificatus eius, ipſe enim ſeorſim collegerat Epiſtolas ſuas Decretales, quæ intitulauerat Conſulta Alexandri, *qua periiſſe malitia temporum dolemus.*

XXIII. Ad Thomam Cantatiensem, qua Regē humilitate vinci cōsulit.

XXIV. Ad Vilhelmum, & Oddonem Legatos, vt eos qui ob detentionem rerum Ecclesiæ per Cantuariensem excommunicati fuerunt, ad satisfactionem debitam præstandam compellant, vel eosdem iterum excommunicent.

XXV. Ad Thomam Cantuariensem, significans se Gratianum cum quodam Notario ablegasse ad Regem, petiturum ne iura Ecclesiæ violet, & cum eodem Thoma reconcilietur.

XXVI. Ad Henricum Regem Angliæ, eiusdem argumenti.

XXVII. Ad eundem, qua minatur illi censuram Ecclesiasticam, nisi à sacrilegijs abstineat.

XXVIII. Decretalis ad omnes Episcopos Angliæ contra inuestituras à laicis vsurpatas.

XXIX. Ad Henricum Regem Angliæ, qua Regi duritiem exprobrat, & minatur censuram, nisi Thomam recipiendo pareat.

XXX. Ad eundem, vt auctoritas Archiepisc. Cantuarien. suspensa esset, quousque à Rege pacem consecutus esset.

XXXI. Ad Soldanum Iconij, qua ipsum baptizari cupientem in fide instruit.

Hic Soldanus Ciliciæ matrem habebat Christianam, sed occultam propter metum, quæ moriens filio, significauit se Christianam esse hortans eum, vt & ipse fieret Christianus, qui scripsit ad Papam petens de fide Christiana plenè instrui, mittiq; sibi virum à quo edoceretur, & baptizaretur. Baptizatus igitur clandestine. Super sepulchrum matris suæ crucem erigi iussit, quam dum Pagani tollere vellent fulgure occisi sunt plurimi, & quicunque eam euertere nitebantur, statim moriebantur. Ex quo multi crediderunt in Christum, præsertim cum vidissent Angelum Domini descendētem, & clarissimum signum Crucis ponētem super pyramidem illam in sepulchro matris Soldani erectam.

XXXII. Ad Thomam Cantuariensem, qua suspensionem suæ commissionis Apostolicæ reuocat.

XXXIII. Ad Rogerum Eboracensem Archiep. inhibens illi, ne coronet filium Regis: cum id debeatur Cantuariensi.

XXXIV. Ad eundem, qua propter coronationem Henrici à diuinis suspenditur.

XXXV. Ad Londinensem Episc. eadem de causa suspensum.

XXXVI. Ad Senonensem apologetica, purgans calumniam illam, qua dicebatur suo mandato Londinensem Episcopum absolutum esse.

XXXVII. Ad Thomam Cantuarien. qua alteram calumniam, qua dicebatur mandato Pontificis filium Regis ab Eboracense Archiepiscopo coronatum esse, diluit.

XXXVIII. Ad Rogerium Eboracensem, & Hugonem Dulmensem de prædicta coronatione.

XXXIX. Ad Senonensem, & Rothomagensem Episcopos, vt efficiant sub poena censurarum compleri pacem, quam Rex Angliæ verbis promisit.

XXXX. Ad Thomam Cantuarien. de censura in Regem ferenda, nisi plenam pacem, cum restitutione possessionum præstet.

XXXXI. Ad Henricum Regem Angliæ eiusdem argumenti.

XXXXII. Ad Bituricensem, & Niuernensem Episcopos, vt ipsi Londinensem, & Saresberiensem Episcopos à Thoma excommunicatos absoluant.

XXXXIII. Ad Priorem & Monachos Cantuariensis Ecclesię de Canonizatione S. Thomæ Cantuariensis.

XXXXIV. Ad omnes Christi fideles de canonizatione eiusdem.

XXXXV. Ad Petrum Cassinatem)

XXXXVI. Ad Cantuariensem) Episcopos, de rebus Venetijs gestis.

XXXXVII. Ad Eboracensem)

XXXXVIII. Ad Indorum Regem, quem vulgo Præto Ioannem vocant, commendans illi Philippum fidei prædicatorem.

XXXXIX. Ad Hugonem Græcum librum sibi in sacris conscriptum offerentem, gratias ei agens, & conuersionem Imperatoris Constantinopolitani ei commendans.

L. Ad omnes Episcopos, qua eos ad Concilium generale Lateranense conuocat.

LI. Ad Vilhelmum Senonem, contra Petrum Lombardum dicentem, Christum vt est homo, non esse aliquid.

LII. Ad Philippum Coloniensem Archiepiscopum, qua Coloniensis Ecclesiæ iura, ac priuilegia confirmantur.

LIII. Ad ciues Alexandrinos in Lombardia, de nouo Episcopo ipsis concesso, vel aliunde translato.

LIV. Ad eosdem, eiusdem argumenti.

LV. Ad Episcopos Scotię confirmans sententientiam Legati Apostolici, qua ille Ioannem legitimè electum confirmauit, & Hugonem à Rege in Episcopatum S. Andreæ intrusum deposuit.

LVI. Ad Episcopos Scotiæ de Hugonis in Episcopatum S. Andreę intrusi excommunicatione.

LVII. Ad Vilhel mum Regem Scotię, mãdans ei, vt Ioannem legitimè electum; & confirmatum S. Andreæ Episcopum, patiatur suo officio, quietè fungi: alioquin Regnum interdicto: Regem excommunicatione plectendum.

LVIII. Ad Casimirum Ducem Polonię, qua nonnullas constitutiones circa bona Ecclesiæ editas confirmat.

LIX. Ad omnes Principes pro subsidio terræ sanctæ.

LX. Ad omnes Prælatos eiusdem argumenti.

LXI. Ad Richardum Cantuarien. Archiepisc. de pace inter se, & Imp. Fridericum inita.

LXII. Ad Rogerium Eboracensem eiusdem argumenti.

LXIII. Ad Rogerium Vigorniensem Episcopum pro Clero Ecclesię sancti Augustini Cantuarien.

Primum Concilium initio Pontificatus Alexandri Papæ III. à Friderico Imperatore illegitima auctoritate, indictum Papiæ. A. D. 1160. Alexander Papa ad hoc Concilium vocatus accedere contempsit.

Quo Victori III. Antipapæ Schismatico, contra Alexandrum III. legitimè, & canonicè electum Pontificatus Romanæ Ecclesiæ adiudicatur, à quinquaginta Episcopis, & Archiepiscopis, Abbatum, & Præpositorum multitudo erat ingens, & Legatorum diuersarum terrarum.

Secundum Concilium Anglicanum, A. D. 1161.

Episcoporum Normanniæ apud Nouum Mercatum celebratum, de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris Antipapæ, præsente Henrico Angliæ Rege.

Tertium Concilium Beluacense. A. D. 1161.

Eodem tempore, eademq; de causa, præsente Ludouico Rege Franciæ, celebratum.

Quartum Concilium Laudense. A. D. 1161.

Quo in præsentia Imp. Friderici Antipapa Octauianus, Victor III. dictus confirmatur, & excommunicantur omnes illi, qui interfecerunt Moguntinum Archiepiscopum.

Quintum Concilium Londinense. A. D. 1162.

Quo S. Thomas Theobaldo defuncto, electus est Cantuariensis Archiepiscopus in præsentia Regis Henrici.

Sextum Concilium Turonense. A. D. 1162. anno 4. Pontificatus Alexandri.

Quo Victor Antipapa, eiusq; fautores Schismatici, iudicio 17. Cardinalium, & 124. Episcoporum, excommunicati fuerunt. Aderant, & Abbates 414. & aliorum tam Clericorum, quam laicorum maxima multitudo. Præsidente Alexandro III. in Ecclesia S. Mauritij 12. Kal. Iunij, præsente Rege Ludouico. Interfuit huic Concilio S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, quem præter morem Papæ honorificentissimè excepit, iussitque vt omnes Cardinales occurrerent ei extra Vrbem illam, præter

duos tantùm, qui soliti essent ei semper assistere, fecitque eum sedere in Concilio ad dexteram suam cum suffraganeis eius: Ibi nouem Capitula pro reformatione Ecclesiæ sunt constituta.

A. D. 1164.

Septimum Conciliabulum Clarendonense.

Quo sexdecim capitula consuetudinum, vt vocabant, Anglicanarum, æquitati, & Ecclesiasticæ immunitati repugnantia confirmata sunt, in præsentia Regis Henrici, præsidente Ioanne de Oxonia.

A. D. 1164.

Octauum Conciliabulum apud Northamtonam in Anglia celebratum.

Quo Thomas Archiepiscopus Canturien. de periurio per Regem accusatus eo quod Anglicanas consuetudines quas iurauerat non obseruasset, condemnatus fuit.

A. D. 1168.

Nonum Concilium Lateranense.

Quo Fridericus Imperator excommunicatur, & Imperio priuatur, omnesque qui ei ex causa Imperij religione iurisiurandi tenebantur astricti à fidelitate eius absoluti.

A. D. 1171.

Decimum Concilium Casselanum in Hybernia.

De reformandis istius Ecclesiæ moribus celebratum, vbi 4. Archiepiscopi, & 20. Episcopi fuere: Qui receperunt sibi Henricum Regem Angliæ, & Hęredes suos in Reges, & dominos in perpetuum, & chartis suis confirmauerunt.

A. D. 1172. 5. Kal. Octob.

Vndecimum Concilium Northmanniæ, apud Arbincam Ciuitatem habitum.

Quo Henricus Rex Angliæ à sacrilega nece S. Tomę Canturiensis (cum ante per Legatos absolutus) secundo absoluitur, & iurato promittit iterũ, quæ iam ante promiserat. Item decreta quędam per Legatos Apostolicos constituta, quę ad mores Ecclesię concernunt, promulgantur, in pręsentia Theodini, & Alberti Cardinalium.

A. D. 1175.

Duodecimum Concilium Londinense.

Quo 18. Canonibus constitutis, iudicata est causa Richardi Cantuariensis, & Eboracensis Archiepiscoporum ratione Diœcesis, & Suffraganeorũ.

A. D. 1176.

Tredecimum Concilium Gallicanum.

Quo Albigenses hęretici conuicti & condemnati sunt, qui Arrianos errores profitentes totam Tolosanam Prouinciam labe sua fœdauerant.

A. D. 1177. Kal. Augusti.

Quatuordecimum Concilium Veneticum.

Quo Alexander Papa, & Fridericus Imperator reconciliantur, & Antipapa cum suis, quos ordinauerat deponitur.

A. D. 1179. Media Quadragesima.

Quindecimum Concilium Lateranense Generale, seu Oecumenicum.

Albigenses appellabant se Humiliatos. Valdenses verò Pauperes de Lugduno à Valdesio suo anctore. Humiliatorum verò author fuit Oliuerius ginis Albigensis.

Trecentorum Episcoporum, approbatum, & ab omnibus receptum; pro reformanda in fide & moribus Ecclesia, contra hæreses Catharorum (quos Valdenses & Albigenses alij appellant) & Schimaticos ab Antipapis ordinatos celebratum tempore Friderici Imperatoris I. statutumque inter alia de Romano Pontifice eligendo, ad futura schismata vitanda, vt non haberetur Romanus Pontifex, qui non à duobus Cardinalium partibus esset electus. Extantque 27. Canones huius Concilij, qui apud multos Scriptores reperiuntur, & magna ex parte in iure Pontificio continentur.

Vltimum Concilium Lancicienſe in Polonia Maiori.

Quo barbaræ, & Christiano populo indignæ rapinæ proscriptæ sunt, pũctaque decretorum, vt perpetuum firmitatis robur haberent, per Legatos Casimiri Principis Alexandro Pontifici III. confirmanda transmissa sunt, vt ex rescripto patet. *Baron. tom. 12. an. 1180. n. 13.*

A. D. 1181. 4. Kal. Sept. Friderici Imp. anno 28. Alexij Comnoni Imp. anno 2. Quo tempore nascitur Assisij in Vmbria S. Franciscus, patre Petro do Bernardone.

LVCIVS III.

Qui & Hugbaldus Ostiensis Episcopis, natione Tuscus, Patria Lucensis, vir grandæuus admodum, & modicè literatus, iuxta formam Concilio Lateranensi Generali III. præscriptam primus creatus est Pontifex. Hic Pontificatus sui principio ad tranquillitatem Christianam fouendam totum se

impen-

impendit, cumq; Imperator in Italiam contendiffet, exierat Vrbe Roma, vt obuiam ei proficifceretur, tractaturus cum illo Christianæ Reipub. negotia, quæ in Asia nimium cœperunt labefactari. Veronæ conuenerant duo Christianismi culmina. Concurrerat ingens Ecclesiasticorum multitudo, reconciliationem deposcens Sedis Apostolicæ, quòd in schismate Imperatorem sequuti ab Antipapis essent ordinati, & instituti. Interuenit pro his Fridericus Imp. vt in gratiam sumerentur. Annuit perbenignè Pontifex. Sed quum postera die manus illis essent imponendæ singulis, immutatum erat consilium, quod diceret, in Concilio Veneto decreta non posse irritari: promisit autem de proximo alium à se euocandum cœtum, in quo super his constitueretur. Auditæ sunt Germanorum minæ pro sua consuetudine: sed nihil ea re moti sunt Cardinales. Credebatur autem ea consilij mutatio à Conrado Moguntino, & Vormaciensi Pontificibus prodijsse. Inde cœpit Imperator tractare cum Pontifice super patrimonio potentis per Italiam Dominæ Mathildis, quæ sub Henricis Imperatoribus, patre, & filio multa faciebat pro Ecclesia, & iam rebus humanis excedens, multa reliquerat eidem Ecclesiæ possidenda, quæ Imperator ad ius Imperij deuocabat. Erat autē Marchionis Saxoniæ filia. Sed ex ratione temporū diu ante hāc ætatē emigrasse conuincitur, nisi geminas fuisse, & alterā post alteram in Italia floruisse quis contendat. Diu tum causa inter Sacerdotium & Regnum ventilata, nihil concludi potuit, & sine fine discessere.

Pontifex Principes Christianos commouit, vt ad opem ferendam fidelibus, qui in Asia contra barbaros præliabantur, sese omnes præpararent. Verùm cum eam expeditionem remis, velisque accelerari procuraret morbo correptus Veronæ 7. Kal. Decemb. diem clausit extremum, & in Cathedrali Ecclesia sepulturam sortitus est, anno Domini 1185. postquam quatuor annis, 2. mensibus, & 27. diebus curam Ecclesiæ habuisset. Lucam ciuitatem vnde oriundus erat, pluribus muneribus exornauit. Ab Imperatore Friderico, quo vsus est familiarissimè, & amicissimè, obtinuit, vt in tota Hetruria alia moneta locum, & vsum non haberet, quam Lucensis: quemadmodum Longobardi aliam non recipiebant, nisi Papiensē. Hoc tempore floruit; Abbas Ioachimus, de quo in Conc. Lateranensi IV. plura dicemus. Maronitæ detestantes errorem Maronis Monothelitæ, ad Ecclesiæ gremium retento nomine à S. Marone Abbate, vt aiunt, deriuato, redierunt.

Scripsit Epistolas decretales duas.

I. Ad Episcopos, & Clericos Scotiæ, de absolutione Vilhelmi Regis Scotiæ.

II. Ad Henricum II. Regem Angliæ, pro auxilio contra Sarracenos.

Extat quoque vnum Decretum Lucij aduersus hæreticos. Ca. Ad abolendam, extra de hæreticis.

VRBANVS III. Mediolani natus ante Lambertus nominatus ex Mediolanensi Archiepiscopo, è genere Criuellorum, statim post Lucium defunctum miro omnium consensu in Pontificem electus. Imperatorem ob iteratam honorum, & iurium Ecclesiæ inuasionem iterum excommunicasset, nisi morte præuentus fuisset.

A. D. 1185. 7. Kal. Decemb. Friderici Imperatoris 32. Andronici 3. qui pro Alexio puero Imperij perduelles pugnans cū omnes iam hostes sustulisset, ad extremum Imp. Alexium crudeliter è medio sustulit. Omnesque deinde Latinos Cōstantinopoli commorantes occidit; reliquos Græci in seruitutem Turcis vendiderunt. Quo

Omne suum studium ad reconciliandos Christianorum animos, qui in Syria bellis impliciti erant, conuertit. Verùm cùm in eiusmodi procurationibus operam luderet, & Christiani Principes odijs, & dissensionibus intricarentur, Soldanus pluribus locis potitus, etiam Hierosolymam suo Imperio adiecit 4. Kal. Octob. anno postquam à Godefrido recuperata fuerat octogesimo quarto. Ad hæc Crucem Dominicam ludibrio affectam,

audito Siciliæ Rex Vilhelmus ingenti classe comparata, vt vlcisceretur scelus in Græciā mouit, & crudelissimè in eos sæuijt Dyrrachio, & Thessalonica expugnata. Interim sublato Andronico Imperium Isaacius occupauit, & Siculos omnes ferè Græciam populantes deleuit.

ctam, Regem Hierosolymitanum captum, & aduersariorum copias versus Antiochiam directas esse intelligens, dolore percitus in morbum incidit, ex quo Ferrariæ mortuus est 13. Kal. Nouembr. anno Domini 1187. cùm sedisset annum vnum Menses 9. & dies 25.

Huius temporibus anno nimirum 1186. Rogerij Regis Siciliæ filia Constantia, Henrico VI. Regi Germaniæ matrimonio iuncta fuit Mediolani, quæ in Monasterio asseruabatur, vt si Regibus mascula proles defuisset, ipsa cum dote Regni nubere potuisset.

Scripsit Epistolas quatuor.

I. De sui electione, ad omnes Episcopos.

II. Ad Vilhelmum Scotorum Regem, in causa Hugonis S. Andreæ, & Joannis Duncheldensis Episcopi.

III. Ad Iocelinum Glasingensem Episcopum, eiusdem argumenti, &

IV. Ad Balduinum Cantuariensem Episcopum, de Ecclesia in honorem SS. Stephani, & Thomæ extruenda.

A. D. 1186.

Concilium vnicum sub Vrbano III. Parisiense.

Pro expeditione contra Turcas suscipienda, celebratum est, præsente Philippo Rege, ad quem Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus, & domus Hospitalis Prior, nuncij calamitatis, quam Salhadinus Aegyptius Christianis per Palæstinam intulisset, locis aliquot non sine nostrorum cæde occupatis. Sed priusquam remedium rebus in præceps ruentibus excogitatum fuisset, Hierosolyma cum suo Rege venit in manus barbarorū.

An. Dom. 1187. 28. Octobris. Friderici 33. Isaaci Aug. 2.

GREGORIVS VIII.

Patria Beneuentanus, cui nomen fuerat Albertus Cardinalis Presbyter, Tituli S. Laurentij in Lucina, altero die post obitum Vrbani communi omnium consensu electus est. Initio Pontificatus Christianos Principes legationibus, literisque pro subsidio Terræ Sanctæ, & de agenda pœnitentia ad diuersos scriptis sollicitauit, vt exercitu terra, marique comparatio, ad recuperandam Hierosolymam sese colligerent. Vt verò facilius id quod suadebat consequeretur, Pisas se contulit, vt eius loci populos cum Genuensibus fœderis noui vinculo religaret, ac sic coniunctis copijs, quibus plurimum mari valebant, ad hanc expeditionem sanctissimam animarentur. Verùm inopinatus vitæ illius exitus sanctæ expeditioni, & voluntati Pisis finem imposuit. Obijt enim 17. Kal. Ianuarij, Pontificatus sui die 57.

Scripsit Epistolam.

I. Ad omnes Christi fideles de clade Hierosolymitana, qua omnes ad pœnitentiam agendam admonet, & proficiscentibus ad bellum plenariam indulgentiam concedit.

II. Similiter ad omnes fideles de ieiunio seruando, ad placandum Deum offensum.

III. Ad omnes Prælatos Ecclesiarum, pro iustitia facienda, & litibus componendis.

An. Dom. 1188. 8. Id. Ianuarij. Friderici 34. Isaacij 3. Quo tempore statim Pontifex statuit cum Cardinalibus, vt ab vniuersali Ecclesia fieret sine intermissione oratio ad Dominum pro pa-

CLEMENS III.

Patria Romanus, qui Paulinus antea nominabatur, ex Cardinale Prænestino, Pontifex factus. Qui statim indictam à prædecessore expeditionem ad Terram Sanctam promouere, eamque ad effectum deducere laborauit, & indulgentiam confirmauit, statuens, *Quod quicunque ea de causa sacram Crucem susceperit, de omnibus peccatis, de quibus pœnitens confessus fuerit, auctoritate Dei, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli esset liber, & absolutus.* Cum Senatu Romano conditionibus satis iniquis concordia inita, Reges Franciæ, & Angliæ bello dissidentes, ad recuperandam Terram sanctam, missis legationibus conuertit, cum præsertim Saladinus omnem Antiochiæ principatum occupasset. Imperator, & Christiani prin-

Principes; eius pijs conatibus assentientes arma arripuerunt, ac ipsum Imperatorem magno exercitu præeuntem Franciæ, atque Angliæ Reges, Burgundiæ Dux, cum Venetis Pisani, alijque quam plurimi subsecuti fuerunt. Eo tempore Gulielmus Siciliæ Rex absque liberis morte sublatus est: sed Tancredus eiusdẽ Gulielmi consanguineus vendicans sibi Regnum, bellum ciuile conflauit. Ad quem pellendum Henricus Rex ob Constantiam vxorem suam, hæredẽ Regni proximiorem, in Italiam exercitum misit. Cumque multa damna rebellibus intulisset; re adhuc infecta reuersus est in Germaniam. Pontifex Tancredo fauens, ei inuestituram Regni dedit. Exinde ad reformationem Ecclesiasticam conuersus, Monasterium Sancti Laurentij extra mœnia ædificauit Palatium Lateranense reparauit. His paulò post confectis 4. Idus April. obijt, & sepultus est Romæ in Ecclesia Lateranensi, anno Domini 1191. cum Ecclesiam tribus annis, tribus mensibus, & quatuor diebus gubernasset.

ce, & liberatione Terræ Sanctæ, & captiuorum, qui in vinculis Saracenorum detinebantur.

Huius etiam temporibus Fridericus Imperator, post immensos suratores labores in Terræ Sanctæ expeditione, post victum in prælio Soldanum Iconij, peragrans partes inferiores Armeniæ, in Caleph flumine rapido cursu vndarum eius absorptus interijt; successit eius filius Henricus iam diu ante hæc tempora in Regem Germaniæ assumptus.

Sscripsit Epistolas decretales septem.

I. Ad Episcopos Scotiæ, nuncians ijs Hogonem. S. Andreæ Episcopum, ab Vrbano citatum, & contumaciter emanentem Episcopatu depositum esse: suadetque Ioannẽ eligi.

II. Ad Gulelmum Regem Scotorum, eiusdem Argumenti.

III. Ad Henricum Regem Angliæ, de eodem.

IV. Ad omnem Clerum illius Episcopatus, pro Ioanne Episcopo Sancti Andreæ.

V. Ad Guilelmum Regẽ Scotorum, de exẽptione Ecclesiarũ suę terrę.

VI. Ad omnes Episcopos Scotiæ pro Ioanne Episcopo S. Andreę.

VII. Ad Mersburgensem, & Eystetensem Episcopos, &c. de Ottonis Bambergensis Episcopi, & Pomeranorum Apostoli canonisatione.

Primum Concilium sub Clemente III. Anglicanum. A. D. 1188.

Apud Gaintington, de Cruce capienda, & decimis pro expeditione in Terram Sanctam Regi soluendis celebratum: multique ad prædicationem Balduini Cantuariensis Archiepiscopi, & Gilberti Roffensis, tàm Clerici, quàm laici, Crucem acceperunt.

Secundum Concilium Parisiense. A. D. 1188.

Quo ad bellum contra Saladinum Turcorum Regem concessę sunt Regi decimę, quæ vulgo Saladinides dictæ fuerunt.

Tertium Concilium Lancicìense in Maiori Polonia. A. D.

Quo Pontifex misso Legato, colligi fecit decimas ab Episcopis, & Sacerdotibus, pro expeditione cõtra Saladinũ, Zdislao Archiepiscopo cõcedere.

COELESTINVS III.

Patria Romanus, qui Iacynctus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ dictus fuerat, surrogatus est Clementi III. in Vigilia Paschę consecratus Sacerdos; ipso verò die Paschæ Pontificatum est consecutus. Hic Henricum VI. eius nominis Regem Germaniæ, vna cum vxore eius Constantia Imperiali consecratione Romæ donauit. Postridie factæ coronationis Tusculana Ciuitas ad petitionem Senatus, Romanis tradita, solo tenus est desolata. Cumq; Imperator Apuliam, & Siciliam, quam Tancredus inuaserat recuperare; volens magno exercitu Salernitanã Ciuitatẽ expugnasset, & ad obsidionem Neapolis se contulisset, Constantiam Imperatricem, quam Salernitani apud se relictam, proditioneque interceptã, ad Tancredum in Sicilia regnantem transmiserant: Cœlestinus Pontifex per

Anno Dom. 1191. 24. Martij. Henrici V. Imper. I. Isacij VI. Qui Niceta Constantinop. Patriarcha amoto, cum annos sex, amplius sedisset, Leontium subrogauit, quo itidem eiecto Dositheum Hierosolymitanum sublimauit. Et hoc eiecto Georg. Xiphylinus successit.

per D. Aegidium Card. Diaconum è captiuitate Tancredi liberatam, ad Imperatorem in Germaniam, quo morbus pestifer exercitum eius inuadens ab obsidione Neapolirana eum fugarat, suis expensis honorificè remisit Philippum Frãcorum Regem expugnata Accone olim Ioppo dicta ex Palęstina reuersum, magna Animi constantia aliquoties admonuit, vt Berthildam Regis Daniæ filiam, quam prætextu consanguinitatis alia superinducta dimiserat, non obstante sanguinis propinquitate, super qua ad instantiam Regis dispensauerat, ad thorum reciperet. Ad instantiam Aleonoræ matris Henricum Imperatorem, & Leopoldum Ducem Austriæ comminatione censurarum Ecclesiasticarum monuit, vt Richardum Regem Angliæ, quem post aliquot victorias contra Saladinum obtentas, ex Palæstina initis cum Soldano triennalibus inducijs redeuntem, in sinu Adriatico naufragantem, & ad territorium Viennense appellantem, Leopoldus Dux Austriæ, ideò quod vexillum eius loco signi in hospitio suspensum, in cloacam proijci mandauerat, intercepit; captumque Henrici Imperatoris arctissimæ custodiæ tradidit; à captiuitate vnius anni, & sex septimanarum liberarent, redditisque obsidibus, eam etiam, quam extorserant à captiuo ingentem pecuniæ summam, integrè restituerent. Vinculis solutum Regem matri Aleonoræ, per Moguntinum, & Coloniensem Archiepiscopos reddiderunt. Pecuniam verò restituere contumaciter recusantes, Pontifex meritò gladium quo solet punire Ecclesiasticum euaginando, vtrumque excommunicauit. Leopoldus contemptor censuræ Ecclesiasticę, grauem Dei vindictam in se, subditisque suis expertus, tandem resipuit, & impetrata absolutione excommunicationis, magno corporis cruciatu, spiritum emisit. Henricus Imperator in ea contumaciter obsordescens, præter eam, quam in Terram Sanctam miserat, expeditionem, nihil piè, ac laudabiliter egisse inuenitur. In Siciliam veniens in eos Nortmannos, qui defuncto Tancredo fauissent, tàm Principes superstites, quàm subditos incarcerando, & ementulando carnificinam exercuit tantam, vt Constantia Augusta eius vxor vnica Northmannorum Regia superstes propago, eandem tanquam gentis suæ exterminium indignè ferens, aduersus virum suum rebellando, exercitumque armando, tandē coegerit, vt quos ipsa coniux volebat, pacis conditiones acciperet. In Sicilia existens acerbissimam misit ad Alexium Imperatorem Constantinopolitanum legationem, qua ab ipso petens quicquid terrarum olim in Oriente Vilelmus Rex Siciliæ ab Epidauro vsque ad Thessalonicam Ciuitatem occupasset, vel vt pro his tributum penderet: summam talentorum sexdecim auri purissimi expilatione Ecclesiarum, & piorum locorum malè collecti, impetrasset, si non morte præuentus fuisset. Nam dum hæc agebantur in Oriente, post oblatam Regi Angliæ satisfactionem, petitamque ab excommunicationis sententia sibi inflicta, absolutionē, mortuus est mense Semptembri anno D. 1197. Friderico II. Regni Siciliæ hærede relicto. Quem Pontifex corona Regia insigniuit, postquam mater eius Constantia, iuxta decretum Pontificium, à communi fama de partus sui suppositione, se per iuramentum expurgasset. Duces Palæstinæ, obitu Imperatoris cognito, cum Saladini Filium aduersus se venire audissent, milites ad præliandum paratos ignominiose deserentes fugerunt. Cœlestino autem sexto Idus Ianuarij (anno Christi 1194.) viam vniuersę carnis ingresso, & in Lateranensi Basilica sepulto, tanta fuit inter Cardinales, super Pontificis substitutione concordia, vt eo cælitus desiderijs ipsorum aspirante, qui facit vtraque vnum, ipso die depositionis Cœlestini, assumerent Innocentium III. vnanimiter.

In Oriente Alexius Angelus supplantato Isaacio Imperatore in carcerem eum detrusit, ipse verò habenas Imperij suscepit.

Cœlestinus sedit annos sex, menses nouem, minus diebus duobus. Hic confirmauit Ordinem Teutonicorũ, quos vestiuit toga alba, & cruce nigra sub Regula Sãcti Augustini: quibus sese iunxere

Scripsit Epistolas 16.

1. Ad Prælatos & Archiepiscopos Angliæ, pro Vilelmo Elisiensi Episcopo.

II. Ad Lincolniensem, & Roffensem Episcopos, de irritatione sententiæ in Dunelmensem Episcopum, per Eboracensem nulliter prolatæ.

III. Ad Episcopum, & Clerum Eugubinum, de Sancti Vbaldi canonizatione.

IV. Ad Episcopos Angliæ omnes, de peccatis expiandis, & moribus emendandis.

V. Ad Lincolniensem Episcopum, ad faciendam inquisitionem de excessibus Eboracensis Archiepiscopi.

VI. Ad Decanum, & Archidiaconos Lincolniensis Ecclesiæ contra Ganfridum Eboracensem Episcopum.

VII. Qua legationem Huberto Cantuariensi Archiepiscopo committit.

VIII. Ad omnes Angliæ Episcopos, de reuerentia exhibenda Huberto Cantuariensi, Sedis Apostolicæ Legato.

IX. Ad Senonensem Archiepiscopum, vt Francorum Regem moneat, recipere vxorem prætextu consanguinitatis dimissam.

X. Ad Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum pro Terra Sancta.

XI. Ad Simonem Decanum Eboracensem, de administratione eiusdem Diœcesis.

XII. Ad omnes Clericos Eboracenses, eiusdem argumenti.

XIII. Ad Lincolniensem Episcopum, eiusdem argumenti.

XIV. Ad Hubertum Cantuariensem, iterum de negotio Terræ Sanctæ.

XV. Ad Philippum Beluacensem Episcopum, de eius captiuitate.

XVI. Ad Cantuariensem Archiepiscopum pro Monachis in Castrensi Ecclesia restituendis.

Liuonienses Teutonici. In Hispania verò his temporibus florebant duo Ordines militares Sancti Iacobi, & Calatraue.

Primum Concilium sub Cœlestino III. Diuionense in Burgundia. *A. D. 1197. circa D. Michaelis festum.*

A Petro Duacense Sedis Apostolicæ Legato, contra Philippum Regem Franciæ ob repudiatam vxorem celebratum: quo toti Franciæ sacris interdictum. Qua sententia promulgata, Rex vehementer iratus, qui Concilio interfuerant persecutus, grauiterque eos vltus est.

Secundum Concilium Eboracense. *A. D. 1195.*

Pro reformandis Ecclesiæ illius moribus auctoritate Huberti Cantuariensis Archiepiscopi, & Apostolicæ Sedis Legati celebratum, in quo plurima decreta subscripta statuit seruanda.

Tertium Concilium Lanciciense. *A. D. 1197.*

Auctoritate Legati Apostolici, Petri tituli Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconi Cardinalis Capuani celebratum, qui singulas Diœceses visitans, cum alia quædam, quæ aduersa Religioni Christianæ, & Constitutionibus Ecclesiasticis, in sacro pariter, & profano Ordine inoleuerant correxit, tum facta Synodo Prouinciali, Sacerdotibus imperauit, vt concubinas, & vxores, quibus tum passim liberè vtebantur à se abdicarent. Ac illud præterea constituit, vt profani homines publicè in templis matrimonio coniungerentur.

LIBER XXII.



HACTENVS Annales suos produxit doctissimus Cardinalis Baronius, finemque Historiarum suarum fecit in Cœlestino III. successit iussu Pauli V. Abrahamus Bzouius, qui filum Baronij continuando, Annales suos similiter in tomos duodecim diuisit, & in Paulo V. benefactore suo finiuit. Sed ex tomis illius septem tantumodo illo viuente in lucem prodierũt, octauus illo iam defuncto à Bibliopola quodam Coloniensi vulgatus est, qui & reliquos quatuor se daturum promiserat, sed inhibuit superiorum voluntas; nec prodire poternnt, nisi Pontificia auctoritate relaxati. Quibus tamen ille ex capulo sempiternæ obliuionis eduxit, patrum & auorum nostrorum sæculo eminentes vertices, triplici tiara non minus & amplitudine maiestatis, quam innocentiæ, probitatis, doctrinæ, prudentiæ, constantiæ, zeli pastoralis, & reliquarum Pontificiarum virtutum fastigio insignes, quod statim in Innocentijs, Honorijs, atq; Gregorijs facile videre est, quos libro præsenti, atq; sequentibus, ex Apostolica formula omnia dimetientes, & nonquæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærentes, demonstrabimus. Præterea ostendemus, quomodo viri illi sanctiores, Religionum maximarum Conditores, Dominicus, Franciscus, Nolascus, Albertus, & plures alij, deuitatis salebris, circa quas mortalium vulgus hæret, melioris vitæ finum, nobilioribus animis aperuerint. Quod statim sub regimine Innocentij III. eiusque successoris Honorij clarè elucebit.

An. Domini 1198. 6. Idus Ianuarij Alexij Comneni Imperatoris Orien. 4. Quo tempore Germani sub signis Conradi Episcopi Moguntini, & Hẽrici Ducis Saxoniæ in Syriam profecti Berytum occupauere, & Ioppẽ firmauere Sarracenis repulsis, sed audita morte Cæsaris Hẽrici redierunt in patriam. Quibus abeuntibus res Christiana in Terra Sancta collabi cœpit, Ioppenq; barbari statim recuperarunt. Et Alexius Imp. qui Christianos in Terra Sancta iuuare debuerat, suorum cæde occupatus, rem Christianam neglexit, fratrem enim natu maiorem Isaacium, cuius nomine Impe-

INNOCENTIVS III.

patria Anagninus, ex Comitibus Signiæ, Patre Trasimundo natus, Ioannes Lotharius antè nominatus ex Card. Diacono SS. Sergij, & Bacchi, summo omnium Patrum consensu ad Pontificatum Catholicæ Ecclesiæ euectus est. Hic primo flore iuuentutis, Lutesiam Parisiorum missus, tantos in virtute, atq; doctrina fecerat progressus, vt inter eius sæculi primos Doctores, sacras literas maxima cum laude omnium publicè docuerit. In patriam reuersus, primo Ecclesiæ Anagninæ, deinde Diui Petri Basilicæ Canonicus, sacerdotale officium numeris omnibus impleuit, deuotione, pietate, & rei Ecclesiasticæ ornãdæ, tuendæq; cura Inde à Clemẽte eius nominis III. summo Hierarcha, integritatis, & eruditionis acri censore, in patrũ Collegium allectus, titulũ Cardinalitiũ verbo, scriptione, exẽplis, rebusq; pro Ecclesia feliciter gestis illustrauit; eamq; de se apud omnes, libris in lucem doctissimis euulgatis (scripsit enim. De miseria conditionis humanæ, de officio Missæ, de Sacr. Baptismi In septẽ psalm. quos Pœnitentiales vocant. Sermones cõplures, quos ad Clerũ, & populum in Basilica Laterana dixit. nec non alia pleraq; doctissima) opinionem, & admirationẽ excitauit, vt & Celestinus Põtifex summo Magistratu se abdicare voluerit, si modo se superstite Patres eũ subrogarẽt; & Cœlestino vita functo, non alium digniorem Patres indicarint, cui Ecclesiam viuersalem cõmitterent.

Pon-

Pontificatum adeptus, ea qua animi magnitudine præstabat, ad magnorum vitia corrigenda, maximasque res gerendas, conatum adhibuit. Philippum Regem Francorum cognoměto Augustum de adulterio redarguit, vtque superinductam Agnetem Mariam repudiaret, repudiatam verò Gelbergam legitimam coniugem reciperet, præcepit. Ottonem IV. Regem Germaniæ, contra Philippum Barbarossæ filium reclamantem, corona Imperij cum benidictione solita donauit; & ex causa deinceps iustissima vicissim eam priuauit. Nam cum donationem illam, qua Mathildis filium Rogerij Principis Siciliæ, Marchiam Apuliæ, Romanæ Ecclesiæ donauerat, ille post impetratã Imperij coronã, tanquam inualidè citra consensũ Imperij Principum factã, sibi vindicasset ac præterea etiam cõtra iusiurandum, quod paulò ante emiserat, Apuliam, & Calabriam vi & armis sibi subijciens, mandatis Apostolicis obedire contemneret; Papa sententiam excommunicationis primum, ac postea priuationis, & depositionis in eum ferens, Sifrido Archiepiscopo Moguntino præcepit, vt per totam Alemanniam Imp. exconmunicatum, & ab Imperio depositum denunciaret quod & fecit. Interea cum Otto Archiepiscopum persequens, neque de absolutione petenda, neque de transactione ineunda quicquam curaret; Innocentius Papa Fridericum II. Henrici Sexti Filium ex Constantia, de consilio Regis Franciæ, ex voluntate etiam certorum Principum Germaniæ, è Sicilia euocatum in Alemanniam misit, mandans Principibus Imperij vt ipsum in Imperatorem susciperent. Otto cum exercitu suo Friderico quidem occurrit, sed derelictus à suis loco cedere, & in Saxoniam secedere coactus est. Fridericus verò ab omnibus tanquam Rex in Conuẽtu Principum Aquisgrani habito susceptus est. Postea Otto contra Philippum Francorum Regem, qui Friderico studebat, in bellum vna cum Rege Angliæ aunnculo suo, cumq; Brabantiæ Duce, & Comite Flandriæ profectus, apud Tornacum superatus, ac demum anno D. 1216. ab omnibus desertus, & præ mentis dolore infirmatus, meritaque oppugnatæ Romanæ Sedis pœna Deo vindice mulctatus, post multas angustias mortuus est.

rium administrabat dolo captum excæcauit, & in vincula coniecit Alexium eius filiũ puerum necare statuit, qui amicorũ auxilio adiutus salutem fuga quarẽs Venetorũ subsidia cõtra Tyrannũ implorauit quibus iunxerunt se Balduinus Comes Flandriæ; & Ludouicus Sabaudiæ, qui cum exercitibus in Terram Sanctam ibant. Hi Alexium Tyrannum profligarunt, & Imperij diadema Balduino imposuerunt, Alexius enim puer occisus fraude Græcorum erat.

Pontifex initio Sedis suæ, statum Curiæ in melius mutare volens, maiorem partem ianitorum, & ostiariorum curi æ abiecit, vt conquerentes tã Clerici, quàm Laici liberiores ad eum haberent accessus. Post consecrationem autem illius Præfectus & Senatores, & Tribuni Vrbis, & cæteri Romani, exegerunt ab eo reditus, consuetudines, quas Prædecessores sui Romani Pontifices ijs impendere solebant; qui bus ipse respondi t se nunquã facturum: cum si fecisset, contra Deum, & in præiudicium Romanæ Ecclesiæ faceret. Quod Romani audientes, irruerunt in bona illius, & diripuerunt ea: ipse verò excommunicauit eos.

Hierosolymitanæ Vrbis, quam sub Vrbano III. Sarraceni occupauerũt recuperationem plurimum exoptans, literis, Legatisq; missis omnes ad hoc bellum est cohortatus, secutusque prædecessorum suorum vestigia, ad deprauatos mores populi corrigendos, ad hæreticos damnandos, & Principes populumq; ad Terram Sanctam recuperandam, Lateranensem Synodum Oecumenicam xij. indixit, eique inter 412. Episcopos præsedit. Ad omnes penè Europæ Reges, & Episcopos, literas salubrium consiliorũ plenissimas scripsit, quas legi, & in iudicijs obseruari mandauit.

Huius Pontificis mandato per Simonem Comitem Montifortensem, Germanorum auxilio fretum Albigenses hæretici in Galliã ante annos aliquot exorti, partim fugati, partim verò per Legatum Apostolicæ Sedis, & per B. Dominicum hæreticæ prauitatis primum Inquisitorem, ad pœnitentiam, & vnionem Ecclesiæ recepti fuerunt.

Hoc tempore B. Dominicus Hispanus Ordinem Prædicatorum: Sãctus Franciscus Ordinem Minorum in Italia instituerunt, multosque hæreticorum, & infidelium ad fidem Christi conuerterunt.

Vu 2 Alma-

Almaricus de 20. erroribus conuictus cum sectarijs pluribus parisijs post obitum exhumatus combustus est. Hæreticorumque eorum, qui in Quadragesima licitum esse carnium esum in Alsatia docebant, vti, & quouis tempore fornicationemque, vt quæ naturali inclinatione conueniens foret, non esse prohibitam, octoginta apud Argentinam vno die combusti fuerunt. Pontifex dum post hæc tandem pacis faciendæ causa inter Pisanos & Genuenses, Perusiam se contulisset, in Ciuitate illa mortuus est 16. Kal. Augusti, Anno Domini 1216 peractis in Pontificatu suo annis 18. mensibus 5. & aliquot diebus.

Epistolæ illius extant separatim excusæ. Plurimæ item aliæ reperiuntur, apud Rogerium, & Matthæum Parisiensem, & Papirium Masonem. Item Seuerinus Binius adnotauit vnam, ad Archiepiscopum, & Capitulum Coloniense datam, qua antiquitus concessa priuilegia confirmat.

A. D. 1199. *Primum Concilium sub Innocentio III. celebratum in Dalmatia.*

Per Legatos Sedis Apostolicæ, in quo ad euellenda nociua de agro Dominico, & virtutum plantaria viriliter inserenda, de Sanctorum Patrum Concilijs innouata fuerunt duodecim decreta, & subscripta ab Episcopis Regni illius.

A. D. 1200. *Secundum Concilium Londinense in Anglia.*

Apud Vestmonasterium contra prohibitionẽ Gaufridi Filij Petri Comitis de Essexe, tunc temporis Summi Iustitiarij Angliæ pro reformatione Ecclesię, per Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum celebratum, scriptaque sunt decreta nonnulla valdè illis temporibus, & moribus accommodata.

A. D. 1203. *Tertium Concilium in Scotia.*

De initio celebritatis Dominicæ habitum. Prohibitumque est, ne quis forum rerum venalium diebus Dominicis exerceret.

A. D. 1213. *Quartum Concilium Lauaurense.*

In causa Petri Aragoniæ Regis, Comitem Tolosanum affinem suum protegentis iussu Innocentij Papæ III. indictum, quod prædictus Comes in hæresim prolapsus multa damna Ecclesiijs, Prælatisque intulisset.

Quintum Concilium Romanum.

Quo Otto IV. Imperator, per Innocentium Papam Imperio depositus est.

A. D. 1210. *Sextum Concilium Londinense.*

Quo Ioannes Rex Angliæ ab interdicto excõmunicationis, & depositione per Nicolaum Tusculanum Episcopum, & Sedis Apostolicæ Legatum absolutus est.

A. D. 1214. *Septimum Concilium Montepessulanum.*

Quo Simoni Montfortiano Comiti, Tolosanus Comitatus, ex quo Albigenses hæreticos eiecerat, datus fuit.

A. D. 1215. *Octauum Concilium Lateranense IV. Oecumenicum, seu vniuersale XII. approbatum.*

A. D. 1215. Mense Nouemb. in Eccl. S. Saluatoris, quæ Constantiano vocatur. Vbi Papa Innocentius tres Sermones declamauit, qui à Binio adnotati sunt.

Quadringentorum Episcoporum, & octingentorum aliorum Patrum, Abbatum, Decanorum, & Priorum Conuentualium, contra Albigensiũ, & Almarici hæreses, & Abbatis Ioachimi errores, pro Ecclesia in fide, & moribus reformanda, proque Terra Sancta à Turcis recuperanda celebratum. Vbi scripti canones LXX. Capitulis continentur, præsentibus Patriarchis Hierosolymitano, & Constantinopolitano, legatisque Græci, & Romani Imperatorũ, Regum, Hierusalem, Galliæ, Hispaniæ, Siciliæ Cypri, Hungariæ, Angliæ, & aliorum. Antiochenus verò Patriarcha graui languore detentus venire non potuit, sed misit pro se Vicarium suum Antididensem Episcopum. Similiter, & Alexandrinus sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se Germanum Diaconum suum. Venerat etiam ad hoc Concilium, & Maronitarum Patriar-

triarcha, qui sub Lucio III. relictis Monothelitarum erroribus ad fidem Catholicam cum suis accesserat, & in hoc Concilio plenissime res ad fidē spectantes, ritusque Catholicos edoctus, semper in posterum immobilis mansit, quantumuis infidelium pressuris cum suis agitaretur continuo, vt illorum literæ ad Leonem X. redditæ, apertè testantur, referente Baronio anno 1182. numero 4.

HONORIVS III. Cui Cincij nomen fuerat, Romæ ex clarissima gente Sabella prognatus erat, Patre Haymerico. A teneris annis Monasterio Lateranensi oblatus, & in eo Canonicorum Regularium institutum professus, atque propter eruditionem, pietatemque primum à Cœlestino III. inter Diaconos, deinde ab Innocentio III. inter presbyteros Cardinales relatus, & Camerarius factus, altero die post obitum illius à nouemdecem Cardinalibus, in Pontificem Romanum electus est. Reuelatione S. Petri, vt vulgo credebatur, instructus publicæ futurum prædicebat, Ciuitatem Sanctam Hierusalem breui recuperatum iri. *Quo rumore ait Vrsp. plurimi Romanorum & Germanorum excitati, Crucem contra Sarracenos sumpserunt.* Statimque vt Pontificatum suscepit, in Basilica S. Laurentij extra muros Romanos; & Petrum Comitem Altisiodorensem, Franci Regis propinquum & Iolantem eius coniugem Augustali nomine salutauit, & Imperij Orientalis corona insigniuit. Namque ante hos dies Henricus Imperator fatis concesserat, & Petrus in eius locum succedens Romam aduenerat. Quarto deinde Pontificatus sui anno Fridericum II. occidentis Imperatorem coronauit: qui Roma in Apuliam profectus cum magno suorum exercitu multa ibi bella commisit, omnemque terram cum Sicilia suo Imperio subiugauit, plurimisque ibidem interfectis, reliquos suo Dominio coegit esse subiectos. Ob qnam causam ab Honorio excommunicatus; Ioannis Hierosolymitani Regis (quem ad Vrbem delatum Pontifex honorificentissimè exceperat) intercessione, ea lege absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus est, vt res ablatas restitueret, & ad recuperationem Terræ Sanctæ se cum exercitu suo conferret.

Anno Dom. 1216. 15. Kal. Aug. Hic ob necessitates Christianitatis supplicationes publicas nudis pedibus in Vrbe peragebat.

Hic Religionem Carmelitarum eremitarum, hactenus sparsam, sub regula B. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani viuentem, autoritate Apostolica approbauit. Itemque prædicatorum, & Minorum S. Fracisci, Ordines confirmauit. Aduersus Turcas, & Sarracenos executum conscripsit, eumque comitatu Cardinalis Columnæ, aliorumque Principum & Regū milititibus stipatum in Asiam transmisit. Post restauratas S. Laurentij & Bibianæ Ecclesias, obijt mense Martio Anno Domini 1227. cum decem annis & octo mensibus Ecclesiæ Romanę præsedisset.

Sub hoc Pontifice Vincentius Cadlubeus Episcopus Crac Episcopatu se abdicauit, ne quicquam aduersante Principe, ac dissuadente Collegio Sacerdotum, & in Monasterio Cistertiensis Ordinis Andreouiensi reliquos quinque vitæ annos religiosè exegit, vbi hodie dum miraculis claret.

Scripsit Epistolam vnam ad Henricum III. Regem Angliæ, & aliam ad Episcopos Angliæ, quę extant apud Matthęum Paris. Tertiam verò ad Archiepiscopum Colonien. eiusque suffraganeos, mandans ne aduocatias Ecclesiarum suarum Laicis conferri permittant, quæ habetur apud Seuerinū Binium, ex Archiuio Metropolitano Colon. Ecclesiæ.

Primum Concilium sub Honorio III. Oxoniense in Anglia. A.D. 1222.

Per Stephanum Archiepiscopum Cantuariensem, pro reformanda Ecclesia Anglicana celebratum, in quo multa quoque fuerunt statuta ad reformationem monasticæ disciplinę, ac pseudo Christus quidam punitus est, qui signa quædam quasi Christi Crucifixi manibus pedibus, laterique impressa, ad maiorem populi circumuentionem ostendebat.

Secundum Concilium Germanicum. A.D. 1225.

Sub præsidio Conradi Episcopi Cardinalis Portuensis, & S. Rufinæ, Sedisq; Apostolicæ Legati, contra Simoniacos, & concubinarios Clericos celebratum, in quo promulgatæ constitutiones, per omnem Germaniam

niam datæ sunt ad exequendum omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanisque ruralibus, seuere præcipiens, vt in synodis annis singulis celebrandis eas publicari, & obseruari facerent.

A. D. 1225. *Tertium Concilium Bituricense*.

In quo præsidente Legato Sedis Apostolicæ, ex nouem Prouincijs Galliæ circiter centum Suffraganei, cum Abbatibus, & Prioribus conuenerunt, præsente Rege Francorum, & disciplinam Ecclesiasticam stabilierunt. Cumque Legatus expeteret in singulis Cathedralibus Ecclesijs, duas N. B. præbendas Romanæ Curiæ applicari, Procuratores Capitulorum nequaquam id fieri permiserunt.

A. D. 1226. *Quartum Concilium Vestmonasteriense*.

In causa Romani pont. duarũ præbendarũ obuentiones suę Curiæ assignari petentis, celebratum in Anglia præsente Rege. Qui respondit per Stephanum Archiep. Cantuarien. hoc negotium ad vniuersam Christianitatem spectare, si alia Regna hoc Domino Papæ concedent, habito exẽplo, Anglos quoque Domino Papæ obsecuturos.

An. Dom. 1227. 7. Martij Friderici Secundi anno octauo. Roberti Imperatoris Orientis 8. quo paucos intra annos, vt post Patrem Petrum regnare cœperat, vita functo anno 1226. successit filius eius Balduinus II. qui, vt Imperium sibi & Latinis stabiliret, Ioannis cognomenta Lascaris, quem Græci pro Imperatore suo agnoscebãt, affinitatem ambiebat. Sed dissuasere Burgundi fraudem Græcorum metuẽtes. Igitur Ioannis Breui Regis Hierosolymorum filiã Martham, cuius soror Ioles Friderico Secundo Imperatori Occidentis nupserat, in matrimonium sibi accepit, cuius Patrem Gubernatorem Imperij Constantinopolitani fecit. ipse verò in Italiã, atq; Galliam cum vxore abijt, ad opem ab Regibus Latinis cõtra barbaros, & Græcos rebelles implorandam, veteremque patriam reuisendam, atque res in ea componẽdas.

GREGORIVS IX.

Altero ab obitu Honorij die in Pontificatum successit, patria Anagninus, gente Signinia ex Comitibus natus, & ab Innocentio III. pontifice patruo, inter purpuratos olim cum Hugolinus diceretur, ascriptus. Is statim atque insignia Pontificatus accepit, Fr. Guilelmum Ordinis Prædicatorum ad Imp. Fridericum cum potestate Legati de Latere misit, rogans eum, vt recuperandę à Sarracenis Hierosolymæ causa, in Asiam cum exercitu proficisceretur. Nolentem verò, & tergiuersantem excommunicauit. Quem deinde absolutum, & à Ciuitatibus Lombardiæ confœderatis vexatum pacificauit. Cęterum cum ille communioni Ecclesiasticę restitutus, pristinis & abiuratis criminibus grauiora adderet, Ciuitates Ecclesię oppugnaret, factionemq; teterrimam, quæ iam tum Guelphi, & Gibellini appellabantur, non nisi post ducentos, & plures annos compositam excitaret, Sarracenis Magistratus mandaret, Ecclesias, & Monasteria spoliaret, Siculos tyrannide grauissima opprimeret, Fratrem Regis Tunisij baptismum Panormi petentem, à tam sancto proposito verbis deterreret, vias præcluderet, ne Concilium quod Gregorius Romæ indixerat, conuenire posset, Cardinales, aliosque demum Prælatos in vinculis teneret, secundam sententiam anathematis in eundem latam promulgauit. A populo Vrbe pulsus venit Perusiam, ibique biennio permansit, Franciscum, Dominicum, Antonium de Padua, & Elizabetham Regis Hũgariæ filiam in numerum Sanctorum retulit.

Dum Vrbe abesset, & Brundusium contra bannitos firmaret, Hannibal interea Romæ cum alijs quibusdam Reipublicę perturbatoribus populum Romanum ad defectionem solicitauit. Verùm Diuini numinis Vltrix dextera consecuta est, qua penè tota hominum multitudo peste extincta perijt. Pontifex Romam recursus populo culpam remissit, Hannibalem verò Senatoria dignitate spoliauit, Vrbemque purgari procurauit. Ex ijs qui Religionem SS. Dominici & Francisci professi erant, plurimos emisit, qui per totam Europam Christianos ad bellũ Sarracenis inferendum adhortarentur. Qui breui tempore tantùm profecerunt, innumeri sub signis Principum inscripti Constantinopolim peruenerint. Fridericus Imperator tandem ritum suum adimpleturus in Asiam profectus, accepta Hierosolymitanę Vrbis deditione, cũ Soldano Turcarum Rege solus citra consensum, ac scitum Principum Imperij decennales inducias contraxit.

Huius Pontificis, & S. Raymundi Barcinonensis Dominicani Ordinis Generalis, à Clemente VIII. in Sanctorum numerum relati opera, Quinque libri Decretalium collecti fuerunt.

Cum-

Cumque post Fridericum secundò excommunicatum, factione Gibelinorum, quibus Gibel, partes Cæsareanas sectatus præherat, multæ Ciuitates Italiæ à Pontifice deficerent, iamq; ipsa Roma idem meditaretur, delatis per Vrbem Apost. SS. Petri & Pauli capitibus, habitaque oratione pulcherrima, non tantùm populum compescuit, verùm etiam ad arma contra Fridericum, qui iam mœnibus Vrbis imminebat, eundem commouit.

Eiusdem pontificis temporibus Theologi Parisienses post longam disputationem diffiniuerunt, sine peccato mortali neminem posse habere duo beneficia, quorum alterum ad sustentationem est sufficiens.

Eodem tempore, hæreticorum multorum, qui diu in occulto latuerant, in Allemenia, Italia, & maximè in Longobardia fuit detecta impietas, & complures ex ijs igne combusti sunt. Sectam Nicolaitarum profitebantur, erantque ijs matres, vxores, & filiæ omnibus semper communes; Ecclesiam, & Prælatos contemnebant, carnes etiam in Quadragesima manducabant. Captiuitatem Episcoporum ad indictum Romæ Concilium accedere volentium, pontifex optimus tam ægrè tulit, vt præ nimio animi dolore vir propè centenarius obierit, vndecimo Kal. septembris Anno Christi 1241. cum Sedi Apostolicæ 14. annis 4. mensibus, & 26. diebus præfuisset.

Epistolæ Gregorij papę IX. ad Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum, de Friderici Imperatoris excommunicatione. Ad Gallorum Regem, & Suffraganeos Cantuarienses, de Imperatoris inobedientia. De Religiosorum visitationibus. De negotio Crucis inuectiuæ contra Fridericum, aliæque plures extant apud Matthæum Paris. & Abbatem Stadensem, horum temporum Scriptores.

Primum Concilium sub Gregorio IX. Romanum. A. D. 1234.

Pro expeditione in Terram Sanctam suscipianda celebratum. Cui intererant cum Imperatore Friderico, & Arciepiscopis, atque Episcopis, patriarchæ, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Prępositusque Sacræ expeditioni fuit, cum potestate Legati de latere, ex sententia Concilij Theodoricus Archiepiscopus Rauennas.

Secundum Concilium Lanciciense. A. D. 1240.

Ad quod iussu Fulconis Archiepiscopi Gnesnensis accesserat Conradus Masouiæ Dux, ac de admisso scelere (suspendio enim necarat Ioannem Czaplam Scholasticum Plocensem) eius arbitratu satisfecit.

Tertium Concilium Londinense. A. D. 1237.

Authoritate Ottonis Legati Sedis Apostolicæ pro reformanda Ecclesia Anglicana celebratum, & constitutiones valdè vtiles pro regimine Cleri conscriptæ, quas firmiter statuit obseruari.

COELESTINVS IV. Mediolanensis, è familia nobili Castilionum, & Cardinale Sabino, propter vitæ integritatem, & raram eruditionem ad Pontificatum euectus, trigesimo à Gregorij Pontificis parentalibus die. Gaufridus vocabatur ante, mutato autem nomine, mutauit mox & vitam, siquidem 18. diebus tantùm officio pontificali præfuit, & senectute ægritudineque confectus ex hac vita migrauit. Cardinalibus verò aliquot, per Fridericum in captiuitate detentis, Sedes viginti ferè mensibus vacauit. Nam in captiuorum Cardinalium absentia ad noui Pontificis electionem procedere, nec tutum, nec conueniens videbatur. Anno Dom. 1241. 22. Septemb. Friderici II. 26. Balduini II. 13.

Concilium Tarraconense. A. D. 1242.

Circa hæc tempora, contra hæreticos Valdenses in Regnum Aragoniæ irrumpentes celebratum fuit, in quo præscripta fuit formula illos inquirendi, puniendi, & recipiendi ad Ecclesiam reuertentes, salutaresque eis pœnitentias iniungendi.

IN-

An. Dom. 1243. Iunij 24. Friderici 28. Balduini 13. Quo tempore res Christianorum in Oriente fuerũt deplorata ad vndecim etenim millia Christianorum in Vrbe sancta oppressa. In templo autem, & circa sanctum Sepulchrum sex millia cæsa.

INNOCENTIVS IV.

Proprio nomine Sinibaldus appellatus, Patria Genuensis, ex nobili Fliscorum Lauaniæ Comitum Familia, communi cõsensu Cardinalium, per intercessionem Balduini Constantinopolitani Imperatoris, atque Ludouici Francorum Regis, è carceribus Friderici liberatorum, Anagniæ post interregnum vnius anni & octo ferè mensium electus est in Pontificem die 24. Iunij 1243. Quæ electio non ad modum grata fuit Friderico Imperatori, eo quod generosi animi virum esse sciebat, & multis virtutibus præditum; adeoque timebat ne ex Cardinale amico, Pontificem hostem experiretur. Volens tamen Pontifex antiquã amicitiam cum Friderico confirmare, Vrbem Castelanam petebat, quo in itinere cum sibi insidias tendi per exploratores compertum haberet, Genuensium nauibus impositus, fœlici nauigatione in Franciam delatus est. Vbi Concilium anno 1245. habuit, & Fridericum, qui citatus venire detractabat, Imperio, & Regno simul spoliauit: eique adhuc viuenti, post Henricum Lantgrauium Hassię, & Thuringiæ, Vilelmum Comitem Hollandiæ in Regno Germanię surrogari procurauit. Cumque hac de causa Fridericus excandescens, multa ædificia amicorum, parentumque Pontificis Parmæ existentia deijci, & funditus dirui curauit, Profectus eo Legatus Pontificis Fridericum post biennalem Parmensis Vrbis obsidionem deuicit, omnesque eius copias fudit. Et cum istius modi calamitatibus nihilo melior fieret, sed magis atq; magis pessum iret, Pontifex Concilium dimisit, ac deinceps ad reintegrandam Sanctã Militiam omnem cogitatũ suum conuertit, populum ad sequenda Ludouici Franciæ Regis vexilla, qui in Africam traijcere decreuerat, modis quibus potuit omnibus adhortatus fuit. Et postquam Edimundum Cantuariensem Archiepiscopum in Sanctorum numerum retulisset in Italiam reuersus, & Perusiam ingressus, Petrum Martyrem inter sanctos habendum declarauit. Idem de Stanislao Cracouiensi Episcopo iudicium tulit, eiusque memoriæ diem anniuersarium ad 8. Idus Maij, quo die cæsus est, dicauit. A nobilibus Neapolitanis aduocatus, comparere statuit; verùm in ea expeditione mortem subijt 6. Decembris Anno Domini 1254. quando vndecim annis, quinque mensibus, & 12. diebus Pontifex fuisset. Sepulturam in Ecclesia Cathedrali Neapolitana sortitus est.

Hic in Concilio Lugduni habito plures Cardinales creauit, primusque fuit, qui Cardinalitiam dignitatem rubeo pileo adauxit, ea intentione, vt admonerentur, teste Martino Polono, se semper paratos esse debere sanguinem pro Christiana Religione profundere.

Hic Pontifex regulam Carmelitarũ correxit, mitigauit, & authoritate Apostolica approbauit. Idẽ An. 1252. Mẽdogo magno Lituaniæ Duci regios titulos, ac diadema dedit, quem Archiepis. Rigensis sacro fonte cũ 600. primorum ablutũ in cãpis Nouogrodensibus solemnibus carimonijs nouum Regem inaugurauit. Albert. Koialouicz. Soc. Iesu Hist. Lituan. lib. 4.

Multa volumina in tanta rerum dificultate composuit. Inter cætera cõmẽtaria in quinque libros Decretalium cõposuit Authentica, & Apologetica edidit. Proinde viros literatos amabat, & colebat. Cardinalem Hugonem instituti Dominicani vnicè dilexit, qui Glosas, & concordantias in Biblia composuit, atque libros sacros in capitula distinxit. Huius instinctu plurimi, ac doctissimi homines ad scribendum sese applicuerunt: inter eos Alexander de Ales, Bernardus Parmensis, & Compostellanus. Eius etiam institutum fuit, vt Natiuitas Beatæ Mariæ cum octaua celebraretur. Primus rosam auream solenni ceremonia, ac ritu benedixit, eãque Canonicis Sancti Iusti hospitibus suis Lugduni dono dedit.

Epistolarum ab Innocentio IV. scriptarum plures extant apud Mattheũ Paris. rerum Anglicarum scriptorem, apud Baronium, & Bzouium. Vnã de trium Magorum miraculis, ac cultu, ad Archiepiscopum, Capitulumque Coloniense scriptam, & ex Archiuio eiusdem Ecclesiæ extractam adnotauit in suis Concilijs Seuerinus Binius.

Pri-

Primũ Conciliũ ab Innoc. IV. celebratũ, Lugdun. Oecumenicũ siue Vniuersale XIII. A. D. 1245. 4. Kal. Iulij.

Approbatum, 140. Episcoporũ. Aderant & tres Patriarchæ, Constantinopol. Antiochenus, Aquilegiensis. Imp. Constantinopolitanus, Comes Tolosanus, & alij Principes plurimi, legatiq; Regum: in quorum præsentia Innocentius causa Friderici II. Imp. cognita & agitata, cum de Sententia Synodi damnauit, & è piorum cõmunione eiectum Imperij dignitate, & Siciliæ Regno priuauit. Deinde Christianos omnes ad expeditionẽ in Terrã Sanctam cohortatus est; auxilia contra rebelles Græcos, Balduino II. Imp. Constantinopolitano prouidit. Et quia mores hominum longe à maiorum disciplina deflexerant, quotidieq; in vitia grauiora dilabebãtur, idcircò Põtifex optimus Canones nõnullos, vt Ecclesia pristinũ illum, qui hisce moribus obsoleuerat, dignitatis splendorẽ recuperaret, ex sem. Concilij edidit.

Secundum Concilium Vratislauiense, Per Legatum Sedis Apost. Iacobum Archidiaconũ Leodiensem Poloniæ Episcopis indictum, in quo subsidium contra Fridericum II. Imp. de quinta parte redituum Ecclesiasticorum in triennium Pontifici concessum. Pontifex verò ieiunium Quadragesimale, quod totis nouem hebdomadis veteri instituto Poloni seruabant, indulsit, vt deinceps esset hebdomadarum sex, & dimidiæ. A. D. 1248.

Tertium Conciliũ Lanciciense, In quo Fulco Archiep. Gnesnensis Conradũ Ducẽ Masoniæ, quod Epicopi Cracouiensis possessiones crudeliter diripuisset, & incẽdisset, anathemate percussit, atq; diris sacrilegũ inuasorẽ deuouit. A. D. 1246.

ALEXANDER IV.

Cui Reinaldi nomen fuerat, patria Anagninus nobili Comitum Scymiæ familia natus, Innocentij III. & Greg. IX. à quo Cardinalis creatus est, propinquus, ex Episc. Ostiensi, & Veliterno 15. die post obitũ Innoc. euectus est in thronum Apostolicum, & Cathedrã Petri 22. Decemb. ipso die Natiuitatis Christi conscendit vir doctrina, eruditione, & sanctitate insignis. Is porro mox, atq; sedem Pontificiam cõscendit, inprimis ex more assumptionis suæ omnes per literas admonuit, orationesq; omnium, pro felici administratione pontificatus postulauit. Deinde Manfredũ, qui sibi titulum Regni Neapolitani vsurpauerat, anathematizauit. Ad Venetos Philippum Fontanesium Rauennatem Archiep. misit, qui contra Eccelinũ tyrannum prædicaret. Post aliquot tandem obtentas victorias eo mortuo, tum demum res Syriæ Alexandro cordi esse cœperunt, quas tamẽ ad exitũ deducere non potuit, propter dissensionem inter Venetos, & Genuenses exortam, vnde grauissimum bellum secutum est. Alexander igitur tanto malo occurrere, ac mederi ex paterna cõmiseratione desiderans, vbi S. Claram Ordinis S. Francisci inter Diuos retulisset, omnem operam ad componendam pacem inter eos adhibuit: tamquã grauibus implicatus curis obijt 8. Kal. Iunij anno Domini 1260. cum sedisset annos sex, menses quinque, dies 13. Erga pauperes propensissimus fuit. Viros doctos maximo fauore prosecutus, semper magnifecit, inter cæteros Henricum à se Cardinalem Ostiensem factum. Sedes morte eius tribus mens. & 4. diebus vacauit.

A. D. 1254. xj. Kal. Ianuarij. Papa 180. Balduin. II. Imp. Orientis an. 27. Quo regnante Latinorum Imperium in Oriente defecit Genuensibus, & Venetis inter se pugnantibus.

Scripsit Epistolas decretales complures, quas vide apud Annales Steronis, quas & è manus. Cod. Monasterij Augustani SS. Afri & Vdalrici edidit Canisius T. Tom. antiquit. Habet non paucas, & Matthæus Paris & apud Sever. Binium inuenies vnam scriptam ad Scolasticum Argentinensem, de noualium decimis.

Hoc Pontifice sedẽte S. Hyacinthus Polonus Ord. S. Dominici de exilio huius vita in cœlestem domum cõmigrauit 18. Kal. Septemb. A. 1257.

Concilium sub Alexandro IV. Lenciciense. Conuocauit Fulco Archiepiscopus Gnesnensis, Boleslaumq; Caluum Ducem Silesiæ diris deuouit, quod Thomam Episcopum Vratislauiensem, templum Gorcense dedicantem, & Bogusalum præpositum, & Heccardum Canonicum, captos, & ad subuculam vsque expoliatos, compedibusq; constrictos in ferrum carcerem coniecisset, decẽ milia marcarum ab eis poscendo. Dumq; dimittere eos recusaret Archiepiscopus omni diœcesi Vratislauien. Sacris interdixit, & pontifi- An. Dom. 1258.

cem Alexandrum certiorem ea de re fecit, quidq; porro fieri oporteret rogauit. Rescripsit ille Archiepiscopo, vt Poloniam omnem ad arma contra Boleslaum sumenda Crucis militia promulgata, vna cum cæteris Episcopis concitaret. Sed interim Thomas pertæsus diri carceris, duobus millibus marcarum, & commutatione decimarum manipulariū in pecuniarias per totam Diocesim suam, vna cum Præposito, & Canonico se redemit.

Papa num. 181. An. Dom. 1261. 29. Augusti. Michaelis Paleologi Imp. Orien. 2. qui iuramenti sui oblitus Ioannem sexennalem Theodori Imperatoris filium legitimum Imperij hæredem exoculauit, & Arsenium Patriarcham, qui suo capiti coronam imposuerat in exilium relegauit.

VRBANVS IV. Cui Iacobi Pantaleonis nomen fuerat, Trecis in Gallia oriundus, patre sutore Veteramentario. Sed cum indole animi præcelleret, liberalibusq; disciplinis operam dedisset, ac Iurisprudentiæ Theologicā quoque scientiam addidisset, primum Tricassinus Canonicus, deinde Landunensis Archid. postea Verdunensis Episcopus, & Alexandri IV. in Pomerania, Prussia, Liuonia, Vniuersaq; Germania Legatus, ac tandem Hierosolymorum Patriarcha, per omnes virtutum gradus ad summum Pontificatū Catholicæ Ecclesiæ euasit. Roma siquidem tumultuante, & veteris dignitatis ambitione Senatorem sibi creante, & Tribunos, quos Banderesios appellauerant, Cardinales Viterbij apud D. Laurentium Alexandro tumulato, pridie Nonas Septembris, in Ecclesia Prædicatorum solemni ritu Vrbanum IV. inaugurarunt. Qui statim de assumptione sua Principes Christianos admonuit, orationesq; omnium humiliter postulauit: ipse autē vt securior à maleuolorum insidijs esset, Oruietum se recepit: deinde animum conuertit ad pacem Italiæ stabiliendam, resq; Ecclesiæ Romanæ recuperandas. Cumque omnis Hetruria tum Manfredo Siciliæ, atque Neapolis Regi pareret, qui Marchiam quoque Anconitanam, atque Lombardiam subijcere suæ iurisdictioni tunc satagebat, Pontifex in extrema quasi calamitate constitutus, cum & patrimonium D. Petri à suis militibus depopularetur definiuit, vt auxiliares copiæ, quæ in Asiam traijcerentur, delectæ erant, è Gallijs aduocarentur: quæ accepta à Pontifice benedictione, omnem Manfredi exercitum ex Sarracenis conflatum, deleuerunt. Eo tempore Romani debitam obedientiam Pontifici nullam præstabant, verum Magistratum suo genio, & voluptati deseruientem, pro libito sibi deligebant. Quem sui contemptum Vrbanus ex eo procedere videns, quod omnem suam authoritatem à Manfredi iniquitate, & iniurijs depressam, & obscuratam viderent, Concilio Oruieti habito conclusum est, vt Carolus Andegauiæ Comes, Franciæ Regis frater, in Italiam cum titulo Regni Neapolitani aduocaretur. Et quanquam ad eam legationem perficiendam Cardinalis missus esset, nihil tamen eius rei, nisi subsequentis Pontificis tempore executionem suam sortitum est. Hoc vnum post hominum memoriam celeberrimum ad posteros transmisit, quod suo tempore augustissimi, ac simul Sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi celebritatem instituerit, idq; ad hæresim contrariā verbo simul, & facto impugnandā, quæ his tēporibus venerabili Sacramento debitum cultū indebite adimebat. Tantæq; celebritatis Sanctissimi Corporis Christi officium, Diuus Thomas ab Aquinio, authoritate Apostolica delectus fuit. Cumq; ante crucifixum prouolutus intentius oraret, approbationem omnium scriptorum suorum, nemine comparente cœlitus accepit. *Bene scripsisti de me Thoma*. Vt autem ab Vrbano non recedamus, postquam ille Vrbem Oruietum præclaris ædificijs, tàm priuatis, quàm publicis exornasset, Perusij ad vitæ periodum perductus obijt, sexto Nonas Octobris, Anno Domini 1264. cum Pontificatum tribus annis, 34. diebus administrasset. Sedes eius morte quinque mensibus vacauit.

Epistolas duas scripsit, ad Euam reclusam Sancti Martini Leodiensis vnam, *de Festo Corporis Christi*: alteram, ad omnes Episcopos, eiusdem argumenti. *Extat inter Clementinas Constitutiones lib. tit. 16. de reliquijs, & veneratione Sanctorum*.

CLEMENS IV.

Patria Narbonensis, è Villa sancti Aegidij, antea Guido Falcodius appellatus, Iurisprudentiæ laude clarissimus, mortua coniuge, quam prius habuerat, Podiensis primo, & paulò post Narbonensis Episcopus factus, tandem Cardinalis Sabinensis, & in Anglia per id temporis, Sedis Apostolicæ Legatus, quarto ab Vrbani Pontificis demortui mense, absens à Cardinalibus Perusij in commune consulentibus, vno omnium suffragio ad Pontificatum Catthólicæ Ecclesiæ euectus est. Qui habitu mendicantis religiosi assumpto Perusium venit, vt insidias à Manfredo Siciliæ, atque Neapolis Rege, Gibellinaq; factione instructas euaderet. Quò Cardinales subsecuti, eum cum debito honore Viterbium deduxerunt. Interea Carolus Andegauensis frater Ludouici IX. Regis Galliæ, Italiam ingressus, Romæ per Cardinales ad hoc deputatos, Neapoleos, & Siciliæ Rex renunciatus est, ea conditione adiecta, vt feudi titulo, Ecclesiæ Romanæ quadraginta millia ducatorum quotannis penderet. Carolo Rege creato, post Manfredi obitum, quem ipse deuicerat, Conradinus valida manu instructus, vt Regnum Siciliæ recuperaret, superuenit, de quo Pontifex, cum per agros Viterbienses eum transeuntem videret, fertur dixisse, ipsum tanquam agnum ad macellũ deduci, quemadmodum etiam citò euenit, cum aliquot victorijs elatus, tandem cum Carolo Andegauensi conflixit, & captus vna cum Friderico Austrio, publico supplicio mulctatus est.

An. Dom. 1265. ipsis nonis Febr. Michaelis Paleologi anno 6. Occidentale autem Imperium per multos annos vacabat, Clemens interim Henricum fratrem Regis Castellæ Alphonsi, Senatorem Vrbis fecerat.

Pontifex S. Bonauenturam vnice dilexit. In pauperes liberalis, erga Deum religiosus, apud omnes modestus extitit, & vt paucis multa complectar, nullis non virtutibus ornatus erat. Bona Ecclesiæ fidelissime, nullo personarum habito respectu distribuit. Filiarum duarum alteri (quos ex legitimo matrimonio ante Pontificatum susceperat) in Monasterio collocatæ triginta tantùm libras; alteri trecentas libras dotis nomine dedit. Clerico nepoti tres præbendas habenti, duas abstulit dicens, *se Deo*, non carni & sanguini velle acquiescere. Post *tres annos, diesque viginti, & vnum occupatæ Sedis Apostolicæ mortuus*, & sepultus est Viterbij in Ecclesia B. Mariæ Virginis, Ordinis Prædicatorum ad Gradus tertio Kal. Decemb. Anno 1268. Cumq; de nouo pontifice eligendo diutius disceptaretur, annis duobus, & nouem mensibus Sedes Apost. pastore vacauit.

Anno 1267. Eligitur à Principibus Germanorum in Regem Romanorum Rudolphus Comes Habspurgensis, cuius successores in hodiernum regnãt in Germania titulo Imperatoris gaudentes.

Epistola Clementis IV. ad Petrum Grossum de S. Aegidio, extat apud Papirium Mason. in vita eiusdem Clementis. Duæ aliæ einsdem Papæ ad Velodizaum Salisburgensem, & Petrum Patauiensem Episcopum, apud Henricum Steronem, in Tom. 1. Antiq. lectio Henrici Canisii.

Concilium Viennense.

Anno D. 1267. 6. Idus May.

Tempore Clementis Papæ IV. auctoritate Guidonis Legati Sedis Apostolicæ, causa reformandæ Ecclesiæ celebratum, & Constitutiones editę Germaniæ moribus reformandis vtilissimæ.

GREGORIVS X.

Theobaldi nomine antea vocatus, è Vicecomitibus Placentiæ, Archidiaconus Leodiensis, cum in Asia contra infideles cum exercitu Christianorum pugnaret, & Principes Christianos ad arma sacra facundis concionibus excitaret, ob vitæ sanctitatem absens hortatu S. Bonauenturæ ab omnibus prope Cardinalibus electus est Viterbij, in præsentia Philippi Regis Franciæ, & Caroli Regis Siciliæ, cuius comitatu stipatus maritimo itinere in Apuliam ex Sicilia venit, terrestri verò itinere Caperana Viterbium concessit, inde cum Cardinalibus Romam deuenit, vbi 27. Martij coronatus, & consecratus est. Rebus Ecclesiæ pacatis in præsentia Gallorum Regis, inter Venetos, & Genuenses quinque annos induciarum pepigit. Exinde Lugduni congregauit Concilium, in quo Palæologo Græcorum Imperatore per Legatos præsente, Græca & Latina Ecclesia,

An. Dom. 1272. 4. Idus Februarij. Viterbium venit 6. Kal. Aprilis Romã profectus in Basilica Princip. Apostolorum primo presbyterij gradum, deinde Pontificatus dignitatẽ adeptus, rituque solenni inunctus vniuersis Regibus, ac Principibus Christianis assumptionẽ suam significauit Michaelis Palæologi Orien. Imper. anno 13.

decimatertia vice vnitæ fuerunt. Florentiam interdicto puniuit, quod Gibelinos eo per se remissos eiecissent. Absoluto Concilio in Italiam regrediens, obuiam factus est Regi Castellæ, quo grauiter conquerente, quod in electione Imperatoris, Rudolpho fuisset posthabitus. Auditis tamen Pontificis optimis rationibus, pacatum reddidit. Aretium delatus, cum propter interdictum Florentiam declinare studeret, in morbum incidit, & post quatuor annos, totidemque menses, & decem dies, ab electionis tempore elapsos, mortuus est Aretij in Tuscia IV. Idus Ianuarij Anno 1276. Sepultusque ibidem in Ecclesia Cathedrali S. Donati miraculis claruit.

In Concilio iam dicto, inter alia decreta, hoc vnum adinuenit, vt mortuo pontifice, Cardinales in conclauibus sub firma custodia recluderentur, ad euitanda pericula, quæ ex diuturniori electionis dilatione oriri potuissent. Huius tempore emerserunt ex Italia, Flagellantes hæretici incerto authore, qui per Germaniam, & Galliam vagantes semetipsos flagellabant, & inter cæteros errores hos prædicabant. Neminem saluari posse nisi in sanguine de proprio suo corpore per flagella excusso baptizaretur. Aquam benedictam nihil efficaciæ habere. Plures vide apud Sanderum lib. 7. de visibili Monarchia. Quo & quali habitu vsi fuerint, Stero in suis Annalibus descripsit.

Epistola Gregorij Papæ X. ad Henricum Leodiensem Episcopum in Cōcilio Lugdunensi propter incontinentiam denunciatum, & conuictum, vt Episcopatu se abdicet. Extat tom. 2. cap. 9. de gestis Episcoporum Leodiensium per Chapeauille editorum.

An. Dom. 1274. Huic Concilio adiunctæ sunt literæ Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum ad Gregorium Papam X. & literæ Prælatorum Græciæ. Tum quoque Epistolæ Gregorij ad Michaelem Imper. & ad primogenitum illius Andronicum, ad Episcopos, & Clerum Græciæ, & Abagham Regē Tartarorum.

Primum Concilium Lugdunense II. Oecumenicū, siue vniuersale XIV. approbatū.

Episcoporum plusquam septingentorum contra Græcorum errores, & pro recuperatione Terræ Sanctæ, alijsque de causis celebratum à Gregorio X. anno Pontificatus sui secundo. Vbi etiam Michael Palæologus vnioni consensit, cuius hæc tria capita fuerunt. *I. vt in sacrorum voluminum hymnodijs, Papæ cum quatuor Patriarchis mentio fieret. II. Vt liceret cuius Romam veterem, quæ curia maior, & perfectior esset, appellare. III. Vt illi principatus in omnibus deferretur.* Sed & Rudolphus ab Electoribus Germanis in Romanorum Regem declaratus, ea conditione à Gregorio Pontifice in Concilio est acceptus, vt Romam pacificus adiunctionem accipiendā se conferret, ac rebus Hierosolymæ quantam posset opem ferret. Pro conseruanda quoque disciplina Ecclesiastica scripti sunt Canones XXXI. quos in iudicijs, & in scholis obseruari mandatum est.

A. D. 1224.

Secundum Concilium Salisburgense.

Pro recipiendis Lugdunensis Synodi Cōstitutionibus, alijsq; reformādæ Ecclesiæ causis congregatū, à Friderico Salisburgensis Ecclesiæ Archiepisc.

Papa 184. An. D. 1276. 21. Ianuarij Michaelis Palæologi 17. Quo tempore Matthæus primus Vicecomes Mediolanensis creatus.

INNOCENTIVS V.

In municipio Tarantasia dicto, non procul à Marienna Valle, flumineque Isara, qui in Rhodanum influit, in Alpibus natus, Petrus antea vocabatur, cum religionem Prędicatoriam vitæ sanctitate, & doctrina illustraret (erat enim Doctor Theologiæ, & super libros quatuor Sententiarum, & Epistolas sancti Pauli Commentarium scripserat) cum Parisijs, tùm in alijs Gymnasijs varias scientias profitendo. Quapropter ad Cardineam dignitatem, & Ostiensem Episcopatum primum, deinde ad summum totius Ecclesiæ pontificatum promotus, ex lege nuper à Gregorio lata, à Cardinalibus in conclaui conclusis, & die S. Agnetis Martyris Romæ apud Sanctum Petrum diademate coronatus Innocentij nomen accepit, quod verè insons, atque innoxius fuisset. Statimque initio Pontificatus sui animum ad pacem Italiæ conciliandam adiecit, ac plures legationes misit ad Etruscos, ijs sub pœna excommunicationis iniungens, vt armis contra Pisanos arreptis abstinerent. Michaelem Palæologum

Imperatorem Orientis fidei in Concilio Lugdunensi datæ admonuit. Venetos, & Genuenses similiter monuit, ne se deinceps bellis lacesserent. Etrusci, & Florentini Pontificis mandato paruerunt: qui proinde ab interdicto per Pontificem absoluti sunt. Veneti, & Genuenses ab inchoatis prælijs non destiterunt, ex quibus Innocentius pacis amantissimus eos extricasset, nisi præmatura morte præuentus fuisset. Nam post quinque menses, & aliquot dies ab electione lapsos defunctus, in Basilica Lateranensi sepultus fuit.

An. Domini 1276. 4. Idus Iulij. Michaelis Palæologi 17. Quo tempore Cæsar Rudulphus I. cum Othocaro in campis Austriæ congressus cruenta potius est victoria.

ADRIANVS V.

Genuensi Patria, ex Illustri Fliscorum familia natus, antea Otto bonus nominatus, Innocentij IV. nepos, à quo S. Adriani Cardinalis creatus erat, dum ad comprimendam seditionem inter Regem, & Barones Angliæ Legatum egisset, in locum defuncti Innocentij surrogatus. Qua de causa cùm ad eum agnati sui gratulaturi accessissent, ijs dixisse scribit Masonius. *Vtinam me Cardinalem prospera valetudine, non moribundum Pontificem inuenissetis.* Viterbium profectus, Imperatorem ad retundendā Caroli Regis Siciliæ potentem insolentiam in Italiam vocauit. Sed Imperator bello contra Bohemos suscepto impeditus, Pontifici satisfacere non potuit. Carolus verò omne belli robur in Græciam conuertit. Adrianus inchoato Lateranensi palatio quadragesimo electionis suæ die moritur Viterbij, antequam consecrationem consecutus fuisset. In Conuentu Fratrum Minorum ibidem sepultus est. Ecclesiæ statum tutiorem, & tranquilliorem reddere, & Gregorij constitutionem de eligendo Pontifice in meliorem formam redigere, ille quidem apud se proposuerat, verùm eius conatibus, & animi magnitudini mors obstitit.

Anno Dom. 1276. 15. Septemb. die 25. post mortem Adriani. Palæologi Imp. an. 17. qui à Turcis in Paphlagonia victus eorum tyrānidi initium dedit.

IOANNES XIX.

Vulgo XXI. antea Petrus Hispanus vocatus, Patria Vlixiponensis professionis Medicus; ex Episcopo Tusculano ad supremam Ecclesiæ dignitatem euectus Viterbij. Palæologum, quem ad Romanæ Fidei professionem, prout in Concilio Lugdunensi promiserat, edendam induxit; hunc simul & Reges Orientales admonuit, vt arma pro defensione Fidei susciperent. In eo laudem singularem meritus est, quòd pauperes studiosos facultatibus, & beneficijs iuuerit: librosque de Medicina, aliaque de arte Logica opuscula composuerit, è quibus Summula quædam extat, quam Thesaurum pauperum appellant, medicinæ non inutilis. Problemata quoque aliqua ad imitationem Stagyritæ euulgauit. Cumque Pontificatum octo mensibus, & aliquot diebus tenuisset, tecti conclauis ruina Viterbij oppressus est post cuius obitum, ad sex menses Pontificiæ Sedi nullus præsedit.

Anno Dom. 1277. 7. Kal. Decembris Viterbij. Michaelis Palæologi anno 18. qui missis Legatis ad Nicolaum recens creatum Papā primatum Sedis Apostolicæ agnouit, obedientiam reddidit, & unionem Ecclesiarum Grecæ, & Latinæ in Concilio Lugd. factam confirmauit, vna cum Ioanne Patriarcha Constantinopol.

Hic Pontifex Fr. Martinus Polonum Ord. Præd. pœnitentiarium, & Capel-

NICOLAVS III.

Cui Ioannis Caietani nomen fuerat, ex nobilissima Vrsinorum Familia genitus, ex Cardinale Diacono Tituli S. Nicolai post interregnum sex mensium, die D. Catherinæ Martyri Sacro, magna cum altercatione Pontifex creatus est, obsistente plurimum Siciliæ Rege Carolo, qui Senator conclaui præsidens, omnibus modis vrgebat, vt è Gallia quispiam eligeretur. Inito Pontificatu, Carolo Etruriæ Vicariatum, & Senatoriam dignitatem abstulit, strictissimè prohibens, ne vllus principum ad eam deinceps assumeretur. Exarchatum Rauennatem cum omni Flaminia recepit, cui Comitem Bertholdum nepotem præfecit. Post multas comminationes, Venetos adegit, vt pacem cum Anconitanis paciscerentur. Duos Reges ex Vrsinorum Familia creare decreuerat, vnum Etruriæ, alterum Longobardiæ præfecturus: Ille vt Germanos vltra Alpes compesceret, hic vt Gallorum, & Sicilientium potentiam retunderet. Laudatur in eo, quod generosi animi, & sani consilij, probatæ vitæ, morumque honestissimorum fuerit, literarum studiosos amauerit, in distribuendis beneficijs

lanum suum Archiepisc. Gnesnen. creauit Viterbij x. Kal. Iunij Qui iter in Poloniam faciēs obijt Bononiæ, & in templo D. Dominici, ante aram maiorem, secus, Sacellum D. Thomæ sepultus quiescit, habens in lapide sepulchrali inscriptionem eiusmodi. Hic iacet Fr. Martinus Polonus Ord. Prædicatorū Archiepiscopus Gnesnensis. *De quo tot fabulæ circumferūtur, quod vel Consencinus, vel Beneuentanus esset, & quod is auctor esset strophæ de Io. fœmina Papa, cum istud in M. S. eius autographo codice nusquam inueniatur. Videi Bzou. in an.* 1278. *num.* 32.

A. D. 1279.
7. *Idus Decembris.*
A. D. 1281.
8. *Kal. Martij.*
Rudolphi Cæsaris an. 8. *Michaelis Palæol. Imp. Orien.* 22.

ficijs personarum electionem euitauerit. Cardinales aliquot graues, & doctos Viros elegit, inter alios fratrem suum, & Columnæum alterum. Prçclaris ædificijs palatium exornauit. S. petri hortos muris circumdedit, Ecclesiamque reparauit, in eaque pontifices depingi curauit. Idem etiā in S. paulo perfecit. Canonicorum numerum auxit. Ordines Ecclesiasticos diuisit, vnicuique domicilium proprium assignans, vt aduenæ, quo in loco quisque magistratus, præsertim Forensis reperiretur, cognoscere possent. Palatium Lateranense ad finem perduxit. Sancta Sanctorum restaurauit, Ecclesiam S. Ioannis proprijs expensis reędificauit, numquam Missam sine lachrymarum profusione celebrauit. Ordinem Minorum maximè promouere studuit. Ecclesijs vacantibus optimè omnium, & prudentissimè ipse vnus prouidit. Magistratum aliosque Curiæ ministros reformauit. Multa ad publicam vtilitatē spectantia ordinauit. In hoc vno, quibusdam culpabilis visus, quod in suos propensior obseruaretur: præsertim quod vt ijs benefaceret, alijs subtrahebat. Tandem, licet cibi, potusque abstinentissimus esset, morte tamen subitanea in octaua Asūptionis Suriani sublatus est, cum pontificatum annis tribus, mens. 8. & diebus 15. obtinuisset. Inde Romam relatus in Ecclesia S. Petri sepultus est. Sedes quinque mensibus vacauit. *Concilium vnicum sub hoc Pontifice Tarracone in Aragonia.*

Pro Canonizatione Raymundi Pennafortij celebratum est, præsidente Bernardo loci Archiepiscopo, qui cum Suffraganeis suis constituta reformatione morum Ecclesiæ suæ petijt à Nicolao pontifice viri sanctissimi memoriam consecrari æternitati.

MARTINVS II.

Simon ante dictus, natione Gallus, Patria Briensis, quondam Turoni Canonicus, vir Pius, & Sanctus, post obitam in Gallia legationem Sedis Apostolicæ, ex Card. presbytero tituli S. Cæciliæ creatus pontifex Viterbij coronari recusauit, quod propter violentiam illatam, illa Vrbs interdicto subiaceret. Sed Oruieti 23. Martij inauguratus est, ipso die Paschę sex Cardinales creauit. Carolus Rex Siciliæ ibi eum inuisit, eique Senatoriam dignitatem, non sine aliqua ignominiæ nota, restituit. E Familia Vrsinorū Card. Romam misit, qui Vrsinos cum Hannibaldis reconciliauit: vbi Richardus, laqueo in collum iniecto, ad pedes Cardinalis humiliter se demisit. Cumque Romanis concessisset, vt duos Senatores deligere possent, Hānibaldus Petri Hannibaldi filius, & pandulphus Gabellus electi fuere. Palæologum Imperat. quod promissis in reconciliatione Ecclesię Græcæ cum Latina factis non stetisset; & Perusinos, quod de facto Fulgentium inuasissent, & contriuissent: Petrum etiam Aragoniæ Regem, ideò quod à tempore pacis, se auctore cum Carolo factæ, Regnum Neapolitanum diuexare, Siciliamque adiutus viribus Ioannis Procidæ, authoris illius truculentissimè stragis, quam Vesperas Sicilianas vocant, occupare non desineret, excommunicauit. Tandem Perusij, quo ipse propter certos tumultus, inter Gibelinos & Guelphos exortos, se contulit, morbo correptus, anno 1285. animam Deo reddidit, ac in Ecclesia Cathedrali sepulturæ honorem accepit, dum annis quatuor mense vno, septeque diebus Ecclesiæ præsedisset. Ad eius sepulchrum plurimi ægroti, claudi, ac cęci, in eius sanctitatis testimonium, sanitati restituti sunt.

Epistolarum Martini Papæ II. Quibus Petrum Regem Aragoniæ, propter Caroli Regis expulsionē excommunicauit, & Minoritis ac Prædicatoribus priuilegium confessiones audiendi concessit, extant apud Eberhardū huius temporis scriptorem: aliæ item eiusdem Epistolæ duæ, apud Papirium Mason. in vita illius reperiuntur.

Papa 189.
Anno Dom. 1286.
12. *Aprilis.*
Rudol Cæsar. 12.
qui Lucensibus, &

HONORIVS IV.

Patria Romanus, ex Illustri Sabellorum Familia patre Luca natus, Iacobi nomine ante vocatus, legitima omnium electione Perusij Pontifex de-

declaratus est 4. Non. Aprilis, & ad vij Kal. Maij in Basilica Diui Petri in Vaticano inauguratus: vir omnium virtutum genere insignis, sed mirum in modum podagræ, atque chiragræ morbo impeditus, vt non nisi instrumentis ad id affabre compositis suffultus celebrare posset. Prudentia & cõsilijs nulli erat secundus. Excõmunicationẽ contra Petrũ Regẽ Aragoniæ latam renouauit, ideò quod omnibus conatibus Regnum Neapolitanum affectabat. Parum etiam abfuit, quin Genuenses interdicto notauerit, quod Pisanos obstinatè persequentes apud Lamellum ingentibus cladibus affecissent. Guidone Feltrano, à quo inquietabatur, mortuo, Flaminiam recuperauit. Carmelitarum Ordinem, cappis eorum nigris in albas cõmutatis vnà cum Ordine Eremitarum, antea Parisijs exagitatum confirmauit; non quod illi celeberrimi Ordines, demùm huius Pontificis ætate, sua initia acceperint; sed quod ex obscuris, Asiæ, & Africæ latebris erumpentes magis innotuerint, ac in Italiam aliasq; Europæ partes sese effuderint, feliciusq; increuerint, sub Apostolicæ Sedis clientela, & patrocinio constituti. Etenim Carmelitarum Ordo ab ipsis Apostolorum temporibus, in monte Carmelo inchoatus fuit, vnde, & nomen suũ mutuo accepit. Temporis tandem progressu, numero hominum, & domiciliorum multiplicatus est. Verùm Sarracenis irruentibus, disiectus, & dissipatus, non nihil detrimẽti accepit: ijs porrò denuo eiectis, Ordo circa ea tempora iterũ refloruit. Eremitarum verò Religio ab ipso Patre Augustino in nemore prope Ciuitatem Hipponensem (teste Possidonio) fuit instituta, quæ viuo Augustino, & mortuo, magna deinceps sumpsit incrementa. Post aliquot annos, barbarorum irruptione cecidit: hinc Eremitis in Italiam aduentantibus, alijs alio migrantibus, in varias prouincias, & Europæ partes sese protulerunt: donec omnes in vnum corpus reuocati, auctoritate Apostolica, loco, habitu, coniuncti, ad Augustini Regulam, normã, & nomen arctius religati sũt. Insuper, & in ciuitatibus habitare sunt iussi, vt Episcopis, Parochis, & alijs Ecclesiæ Pastoribus, tanquam subsidiarij sodales auxiliarentur. Vnde factum est, vt Eremitarum nomen, quod ex solitudine ab initio habuit, etiã in medijs vrbibus retineat. Vt vero ad Honorium sermo recurrat, toto Põtificatus sui tempore, vnicum Cardinalem creauit Ioannem Buccumaticũ Episcopum Tusculanum. Alumnorum suorum, domesticorum, & famulorum suorum amantissimus erat, quorum salutis singularem curam habebat. Ad extremum vir bonus, & integer, scientiæ, & honestatis verus amator, quando Petri nauiculam fæliciter duobus annis & vno die direxisset, naturæ debitum in monte Auentino, in quo se continebat, persoluit 3. Nonas Aprilis, Anno Christi 1287. ac inde ad S. Petrum ad sepeliendũ delatus est. Sedes propter Cardinales diuersis morbis exagitatos, decem mensibus vacauit.

Florentinis libertatem accepta ab eis pecunia dedit. Similiter, & Genuensibus. Interim verò Galli, & Arragonenses pro Sicilia inter se digladiabãtur, Carolusque Claudus Princeps Salernitanus Caroli Siculi filius è custodia ab Alphonso Aragoniæ Rege dimissus certis conditionibus, quibus Honorius Papa cõtradixit.

Primum Concilium Lanciciense in Polonia. Sub tẽpus electionis Honorij IV. celebratum, quo Iacobus Suinca Archiepiscopus Gnasnensis, Henricũ IV. Ducem Vratislauiensem cognomento Probum, re autem improbissimum communione Christiani Populi, vna cum sociis & fauctoribus sceleris & sacrilegij exclusit; quod Thomæ Episcopo ad bellum grandem pecuniæ summam imposuisset, & non soluentem ad condictã diem; sua Sede expulisset, bonaq; omnia Ecclesiarum intra dioecesim consistentia, decimasque omnes inuasisset, & nefarie sibi vsurpauisset.

An. Dom. 1285. Vide Cromerum lib. 10. Et Stephanum Damalewicium in vitis Archiepisc. Gnesnensium.

Secundum Concilium Rauennatense. Causa reformandæ Ecclesiasticæ disciplinæ; à Bonifacio Archiepiscopo Rauennatensi celebratum, qui IX. Constitutiones cũ suis suffraganeis conscripsit, & obseruari à Clericis præcepit.

An. Dom. 1286. In templo, S. Mercurialis, Foroliuiensi.

Tertium Concilium Herbipolense: Sub præsidio Legati Sedis Apostolicæ Ioannis Episcopi Tusculani, in præsentia Rudolphi Regis Romanorum celebratum, in quo contributionem decimi denarij à Clero Legatus vrgebat, sed Siphridus Archiepiscopus Coloniensis, & Henricus Archiepisc. Tre-

An. Dom. 1287. Hoc anno obijt S. Bogumilus ex Archiepiscopo Gnesnẽsi Eremita Camaldulen. sãctitate & miraculis clarissimus.

uirorum,

uirorum, fortiter se opponentes, negotium penitus reuocarunt, ad Sedem Apostolicam appellando. Interim quoque Honorius Papa è viuis excessit.

Anno Dom. 1288. 8. Kal. Martij Rudol. Cæs. 15. Quo tempore Ptolemaidam circumsidebat Sultanus Aegypti cum millibus equitum sexaginta peditum centum sexaginta. Quapropter Pontifex omnes Principes Christianos ad ferenda obsessis Christianis subsidia per literas, & Legatos auocabat. Qui dū dissidijs inter se laborant occasionem potiundæ victoriæ barbaris dederunt, vt Soldanus Tripolim, Tyrum & Beritum interea expugnaret. Eoque tempore domus B. V. M. è Nazaratho Angelorum manibus in Dalmatiam translata est.

A. D. 1289.

A. D. 1291.

NICOLAVS IV.

Patria Asculanus, Ordinis Minorum Generalis, dictus antea Hieronymus religionis, & pacis amator, ex Cardinale præsbytero S. Sabinæ Pontifex creatus. Seditionibus Romæ coortis Reate profectus, quosdam ibi Cardinales ex omni ferè Religione creauit. Rebus tranquillioribus redditis ad Vrbem redijt, Ecclesiamq; S. Mariæ Maioris resarciuit, Cardinalis Columnæ auxilio adiutus partes quoque anteriores Ecclesiæ Lateranensis restaurauit. Certis adiectis conditionibus Aragoniæ Regem cum Neapolitano reconciliauit. Ptolomaidi per Soldanū Aegipti obsessæ bis mille & quingentos milites proprijs expensis auxilio misit. Carolum duobus Regnis Siciliensi, & Neapolitano inuestiuit. Legatos misit ad Reges Franciæ, & Aragonum, vt eos ad ferendum Terræ Sanctæ suppetias induceret. In quo cum frustra se laborare intelligeret, tristitia & amaritudine confectus, post annos quatuor, mensem vnum, & dies octo administrati muneris, Pontificij Anno 1291. Romæ mense Decembri mortuus, in Ecclesia S. Mariæ Maioris cum honore sepultus est. Et vacauit Sedes Apostolica annis duobus, mensibus tribus, & diebus 18. idq; propter discordiam Cardinalium, hac de causa Perusij congregatorum.

Primum Concilium sub Nicolao IV. Mediolanense. In causa disciplinæ Ecclesiasticæ habitum, cuius Constitutiones decem promulgatas, summatim recenset Bzouius in Annalibus suis.

Secundum Conciliū Salisburgense. De Hospitaliorum, Templariorū, & Teutonicorum Ordinibus coniungendis celebratum; sed priusquam Concilij conclusio perueniret ad Curiam, Papa mortuus est, & negotium infectum remansit.

A. D. 1291. 27. Nouemb.

Tertium Concilium Londinense. De eiectione Iudæorum celebratum, Bernardo Episcopo Grosetano Sedis Apostolicæ Legato præsidente. Atque Iudæis tota Anglia eiectis, oues ab hœdis segregatæ sunt.

Quartum Concilium Mediolanense. Pro auxilio Terræ Sanctæ ferendo cōgregatum in Ecclesia S. Theclæ. Vbi multi auctoritate Pontificis ad bellum proficisci volentes Cruce signati sunt, præfecto copijs Rege Galliarū. Propositumq; Pontifici, vt milites Hierosolymitani, vna cum Templarijs & Theutonicis, in vnum Ordinem congregarentur, ijsdem institutis viuerent, & vnitis armis contra barbaros dimicarent.

A. D. 1292.

Quintum Concilium Aschaffenburgense. Sub præsidio Gerardi Moguntini Archiepiscopi, tempore interregni pontificij celebratum, in quo multa, varia, & vtilia in negocijs Ecclesiast. constituta sunt. *Tritem. in Chron. Hirsaugien.*

Papa 191. A. D. 1294. Nonis Iulij. Adolphi Regis Romano 3. natus erat Cœlestinus Murone, Marsorum oppido, quod antiqui Matrunium appellarunt. Pater illi Angelerius, mater verò Maria, optimi ābo, religioneq; summa conspicui. Eius ortum, pueritiam, & vitam. vide apud Bzouium tom. 13. in anno 1294. nu. 3. Eius enim consecratio plurium, quam ducentorum millium hominum

COELESTINVS V.

Antea Petrus Muronus dictus Natione Italus, Patria Esernio Sammitū oppido natus, postquā multos admodum annos in vasta solitudine, altero a Sulmona milliari, pietati incubuisset, dissidentibus inter se Cardinalibus, Carolo præsertim Rege Siciliæ intercedente, nec non Fr. Latini Vrsini Episcopi Ostiensis, qui eius sanctissimam vitam optimè nouerat, studio, Pontifex Summus, post 28. vacantis Apostolicæ Sedis mensem, Perusij à duodecim Cardinalibus renunciatus est: & Aquiliæ coronatus, incredibili hominum frequentia, propter rei nouitatem, eodem confluente. Vbi etiam 12. Cardinales creauit, homines maximi meriti, inter quos duo Eremitæ fuerunt. Verùm cùm, & propter oneris magnitudinē, & rerum experientiam, parum idoneus huic fastigio sibi ipsi videretur, abdicare se magistratu constituerat. Adeò namque facilis, & benignus erat, vt nihil vnquam vlli petenti recusaret, & quandoque duobus idem annueret. Quod abdicationis consilium tam vehementer vrgebat, & promouebat Cardinalis Caietanus, vt tametsi Carolus Rex Neapolim secum perduxisset

duxisset Cœlestinum, quo illum de ea sententia dimoueret, ille tandem sexto sui Pontificatus mense, propria sponte suæ dignitati cederet. Ad solitudinem excusso onere rediens, successoris mandato in arcem Fumonis coniectus est, vbi mœrore animi confectus 14. Kal. Iulij obijt. A Clemente V. in Sanctorum numerum propter miracula relatus est.

Hic in cella sua per 40. annos & amplius, sub regula Beati Benedicti viuens, cum ad Pontificatum euocaretur, nullum equum vnquam ascendere voluit, sed tantùm asellum, exemplo Domini intrantis Ierusalem. In via etiam transeundo Dominus, per eum multa miracula fecit. Et cum consideraret, quod consuetum silentium, & abstinentiam, quæ in claustro seruauerat, propter intolerabilem rerum curam tenere non potuit in Papatu, renunciare eidem Papatui constituit, & ad diem XIII. Mensis Decembris, in publico Patrum consessu Neapoli, abdicationem suam his verbis expressit. *Ego Cœlestinus Papa Quintus, motus ex legitimis causis: id est, causa humilitatis, & melioris vitæ, & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate populi, & infirmitate personæ, & vt præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte, ac liberè, cedo Papatui, & expressè renuncio loco, & dignitati, oneri, & honori: dans plenam, & liberam facultatem ex nunc sacro cætui Cardinalium eligendi, & prouidendi duntaxat canonicè, Vniuersali Ecclesiæ de Pastore.* Hæc dixit, & mitram Pontificiam capite deposuit, mox annulum, pallium, stolam, & cetera Pontificij insignia reiecit, habitumque eremitæ, quem primo induebatur reassumpsit, adque eum modum Pontificatu abdicato, omnes in stuporem coniecit, & in Eremum Muronis secessit. Vir sanctus, & dignior nascente, quam consenescente Christiana pietate: quam renouauit in populis Italiæ sacra Deiparentis Nazarethana ædes, sub id tempus è Dalmatia in Picenum Italiæ Angelorum ministerio translata, & 4. Idus Decembris in Sylua Lauretæ matronæ Recinetensis, mille circiter passus à mari collocata, cuius deinde nomine Lauretana ædes appellata est.

concursu celebrata fuerat. Et qui fundato antea Religiosorum Ordine, qui Cœlestini hodie dicũ vocantur, in Pontificatu eandẽ vitæ austeritatem, & solitudinem seruauit, fabricata Neapoli intra Palatiũ camerula lignea, in qua dies, noctesq; inclusus in orationibus perseuerabat. Et suæ pristinæ quietis desiderio captus Pontificatu se abdicauit.

N. B. LAVRETANA AEDES. Miraculis illustrata.

BONIFACIVS VII.

(*Vulgo* VIII.) Patria Anagninus, antea Benedictus Caietanus vocatus, Neapoli ipsa vigilia Natiuitatis, vir doctrina insignis, & rerum experientia laudabilis: in locum Cœlestini sese Pontificatu abdicantis, surrogatus est. Qui nactus Pontificatum, indulta, & fauores per prædecessores suos Cœlestinum, & Nicolaum concessa abrogauit. Gibellinos persecutus, contra Columnenses implacabile odium concepit: ex quorum familia duo Cardinales Schismatici per ipsum denunciati sunt, & omnibus thesauris spoliati. Præneste obsidione cingit, ac diripit. Idem quoq; ad Zagalotum, & Columnã fecit. Sciarra Gibellinorũ Patronus, Pontificis furorẽ declinãs in pyratas incidit.

Papa 192. 24. Decembris. A. D. 1294. Adolphi Regis Roman. an. 4. Quo tempore in Italia perpetuum gliscebat bellum inter Aragonios, & Gallos, ratione Regni Siciliæ.

Hic omnium Apostolorum, & Euangelistarum, item quatuor Doctorum Ecclesiæ festa, sub duplici officio celebrari instituit. Sextum librum Decretalium compillari iussit. Eugubium, quæ Gibellinorum auspicijs ab Ecclesia defecerat, recuperauit. Alberto Austriæ Duci, Imperij confirmationem, bis terque petenti denegauit. Reate existens cum vehementi terræ motu multa ædificia ruinam passa fuissent, ipse sibi in medio prati domum ligneam construi iussit. Aliquot Cardinales creauit. Anno 1300. mense Decembri ANNVM IVBILAEVM instituit (quem annum Sanctum vocant) vt centesimo quoque anno celebraretur. Hæresim Fraticellorum, Sacramenta, & potestatem Ecclesiasticam contemnentium, promiscuos concubitus exercentium, animarum purgatarum beatitudinem, ad extremum iudicij diem vsque differri docentium condemnauit. Corpus cuiusdam Hermanni, qui vt scribunt Platina, & Sanderus, Fraticellorum Dux erat, Ferrariæ exhumari, & cremari iussit, licèt pro Sancto coleretur. Patrimonij Sancti Petri administrationem Carolo Valesio Comiti concredidit. Philippum Quartum cognomine

mine Pulchrum Franciæ Regem ob violatum ius gentium iustè excommunicauit. Nam cùm Apamensem Episcopum Sedis Apostolicæ Legatum, ideò in carcerem coniecisset, quòd eum ad expeditionem Hierosolymitanam additis quibusdam minis exhortatus fuisset, monitusque à Bonifacio, vt sub pœna depositionis legatum dimitteret, Rex teste Antonio, non modò non paruit, sed etiam vias inter Franciam, & Pontificem interclusit. Conuocatisque Prælatis, & nobilibus Francorum Rex coram Abbate Cistertiense à Sententia Pontificis appellauit. Sed Abbas interpositam appellationem non acceptauit. Conducit ergo iniuriam sibi illatam vlturus Sciarram Columnensem è manibus piratorum à se redemptum, eumque cum Nogaretio Gallo equite Romam misit: qui noctu Anagniam ingressus, Pontificem nihil metuentem, & Pontificalibus indutum inueniens, Domino disponente ob dignitatem Sedis Apostolicæ non est ausus mittere in eum manus, sed prædæ cum suis triduo vacans Papam custodiæ commisit. Liberatus autem post triduum à ciuibus, Romam rediit, vbi confectus tædio, & mærore, trigesima quinta die post moritur, Anno Domini 1303. quinto Idus Octobris cum sedisset annos octo, menses nouem, & dies decem & septem in Sancto Petro sepultus est, in sacello, quod ipse extruxerat. Pulpitum ipse quoque erigi in Laterano procurarat, ex quo excommunicationes die Iouis Sancto publicabantur: vbi etiam Philippus, & Columnenses, anathemate notati fuerant. Et, vt ait Panuinius, decretum Gregorij Decimi de creatione Pōtificis approbauit, id quod etiam Cœlestinus fecerat. Epistolarū à Bonif. scriptarū, duę extāt apud Matthæū Vestmonasterien.

Eodē tempore Casanus Imp. Tartarorum atrox cum Sultano Aegyptio prælium in Syria exercuit, quam occupauit, & ipse Christianus factus ad Bonifacium Papam misit, rogans vt quamprimum, & absque omni mora præsidia Ciuitatibus Syriæ mitteret, quas Christianis donabat, ipse ob tumultus domesticos in suū Regnum reuersurus. Quo tempore Hospitalarij Rhodum ab infidelibus receperunt. Syriam verò perpetuo suis discordijs amiserunt.

Primum Concilium Lugdunense.

A. D. 1297.

Præside Bonifacio Pontifice, qui animaduertens quotidie Principes noua vectigalia Sacerdotibus imponère, interdum sine iusta causa, interdixit in eo Concilio, ne posthac id facerent, neuè Sacerdotes iniussu Romani Pontificis illa imposita conferrent.

Secundum Concilium Romanum.

Quo Philippus Rex Francorum, cognmento Pulcher excommunicatur. *Vide Conradam Vecerium in vita Henrici VII. Imperatoris.*

A. D. 1302.

LIBER XXIII.



QVOS Superioribus libris adumbrauimus calamo Pontifices, ædepol erant Apostolici depositi Seruatores veri: costantes contra minas, infracti periculis, præstantes vigilantia, prudentia, tractationeq; rerū. Qui sciebant parcere prostratis, sciebāt, & debellare superbos: quemadmodumq; ardorem suū ipsi mirati sunt in vindicijs pro Ecclesia in refractarios decernendis; ita erga humanū genus vice Dei functi, oculi dexterioris radio omnia temperabant. Sed & seqq. libris magna nomina, grandesq; animas recensebimus Clem. V. Ioan. XXIII. Benedictū XI. & XII. Clem. VI. aliosq; Pontif. verè Maximos, verè Opt. Acres, fortes, interritos; legis, gregis, & ouilis Domini aduersus Principes, & Potestates, defensores; scientes legū Ecclesiastic. interpetes, conditores, administros; doctosq; docere, corrigere, misereri & parcere, à vitijs deterrere, ad virtutē inflammare, improbis supplicia, probis autem laureas decernere: illud vetus, sed verissimū dictū præ oculis habentes. *Vbi malè consultis impunitas, rectè*

recte factis nullum præmium; illic iniquitatis spoliarium non iustitiæ lararium. Sed nos ad Benedictũ iam XI.(qui enim opinione vulgi decimus numeratur, Schismaticus,& Antipapa fuit, vt videre est in vita Stephani X.& Nicolai II.) atque Clementem V. accedamus, eiusq; clementiam, bonitatem, & æquitatem, in re ipsa, non in supremo supercilio, aut fronte exporrecta videamus; qui vt alter Aaron spiritu plenus, nouerat tabulas explicare, virgã imponere, & manna depromere, vbi opus, quando opus, cui opus, & quantum opus.

BENEDICTVS XI.

Patria Taruisinus S. Dominici Ordinis Generalis, Nicolaus Bocasius antea vocatus, propter raram,& singularem doctrinam Ostiensis Episcopus Cardinalis à Bonifacio creatus. Quo vita functo, propter vitam honestè, sanctèq; actam, omnium collegarum libera voce, & vnanimi consensu Romanus Pontifex dictus est. Sexto Kal. Nouemb. Benedicti nomine assumpto, insignia Pontificatus in basilica S. Petri, à Natthæo Rubeo gente Vrsino S. R. E. Archidiacono tit. S. Mariæ in Porticu Cardinali assumpsit. Et quam frui Pontifex esse vellet, insigni facinore edito declarauit. Mater illius infimo enim genere natus, primò Venetijs Quirinę familiæ liberis instituendis pædonomus datus, postea Ordinem Diui Dominici fuerat ingressus. In eo diuinis, humanisque studijs 14. annis vacauit; totidem summa cum laude docuit, totidem denique per omnes Ordinis gradus in Religione propter morum sanctitatem præfuit, atque Generalis Magisterij apicem sola virtutis, & pietatis commendatione ascendit) dum adhuc in minoribus ageret, vestimenta Fratribus Prædicatoribus abluens, exinde victum quærebat. Ea cum filium Pontificem renunciatum esse intellexisset, suasu, & ope amicorum in Vrbem properauit, cupida illum videre. Cumque primum Romam aduenisset, matronæ illam, vt Pontificis genitricem summo honore acceperunt, proque magnificentia summi Principatus vestibus pretiosis induerunt, & carpento impositam in conspectum Pontificis produxerunt. Ibi Pontifex eam se non agnoscere simulauit, matremque suam neque primariam, neque nobilem, neque auro illustrem fœminam, sed modica, & paupere veste indui solitam, quæque aduersus paupertatem pugnare consueuisset, dixit: Sicque illa talis in suum conspectum prodiret, se illam probè agniturum asseuerauit. Erubuere vniuersi, quod matrem suffudisse videretur: tandem ab eo reuersi, pannosas mulieri vestes reddiderunt, & ita demum ad Pontificem reduxerunt. Tum Benedictus confestim occurrens. Genitricem amplexatus: hæc verò mihi, inquit, longe charissima est parens: in isto vestium apparatu eam reliqui, in eodem recipio. Dixit, & tum deinceps ingenti gaudio acceptam honorificè habuit. Ea re apud omnes diuulgata, animos illi Principum Christianorum maximè conciliauit, ita vt statim initio illius pontificatus, & literis perscriptis, & oratoribus destinatis, summam ei dignitatem gratularentur. Inter primos Philippus Rex Galliarum esse voluit, qui virga censoria à Bonifacio Pontifice percussus, & à sacrorum communione exclusus, virtutibus Benedicti collaudatis, benignitatem Pontificiam implorauit. Qui Sciarram cum sectatoribus in iudicium vocauit, & venire recusantem deintegro excommunicauit. Cognita vero Philippi Regis causa, eundem absoluit: Cardinalibus Columnensibus eundem fauorem impettijt, sed ad breue tempus tamen vti pileo rubeo prohibuit. Cardinalibus aliquot creatis, res Italiæ componere studuit, vt ijs sedatis, Christianis in Syria laborantibus auxilium ferre posset. Verùm in ea deliberatione Perusium profectus, ibidem mortuus est, ipsis Nonis Iulij anno 1304. cum sedisset menses 8. & dies 17. in Ecclesia Fratrum Prædicatorum sepultus est. Miracula ab ipso edita, sanctitatis eius sunt euidentissima signa, nam ægrotos

Papa 193.
A. D. 1303.
11. Kal. Nouemb.
Alberti Regis Roman. anno 2. Quo tẽpore Insibramus orientalium Christianorum Patriarcha nuncios, & literas Chaldæo idiomate conceptas Romam misit, eam matrem, & magistram omnium Ecclesiarum vocans, eiusque Pontificem Christi Vicarium, & Petri successorẽ agnoscens. eamque Fidem tenens, quã tenet, & profitetur Romana Ecclesia.

Cassani quoque Tartarorum Imp. facti Christiani Legati ad Pontificẽ venerant significãtes Dominum suũ pro liberatione Terra Sancta cũ Saracenis bellum in Syria gerere, indigere tamen auxilio Europæorum Christianorum, quos vt Pontifex in cõcordiam redactos, in subsidium sibi mitteret, rogabant.

ſanauit, & dæmoniacos liberauit. Poſt eius mortem ſedes 13. menſes, & duos dies vacauit.

A. D. 1305. ipſis Nonis Iunij. Alberti Regis Rom. an. 3.

In coronatione huius Pont. Iannes Dux Britãniæ ruina muri oppreſſus eſt, Pontifexque ipſe in turba preſſus iaſpidem multis millibus florenorũ æſtimatum ex mitra amiſit. Blond. 9. Decad. 2.

CLEMENS V.

Bertrandus Gothus ante nominatus, in Prouincia Galliæ Vaſconia dicta natus genere nobili, & illuſtri, ex Archiepiſcopo Burdegallenſi, in Pontificem Summum electus. Qui ineunte Auguſto menſe Lugdunum acceſsit, cunctoſque Cardinales coronationis peragendę ſolemnibus, ex Italia properare in Gallias iuſsit; tum etiam Reges Gallarum, Angliæ, & Aragoniæ, aliosq; Principes Tranſalpinos, ad eandem feſtiuitatem acciuit. Curiamq; Romanam in Gallias traduxit, vbi 70. & amplius annis perſeuerauit. Sardiniam Friderico Siciliæ Regi dono dedit, ea ſolùm conditione, vt ex ea Sarracenos abigeret. Sectã Fraticellorum hæreticorũ, Ordinemq; Templariorũ multis erroribus implicitorum Concilio Viennenſi exterminauit. Venetos, qui cum prę iudicio Eccleſiæ ad Ferrarienſem Principatum aſpirabant, excommunicauit. Idem bis contra Florentinos, & Lucenſes tentauit, quòd ab armis contra Piſtorienſes ſumptis, abſtinere nollent: abſolutionem tamen poſtea, quod in Ferraria recuperanda Pontificē iuuiſſent, conſecuti ſunt. Robertũ, patre eius mortuo, Regno Neapolitano inueſtiuit. Henricum Ducem Luxemburg. Imp. electum confirmauit, ea conditione vt poſt biennium coronam accepturus Romam veniret. Bonam pecuniæ ſummam ad Lateranum incendio abſumptum reſtaurandum miſit. Diuerſis ordinationibus plures Card. creauit. Columnenſes reſtituit. Nogaretium, & Sciarram, ad inſtantiam & petitionem Regis Franciæ abſoluit. Verum Bonifacium, quod idem Rex fieri importune ſolicitabat, damnare, & improbare noluit. Cœleſtinum V. quem Petrum Confeſſorem nominauit, inter Sanctos retulit. Ad extremum, morbis exagitatus migrauit è vita 12. Kal. Maij anno Chriſti 1314. cum ſediſſet annos octo menſes 10. & dies 16. Sedes duobus annis, tribus menſibus & 17. diebus vacauit.

Hic quoque rationem creandi Romani Pontificis ex Gregorij X. formula, maiorum ſuorum ſecutus veſtigia, confirmauit. Tabulas legum Eccleſiaſticarum, libris Clementinarum Conſtitutionum editis amplificauit, Rhodiorum militum vires in Oriente (qui Hoſpitalarij nuncupabantur) amplificatione Ordinis contra Turcos armauit. Beguardorum, & Beguirum hæreſes condemnauit. Bonas etiam literas amauit, vtque conuertendis ad Fidem Chriſti alienigenis, linguarum Chaldaicæ, Hebraicæ, & Arabicæ in Academijs Europeis prælectio haberetur, decreto Concilij Viennenſis ſanciuit. Statimq; in Academia Oxonienſi in Anglia, per quemdam, qui Iudaicæ ſuperſtitioni nuncium remiſerat, & Chriſti Fidem profitebatur, lingua Hæbraica prælegi cœpta eſt.

Mortuo Clemente, quamuis ipſe ſupremis tabulis cadauer ſuum Vſeſtæ ſepeliri mandaſſet, inter Canonicos tamen Vſeſtenſes, & Carpentoractæ antiqui Oppidi incolas, lis magna & grauis mota eſt, vtris ſepultura concederetur. Iudicium penès Vſeſtam fuit, tum quod in eo Vico natus eſſet, tum quod ita moriens iuſſiſſet, vt indidem in Templo Virginis à ſe ædificari iuſſo conderetur. Sepulchrum illius marmoreum admirandi operis, violatum, dirutumque eſt Anno 1577. octauo Idus Iannarij, à Caluinianæ hæreſis graſſatoribus, & cadauer igni exuſtum in cineres reſolutum eſt.

A. D. 1310. Quo tempore Sarracem Sardiniam occuparunt. Blõd. 9. decad. 2.

Primum Concilium ſub Clemente V. celebratum Salsburgenſe I.

Cauſa decimarum Sedi Apoſtolicæ ſoluendarum, de omnibus poſſeſſionibus, bonis, & redditibus, beneficijſque Eccleſiaſticis, ſub iuramento ſoluentium.

A. D. 1310.

Secundum Concilium Salsburgenſe II.

Quo ſtatuta quædam pœnalia in Clericos exceſſiuos, puta tabernarios, ioculatores, buffones, monachoſque diſcolos, & indiſciplinatos, declarata

ſunt,

sunt; præsidente Conrado Archiep. Salsburgen. Sedis Apost. Legato.

Tertium Concilium Moguntinum. Quo sub præsidio Petri Moguntini Archiepiscopi, iussu Pontificis tractata est causa Templariorum, quomodo deleri deberent. Interuenit non vocatus, & in consessum Patrum irrupuit Commēdator eorum, Hugo Comes Siluestris, & Rheni cum XX. Fratribus sub habitu Ordinis benè armatis, & appellauit ad futurum Pontificem, publiceq; protestatus est, innocenter alibi fratres suos igni esse combustos Pontificis iussu, non auditos ordinariè, nec conuictos, Archiepiscopus his auditis, ne tumultus suboriretur, protestationem eorum admisit, seq; cum Romano Pontifice acturum respondit, vt quieti esse possint.

A. D. 1310. Post Dominicam Iubilate.

Quartum Concilium Viennense, Oecumenicum siue Vniuersale XV. approbatum. Trecentorū, & amplius Episc. quo Bonifacius Papa VIII. à calumnijs Philippi Regis Francorum absoluitur. Templarij extirpantur. Hæreses, Petri Ioannis Fraticellorum, & Dulcinistarum, Begardorum, & Begninorum, condemnātur. Expeditioq. pro recuperāda Terra Sancta suscipienda decernitur. Plurimæq; Constitutiones (*quæ extant quinque libris Clementinarum in corpore Iuris Canonici*) pro reformandis moribus Ecclesiæ promulgantur.

A. D. 1311. Kal. Nouembr. Vienna Allobrogū, quæ nunc vulgo Geneua nuncupatur. Vbi interfuerunt duo Patriarcha Alexandrinus, & Antiochenus, durauitq; Conciliū hoc integro biennio, in quo liber Clementinarum publicatus fuit, & multa ad vtilitatem Ecclesiæ statuta. Ibique Ordo Templariorum condemnatus, & deletus fuit.

Philippus siquidē Rex Francorū, articulis 40. ingenio causidicorū excogitatis, quibus Bonifacij VIII. mores pręter alia facinora de hæretica impietate suggillabantur, impudenti flagitatione postulauit aboleri in perpetuū memoriam Bonif. papæ. Sed oppositum ex sent. Patrum factum, scil. Bonif. fuisse Catholicum, & indubitatum Pontif. processus verò quos Bonifacius cōtra Regem fulminasset, fuisse nullos. Causa autem genuina cur Philippus Bonifacio succenseretur, erat hæc, quod fidem quam de Romani Imperij titulo in se transferendo dedisset, promissionis suæ immemor non adimpleuisset. Idem Rex diuites possessiones Templariorum (quorum Ordo durauit annis 184. & vno die Kal. Octob. per vniuersum Orbem deletus est) sibi acquirere volens, crimen eis hæreseos falsum imposuit: sed decreto Concilij, omnia bona, & possessiones quæ fuerant mansionis templi, assignata sunt mansioni hospitalis Hierosolymitani, hoc est Equitibus Rhodijs S. Ioannis, qui nunc Melitēses vocantur.

In hoc quoque Concilio fuit adscriptus Catalogo Sanctorum S. Ludouicus, filius Caroli II. Regis Apuliæ, & frater Regis Roberti, qui factus Religiosus Ordinis Minorum, postea fuit Archiepiscopus Toletanus, & sanctè, pieq; viuens, miraculis claruit.

Quintum Concilium Rauennatense II. Per Rainaldum Archiepiscopum celebratum, pro disciplina & moribus Ecclesiæ reformandis: qua de re scriptæ sunt Constitutiones 32.

A. D. 1311.

Sextum Concilium Rauenatense III. Ab eodem Archiepiscopo, eadem de causa celebratum, post obitum Clementis Papæ V. tempore Interregni Pontificij, scriptæq; sunt Constitutiones viginti, ad reformationem deuotionum, honestorum morum, tàm secularium, quàm Ecclesiasticarum personarum, & recuperationem rerum Ecclesiasticarum.

A. D. 1314. In Ecclesia B. Nicolai Castri Argentæ.

IOANNES XX.

(Vulgi verò sententia XXII. ante electionem Iacobus Cadurcensis dictus natione Gallus, tenuis fortunæ parentibus ortus, corpore paruus, sed virtute, & scientia maximus, post interregnum biennij ex Episcopo Auenionense, Pontifex creatus, & Lugduni in Ecclesia Prædicatorum à Neapoleone Vrsino S. R. E. Archidiacono Cardinali insignibus Pontificijs ornatus. Auenionem profectus, octo Cardinales mense Decembri ordinauit. Ludouicum Caroli II. Regis Neapolitani filium Episcopum Tolosanum inter Sanctos retulit; Tolosamq; Metropolitanam fecit. Episcopum Limonensem, & Abbatiam S. Pontij, Archiepiscopatui Narbonēsi attribuit; Nouas dignitates, nouaq; Collegia instituit in Ecclesijs. Ordinem Grandimontensem reformauit. Cæsaraugustanam Ecclesiam in Hispanijs in Metropolitanam erexit. Ordinem militum Christianorum in Portugallia instituit, quos Mauris opponeret, quibus

A. D. 1316. 7. Idus Augusti. Quo tempore Ludouicus Bauarus, à solis sæcularibus Principibus Imper. electus cum Friderico Austriæ Duce pro Diademate decertabat, victusq; ab illo in Alsatia, fœlicius iterum rētentans in Bauaria Fridericum superauit, & captum in vincula coniecit, & mox victor Italiam inuasit, omnia sibi subijciens, quare à Pōtifice damnatus fuit.

Templariorum bona, & possessiones incorporauit. Diuos Thomas, Herfendensem, & Aquinatem, ambos sanctissimos & doctissimos Sanctorū cathalogo adscripsit. Deinde septem alios Cardinales creauit. Edidit viginti constitutiones, quas Extrauagantes vocant. De animarum immortalitate, vt impudenter mentitur Caluinus, nihil vnquam perperam sensit aut docuit. Lactātij, Irenæi, aliorumq; Orthodoxorum Patrum auctoritate fretus, erroneā aliquando sententiam de animabus certo loco antè diem Iudicij detentis ille sustinuit, sed cum eam decreto Parif. facultatis improbatam intelligeret, eam quæstionem Pontificia auctoritate interposita definire statuerat, verum *morte præuentus*, inquit successor eius Benedictus, *istud perficere nequiuit*. Quin, & Occanus Imperat. stipendiarius, à Papa ob aliquos errores excommunicatus, qui propterea multa blasphemando, & calumniando in eum scripserat, apertè profitetur Ioannis verba ista fuisse. *Nunquam meæ intentionis fuit dicere aliquid contra Fidem, & si aliquid diximus, totū ex tunc reuocamus*. Eos qui affirmāt Christum, eiusq; discipulos nihil vnquam proprium in vita habuisse excommunicauit. Glossulam cuiusdam, qui tertij Ordinis fratres ad imitandā Christi paupertatem hortabatur, improbauit. Excommunicationis fulmen distrinxit in Vicecomites, qui Mediolanum vsurpauerant. Ludouicum IV. eius nominis Romani Imperij Regem, natione Bauarum excommunicauit; tum quod Vicecomitibus Mediolano tyrannicè dominantibus suppetias ferret; tum etiam quod, authore Tritemio, vxorem cuiusdam viri potentis abstulisset, eamq; Ottoni filio suo copulasset, vt eo pacto Ducatum Carinthiæ, & Tyrolis ad mulierem iure hæreditario deuolutum obtineret.

Ludouicus, ait, Thritem. in Chron. Hirsaug; *Anno Dom.* 1327. *Romam profectus, ibique à simplici quodam Episcopo reclamante Papa coronatus, in Concilio suorum Ioannem XXII. temeraria præsumptione deposuit, eumdemq; hæreticum & schismaticum denunciari cum fecisset, Petrum Corbarium Ordinis Minorum, Papam constituit. Qui post discessum Imperatoris in Germaniam Pisis relictus, & à Bonifacio Comite Pisano Auinionem ad Ioannem Papam adductus, errore prius recognito, in carcere vitā cum morte commutauit*. Ortonam ab Aretina Ecclesia diuisit, eamq; in Episcopatum erexit. Anathemate etiam notauit Nicolaum Estensem Ferrariæ Dominum, & Passerinum Bonacossum Mantuæ Tyrannum, qui statum Ecclesiæ diuexabant. Ioannem Vrsinum in Italiam misit, qui Florentinos, & omnes Guelphos in Bauarum armaret. Hic enim cum exercitu in Italiam traijciēs, Romæ coronam acceperat, Antipapamq; vti diximus, Nicolaum V. nominatum creauerat. Bauaro in Germaniam reuerso, Pontifex Regis Galliarū auxilio, expeditionem in Sarracenos promulgari procurauit. Dum verò huic rei animum intenderet, pridie Non. Decemb. An. D. 1334. Pont. 19. 4. mense ætatis verò suæ 90. Auinione animam Deo reddidit, ac in Ecclesia Cathedrali sepultus est, magnum auri pondus relinquens. Amauit, & amplissimis honoribus auxit Dinum Florentinum, & Gentilem Fulginatem Medicos excellentissimos, vt erat in viros doctos & præstantes, propensus, & officiosus.

Epistolæ quædam hactenus nusquā editæ extant apud Chron. Cosmæ Pragensis Ecclesiæ Decani. Edit Francofurt. *Vna* de processu Papæ contra Regem Romanorum Ludouicum Bauarū. *Altera* de audienda confessione. *Tertia*, de Decimis Ioāni Regi Bohemiæ persoluendis. *Quarta* de Ludouico Rege, & *Quinta* apud Binium, de Beatitudine Sanctorum.

An. Dom. 1317. *Primum Concilium sub Ioanne XXII. Rauennatense IV. celebratum Boroniæ.* reformandæ disciplinæ Ecclesiasticæ causa, qua de re scriptæ sunt Constit. 24.

An. Dom. 1322. 4. Nonas Augusti. *Secundum Concilium Sabinense*. Apud Vallemoleti Palentinæ Diœcesis, auctoritate Guillermi Sabinensis Episcopi, & Sedis Apostolicæ Legati, celebratū in Hispania, Cleri reformandi causa, vt sincerè, & purè in Domo Domini cōuersentur, scriptæq; sunt ea de re constitutiones 27.

An. Dom. 1324. 21. Mens. Nouembris. *Tertium Concilium Toletanum*. pro reformandis moribus, puniendisq; excessibus celebratum auctoritate Ioannis Archiepiscopi, & Primatis Toletani Cancellarij Regni Castellæ.

Quar-

Quartum Concilium Auinionense. Contra Nicolaum V. Antipapam eiusq; errorem celebratum, qui existens in Ordine Minorum Petrus Corbariensis nominabatur. Hic opera Ludouici Imp. Antipapa creatus, publicè docebat Iesum, eiusq; discipulos adeò pauperes semper fuisse, vt nihil vnquam neque in commune, neque priuatim habuissent: quod Sacra Scriptura contrariū docente in prædicto Concilio refutatum est. A. Domini 1328.

BENEDICTVS XI.

(Vulgo XII.) Iacobus Furnerius antea dictus, Sauarduni oppido ad Aurigam amnē cis Pireneos sito, Patre molitore Guillelmo natus, & apud Cistercium vitam monasticam professus, Parisijs post Sacræ Theologiæ studia lauream Doctoratus tulit, & primo Abbas Montis Frigidi cœnobitis sūma cum laude præfuit: deinde ab Ioanne Pontifice, Episcopatum Apamiensē primum, postea Mirapicensem adeptus, gradum sibi ad purpuram virtutibus aperuit Card. Tit. S. Priscæ ab eodem Ioanne creatus. Quo defuncto nouendialibus absolutis ad 19. Kal. Ianuarij in Monasterio Prędicatorum Auinionensi Comitium ingressi Patres purpurati, à Comite Monasio, qui pro Rege Siciliæ Roberto, Prouinciam Narbonensem cum Imperio regebat, reclusi, de Pontifice eligendo deliberantes, post aliquot dierum contentiones, tandem septimo Comitiorum die, scilicet 13. Kal. Ian. Fratrem Iacobum Furnerium, ex Vniuerso viginti quatuor Cardinaliū cœtu magis infimum, virum tamen doctissimum, atq; integerrimum, Pontificem Romanum designarunt. Qui initio Sedis suæ censuras contra Ludouicum Imp. à prędecessore latas non tātùm confirmauit, verùm etiam Imperialem dignitatem eidem abstulit. Et ne interim externo hosti Italia pateret, multos proceres Italiæ in Vrbibus quas possidebant, Sedis Apostolicæ Vicarios creauit. Romanis per Legatum persuasit, vt Senatoriam dignitatem, quam diu Regio nomine gesserant, suis tandem, & Ecclesiæ auspicijs administrarent. Sanctorū animas à peccatis suis sufficienter expiatas ante diem Iudicij beatas esse, Deiq; clara visione frui definiuit. Vnica ordinatione sex Cardinales, viros virtutibus ornatissimos creauit. Omnibus modis Regem Franciæ cum Anglo conciliare studuit; sed frustra. In rebus honestis & iustis constantissimus persistit: bonos amore cōplexus, improborum voluntati, & conatibus, quantum fieri potuit, repugnauit. Septem annis, 3. mens. & 17. diebus Pontificatu functus, obijt Auenione 7. Kal. Maij A. D. 1342. Eius mors grauem animi dolorem omnibus inflixit (*eius tēpore Petrarcha lauro coronatus est*) Sed Gallis quibusdam profanis, quod non omnia ex voto cōcederet, neq; libidini eorum seruiret, mors eius non ingrata fuit. Quamobrem ineptientes, in sanctam eius memoriam impiè luserunt, hac lædorio sepulturæ inscripto.

Papa 196. A. Domini 1334. 20. Decembris. Ludouici IV. Imp. an. 18. Constantinopoli vero tum imperabat Andronicus Iunior ad quem Benedictus Papa miserat Apocrisarium suū Barluamum Monachū Græcum, ad Græcos Ecclesiæ Romanæ conciliandos.

Hic Pontifex in beneficijs Ecclesiasticis conferendis, id potissimum cauit, ne indignis darentur, sæpè dicens, nolle se lutū exornare. Indignos enim illis honoribus homines luto comparabat. Agnatos quoque & consanguineos suos fingebat sibi ignotos esse, asserens, Pontificem Romanum consanguineos non habere. Cumq; vrgerēt, vt eos promoueret, illud Dauidicum respondebat Si mei nō fuerint dominati, tunc immaculatus ero.

Hic situs est Nero, laicis mors, vipera clero.
Deuius à vero, Cuppa repleta mero.

Epistola Benedicti XII. qua definiuit animas sufficienter purgatas claram Dei visione frui, extat apud Sander. de visib. Monar.

Concilium Toletanum. Auctoritate Aegidij Toletani Archiepiscopi, tempore Benedicti XII. ad reformandos mores Ecclesiæ celebratum, cōstitutionesq; in eo valde vtiles conscriptæ, & publicatæ. Indictione septima 14. Kal. Iunij. A. D. 1339. Pontificatus Benedicti papę XII. Anno Quinto. *A. D. 1339.*

CLEMENS VI.

Petrus Rogerius antea vocatus; natus apud Vicū Roseum Patre Guillelmo in Lemouicensi Diœcesi: ante pubertatis annos Religioni Diui Benedicti, apud Casam Dei in præaltis, ac vicinis Auernorum iugis, se addixerat. Lutetiam ad studia literarum capessenda missus, quod esset perspicaci ingenio, tanta auiditate Philosophiam, & Theologiam complexus, vt paucos superiores habuerit: obq; doctrinę & modestiæ laudem, primo S. Basilij apud Nemausum cœnobio, prior s cum dignitate prælatus fuit. Exinde Abbas Fiscanensis in Normandia, postea Attrebatensis Episcopus, mox Regij scrinij & sigilli præfectus. Postmodum Senonensis, ac deinde Rothomagensis Archiepiscopus. Ioan-

Anno Dom. 1342. 17. Maij. Ipsis Nonis Maij. Ludouici IV. Imp. an. 28. quem Clemens Papa toties censuris Ecclesiasticis strinxit, & dignitate Imperiali priuauit, fidelitatisq; Sacramento omnes, qui se ei strinxerant, exsoluit. Carolum verò IV. Ioan. Regis

Bohemiæ filium Imperatatorem nominauit, & ab eo fidelitatis iuramentum Auenioni die 22. April. Anno 1346. recepit.

Ioanni XXII. propter incomparabilem ſcientiam, & rerum cognitionẽ gratiſſimus, & à Benedicto Cardinalis creatus gradum ſibi per virtutes ad eam dignitatem fecit. Benedicto verò vita functo, in pontificem electus, ipſa feſtiuitate Pentecoſtes 14. Kal. Iunij Auenione coronatus eſt. Pontificatũ illi aliquis, ſiuè prædixiſſe, ſiue ominaſſe fertur. Cum enim Lutetiæ Pariſiorum Doctoris Theologi nomine, & laurea donatus, ad Monaſterium Caſæ Dei reuertens, in itinere apud Aruernos in ſaltu Randanio in latrones incidiſſet, & ab illis viatico & veſte ſpoliatus, præter induſium lineum, & vitam incolumẽ, nihil aliud Turetum, ad Stephanum Aldebrandũ, qui Eccleſiaſticum Beneficium modici reditus obtinebat, attuliſſet, atq; ab eo miſerante ſpoliati monachi caſum, benignè habitus, veſte, & neceſarijs donatus: *Ecquando acceptum ego beneficium referre potero?* interrogaſſet: Aldebrandus ei repoſuit; *Tum cum eris Romanus Pontifex, tunc par pari referes.* Renunciatus itaq; Pontifex, memor veteris officij, Auinionem Aldebrandum euocatum, primo cubiculariũ, mox Tholoſanum Antiſtitem eſſe iuſſit. Romam verò perlato eius Pontificatus Nuncio, Stephanus Columnius, & alij nobiliſſimi Ciues Romani, Clementem ſtatim rogarunt, vt ineunte pontificatu, Romæ Diui petri Sedem inuiſeret, & annum Iubilæi ad quinquageſſimum reduceret. Alij quoque Italiæ Principes, Franciſcum Petrarcham Auenionem deſtinarunt, qui ad profectionem illum hortaretur. Cæterum ille omnibus, ſe id quidem cupere, ſed nondum venire poſſe, reſpondit, Iubileum verò quod centum annorum ſpatio conſtitutũ erat ad 50. reuocauit: ſtatimq; decem Cardinales creauit, deinde anno euoluto duos alios ordinauit: inter quos duo erant eius nepotes, tertius frater germanus, quartus ei affinitate coniunctus. *Principibus Germaniæ*, inquit, *Thrithem in Chron. Hirſaug vt infra certum terminum, quẽ ijs præfixerat, niſi ius electionis velint amittere, in locum Ludouici alium eligant Imperatorem, qui mandatis Eccleſiæ, vt filium decet pareat: alioquin, ſe neceſſario curam, vt ſupremum caput, de Imperio habiturum. Conuenientes itaq; in Reyns infra Bopardiam iuxta Rhenum, vndecimo die menſis Iulij Baldeuinus Archiepiſcopus Treuirenſis, Valramus Archiep. Colonienſis, Gerlacus cui Papa de Moguntina Eccleſia prouiderat, Ioannes Rex Bohemiæ, & Dux Saxoniæ, Carolum Ioannis ſupradicti Bohemiæ Regis primogenitũ in Regem Romanorũ vnanimiter præſentem elegerunt, & Bonnæ per Colonienſem inunxerunt.* Carolus Rex memor accepti beneficij, Nicolaum Rentij, qui Romæ tyrannidem exercebat, Auenionem victum ad Pontificem miſit. Quem dum Clemens compedibus conſtrinxiſſet, ad Vrbem duos Cardinales deſtinauit, qui perturbatum Reip. Statum in meliorem formam reuocarent. Auenionem Vrbem Galliæ a Ioanna Regina, filia Roberti Regis Siciliæ emit, & Tarentinum eiuſdem maritum, Neapolitanum Regem declaratum cum Hungariæ Rege reconciliauit. Vicecomites Mediolanenſes cum Florentinis neceſſitudinis fœdere reuinxit: vt ea ratione ruinam, quã Ludouicus Bauarus Italiæ minabatur, faciliùs propulſaret. Quin etiam pacem, licet fruſtra, inter Franciæ, & Angliæ Reges componere maximè ſtuduit. Huius indultu Colonienſes, & Treuirenſes propter Turcicã expeditionem contributione pecuniarum pro notam, impetrarunt, quod per totam Diœceſim quibuslibet ieiunijs extra Quadregeſimã ouis, & lacticinijs licitè veſcantur. Creatis aliquot Cardinalibus, Iuoneq; Britano in Sanctorũ numerum relato, mortuus eſt Auinione 8. Idus Decemb. A. 1352. cum Pontificatum annis decem, menſes ſex, & diebus 28. adminiſtraſſet.

Hoc eodem anno 1348. horribilis per vniuerſum orbem peſtis in Oriẽte primum incipient vſque in Angliam peruaſit, vt nec vetera cœmeteria vllo modo, nec viui ſatis ſufficerent humo condendis defunctorum corporibus. Inſulas omnes, & Europam vniuerſam eadem lues peruaſerat, paſſimque per Vrbes, & Oppida inſepulta, ſtrataque corpora iacebant.

Paulò ante eius mortem dirus Cometes fulſit, & quatuor diebus ante eius obitum 4. Nonas Decemb. turris cimbalaria S Petri in Vaticano fulmine cœlitus tacta eſt, magnaq; ex parte culmen eius diſiectum, & violentia ignis cãpanæ fuſæ ſunt. Qua ex re Populus conijciebat Pontificem breui moriturũ. Cui vitio dabatur, quod ſumptuoſiſſimè vixiſſet, propinquos diuitaſſet, inq; Sacrum Senatum quoſdam, nulla habita ætatis ratione, & in his aliquot penè pueros, magno Eccleſiæ probro creaſſet: cum hi diſciplinæ Eccleſiaſticæ non addicti, Sacram purpuram inconceſſis libidinationibus fœdarent, illaq; facinora patrarẽt, per quæ dignitas ſuprema in ludibrium adducta videbatur.

Sepul-

Sepultus est Clemens in Monasterio Casæ Dei, quemadmodum viuens mandauerat.

Hoc quoque tempore Viclefus natione Anglus professione Sacerdos secularis, acer ingenio & eloquentia non mediocris, patriam suam prauis erroribusq; fœdauit, variaque impietatis dogmata sparsit 45. articulis Fidem Catholicam impugnans, ridens Monachos, cœrimonias, iura, decimas obedientiam, & totam Ecclesiã Christianam. A cuiq; impio dogmate Lãperiani hæretici eodem secul. sequẽti verò Lutherani, atque Caluiniani profluxerunt.

A. Domini 1347.

Aliquis olim viuenti offerens libellum supplicem, panxerat versus nonnullos: qui si eius supplicatio audiretur, ordine recto in eius laudem; si verò reijceretur, ordine retro grado in eiusdem contumeliam legi poterant. Ita habent.

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum,
Scandere te fecit hoc decus eximium.
Pauperibus tua das, nunquam stat ianua clausa,
Fundere res quæris, nec tua multiplicas.
Conditio tua sit stabilis, non tempore paruo,
Viuere te faciat hinc Deus omnipotens.

Epistola Decretalis Clementis VI. præter eas quas citat Bzouius, extat apud Binium, scripta ad omnes Archiepiscopos, eorumq; Suffraganeos, de Flagellantium hæreticorum condemnatione.

Concilium Toletanum. Tempore Clementis papæ VI. celebratum auctoritate Aegidij Archiepiscopi Toletani ad reformandam in Prælatis honestatem, & tollendam Simoniam. Venalia enim hoc tempore alicubi erant Sacerdotia, & pecuniæ omnia obediebant, *inquit*, *Ioan. Til. in Chron. Gall.*

INNOCENTIVS VI.

A. Domini 1353. 8. Decembris. Caroli IV. Regis Romanorum 7.

Stephanus antea nominatus, Patre Alberto mediocri genere Lemouicis in Galliæ Prouincia Aquitania natus, optimæ, honestissimæque vitæ, & non mediocris eruditionis fama conspicuus. Hic nondum Cardinalis, propter Iurisprudentiæ præstantiam primo palatij Apostolici causarum Auditor, deindè Episcopus Nouiodunensis, & postea Claromontianus in Aruernis; deindè Presbyter Card. SS. Ioannis & Pauli, Tituli Pammachij, & maior Pœnitentiarius; demùm Episcopus Ostiensis, & Veliternus à Clemente VI. creatus, ex eo gradu ad summum Sacerdotium ascendit. Mortuo enim Clemente, Ioannes Gallorum Rex, vt Pontificem suæ factionis crearet, Aueniomem magnis itineribus contendit. Eapropter Cardinales, ne aduentus Regis libertati Ecclesiasticæ quicquam officeret, comitia maturarunt: & vndecimo vacantis Sedis die, Romanum pontificem designarunt Stephanum Cardinalem. Quem die Dominico, infra octauam Natiuitatis Dominicæ 4. Kal. Ian. coronarunt, Innocentij nomine illi imposito, quod nemini nocere decerneret, imò verò omnibus bonis & pijs viris prodesse.

Inito siquidem magistratu, omnia statim dedecora à comitatu suo, quæ plurima sub decessore suo irrepserant, abegit, simulq; frugalitatẽ, quam ipse sibi pridem indixerat, vniuerso comitatui, assectatoribus Cardinalium, aulicisq; omnibus indixit. Itaq; vt aulæ vitia corrigeret, multa saluberrima decreta initio edidit; Sacerdotia, & beneficia Ecclesiastica, non nisi probatissimis viris, vitæ integritate & doctrina præditis cõferre voluit. Omnibus Prælatis, & quibus animarum cura impendebat, vt ad Ecclesias suas proficiscerentur, sub anathematis pœna imperauit: illudq; sempiterna memoria edixit. *Oues à suis Pastoribus, non à mercenarijs pascendas esse*. Impensas aulæ suæ, familiamq; imminuit: domi suæ, non alios viros, quam peritissimos alere voluit. Idemq; Cardinalibus, vt facerent præcepit. Palatij Auditoribus stipendia constituit, ne se præmijs corrumpi paterentur. In Italiam misit Aegidiũ Hispanum Cardinalem, qui rebus Italicis sua præsentia magnum adiumentũ attulit; Vrbis Romanæ Statum, insigni dexteritate composuit, & præclaris legibus pacem concordiamq; Ciuium constabiliuit. Interea verò temporis qua Franciscus Barocelli Senatoriam dignitatem Romæ sibi vsurpauerat, Põtifex Nicolaum Rentij è carceribus eductũ libertate donauit, vt alteri altero opposito, inter se contenderent, donec sibi ipsis perniciem, atq; interitum inferrent. Tumultibus autem, & dissensionibus inualescentibus, Regem Cypri

Cola Riensi

Sena-

Senatorem à se factum eodem misit, vt quosdam qui se Reip. formatores vocitabant, opprimeret. Pace demùm inter Venetos, Genuenses, & Vicecomites constituta, Carolus IV. Rex Romanorum, Mediolani diadema ferreum accepit, cui postea Innocentius Romam ingrediendi potestatem fecit, qui ibidem diadema, & titulum Imperij à Petro Ostiensi Episcopo, & Aegidio Carillo Tituli Sancti Clementis Præsbytero, Cardinalibus Apostolicæ Sedis Legatis accepit, Anno Domini 1355. Cum verò pacem inter Gallos & Anglos omnibus neruis, in vanum componere studeret, mortem oppetijt, pridie Idus Septembris Anno 1362. cum sedisset annis 9. mens. 8. diebus 6. Huius temporibus Ioannes Viclefus hæresiarcha, quia non potuit consequi Episcopatum Vigorniensem, in Anglia sua dogmata euomere cœpit, & composuit plusquam ducenta volumina librorum, quibus præter suos Marcionis, & Manichæorum errores immiscebat.

Hoc Pontifice sedente Ioannes Senensis nobili Columbinorum familia ortus, Ord. Iesuatorum instituit, quem paucis post annis Vrbanus V. Viterbij agens confirmauit, cum infantes lactentes, per miraculum locuti dixissent parentibus: Iesuatis benefacit.

A. D. 1355. die 1. mensis Octob.

Concilium Toletanum.

Sub Innocentio Papa VI. auctoritate Blasij Archiepiscopi celebratum, pro reformatione disciplinæ Ecclesiasticæ, & salute animarum difidelium.

VRBANVS V.

Papa 199.
A. D. 1362.
5. Kal. Octobris. Caroli IV. Imper. anno 7. Qui cum filio Venceslao magno, splendidoque comitatu procerum in Galliam ad Carolum Regem iuerat, pacem inter illum, & Edouardum Regem Angliæ componere cupiens; In Oriente autem Petrus Rex Cypri, Venetorum, & Rhodianorum militum auxilijs auctus Alexandriã in Aegypto deuastauit, Tripolim, & alia non ignobilia oppida de Saracenis accepit. Constantinopolitanus verò Imp. Io. Palæolog. ad vnitatem Ecclesiæ Romanæ accessit.

Patria Lemouicensis, antea Guillelmus Grisant appellatus, ex Abbate Sancti Victoris Massiliensis ad summum Ecclesiæ fastigium euectus à viginti Cardinalibus Conclaue in Apostolico palatio Auenione ingressis. Qui cum post multas difficultates, nemini ex purpuratis Pontificatum deferre voluissent, Guillelmo tunc Sedis Apostolicæ in Regno Siciliæ Nuncium agenti eam dignitatem detulerunt. Fuit enim is antequam ad Ecclesiæ clauum regendum aduocaretur, omnium testimonio singularis virtutis, ingentis animi, vitæque integerrimæ; quique omnes suas curas, ac cogitationes in rem communem conferret. Occultam eius electionem voluerunt esse Cardinales, ne fortè ab Italis in Vrbe residere cogeretur. Quamobrem illi scripserant, vt quamprimùm Auinionem reuerteretur, vt necessitatibus Ecclesiæ per obitum Innocentij vna cum eis consuleret. Tanto siquidem desiderio reducendæ in Vrbẽ Sedis tenebatur, vt Florentinis feratur dixisse. *Si se Pontificem creatum videret Romam veniret, reductaque ad Sedem Petri Ecclesia, & repressis molestissimis Italiæ tyrannis, non amplius viuere cuperet.* Auenionem itaque reuersus, Vrbani nomen cum diademate supremo accepit, illudque Dauidicum protulit. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Et statim ad Carolum Imperatorem reliquosque Reges, Principes, Prælatos, Clerum, ac Populum de sua assumptione literas dedit. Antistites Ecclesiarum ad Sedes proprias reuerti iussit, ambitioni frænum imposuit, & vt vno aut paucis pro dignitate virtutis, ac scientiæ beneficijs Ecclesiasticis contenti essent edixit. Circa cultum corporis, externum, & vestium honestatem multam curam, ac studium impendit, ad antiquum morem omnia reuocare cupiens, habitumque pristinum, & vestitum reducere, atque nimiam licentiam edictis, ac legibus castigandam, ac comprimendam putauit. Scelesti homines grauissimis facinoribus perpetratis, ad Cardinalium domos fugere soliti, legum nodis, ac digno suplicio eximebantur: eam pessimam consuetudinem primus sustulit, indecorum iniustumque putans, vt refugium, asylumque iustitiæ eiusmodi reis patrocinaretur. In Italiam verò Aegidium Carillam Cardinalem Hispanum, de quo supra egimus, principio statim Pontificatus sui misit, vt libertatem Ecclesiasticam tueretur. Quo etiam ipso anno Pontificatus sui quarto se contulit, & ad 16. diem mensis octobris Anno Domini 1367. Vrbẽ Romã intrauit, suprema omnium gratulatione salutatus, quod à tempore Bonifacij VIII. nullus Pontificẽ Romanum Romæ vidisset. Statim atque Vrbẽ squallentem lustrauit, Ecclesias dirutas, & loca sancta collapsa restaurauit; Reliquias Sanctorum auro, & argento, gemmisque pretiosis exornauit, & inter has Capita Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum ingẽtis pretij locu-

lis

lis argenteis inclusit, inque Basilica Lateranensi recondidit. Mox ad mores corruptos reformandos, reconciliandosque Ciuium Romanorum animos curam conuertit, tantaque beneficia Vrbi, & Ecclesiæ Romanæ præstitit, vt propter ea veri Pontificis, & Patris patrum nomine, ab vniuersis audierit. Oruieti, & in Monteflascone palatia cultissima extruxit, quod ea loca propter aeris temperiem sibi posterisque suis conuenientissima essent. Mortuo Aegidio Cardinale, Ioannem Haucut Ducem bellicosissimum militiæ Ecclesiasticæ præfecit. In Vrbe Carolum Imperatorem, Ioannam Reginam Siciliæ, ac Petrum Regem Cypri, magno cum comitatu venientes honorificè excepit, paulumque Patriarcham Constantinopolitanum ab Ioanne Palæologo Imperatore pro vnione Ecclesiarum cum alijs septem oratoribus, magnificè tractauit, ipsumque deinde Imperatorem Constantinopolitanum Romam venientem, & fidei Orthodoxæ formulam profitentem regio sumptu habuit. In Galliam abiens res Vrbis, & Ecclesiæ optimè disposuit, & thesauros à Bonifacio VIII. Assisij reconditos inter Ecclesias, & pauperes vrbanos diuisit; postque octauum annum, & mensem secundum administrati Pontificatus 14. Kalendas Ianuarij Anno millesimo trecentesimo septuagesimo Auenione diem extremum clausit, & Massiliæ in Diui Victoris, ex quo ad Pontificatum assumptus fuerat, cœnobio sepultus est.

Hic Papa Iesuatorum Ordinem à Io. Columbino Senensi institutum, Viterbij confirmauit. Agnus Dei è cera benedicta primus consecrauit. In Russia Cathedram Metropoliticam Leopoli instituit. Academiam à Cazimiro Poloniæ Rege Cracouiæ fundatam priuilegio donauit.

Sancta Brigida Romæ tunc existens audiuit in visione Beatam Virginem sibi dicentem. *Papa vult adire Auinionem contra Dei voluntatem, & derelinquere Sedem Romanam. Sed si fecerit statim morietur, rationem abitus sui Deo redditurus.* Istam reuelationem Sancta Brigida, misso Montem Faliscum Alphonso, qui ei à sacris confessionibus fuerat, Vrbano nunciauit: ille tamē fatis, & Cardinalibus vrgentibus, Auinionem reuersus, defunctus est. *Gobelinus ex libro reuelationum Sanctæ Brigidæ.*

Petrus Aragonius Diui Francisci professus, visionem à Christo habuit ante quinque annos, Papam debuisse, Auinione relicta, Romam concedere, vniuersalemq; Ecclesiam in moribus reformare. Et si ad locum electionis reuerteretur, futurū esse Iosiam incipiētem, & non perficientem, & daturum locum schismati paulò post vēturo, in quo millia innumerabilia animarum perirent.

GREGORIVS XI.

Natione Lemouicensis, antea Petrus Bellifortis vocatus, decimo septimo ætatis suæ anno Cardinalis per Clementem VI. patruum suum creatus. Fuit ex Ioanna Rogeria sorore illius nepos natus Patre Guillelmo Comite Belfortio. Hunc adolescentem ad eruditissimos Doctores, maximè verò ad Baldum, qui tum Perusij legebat disciplinæ gratia, Pontifex submiserat. Vbi tantùm in quouis genere profecit doctrinæ, vt idem Baldus eius auctoritate in confirmandis rebus dubijs plerumque vteretur. Fuit præterea tantæ innocentiæ, & placabilitatis, adeòque pius, & humanus, vt ab omnibus vnicè diligeretur. Sanctissimo itaque Pontifice Vrbano V. vita functo, Cardinales mortem illius in primis Anglico Cardinali Episcopo Albanensi significarunt; deindè Reginam Ioannam ne à Senesculatu, & administratione Prouinciæ, Nicolaum Spinellum Cancellarium Siciliæ, Reipublicæ Christianæ, & Ecclesiæ Romanæ tunc viduatæ per necessariū auocaret obsecrarunt. Deinde 4. Kalendas Ianuarij finitis de more nouēdialibus exequijs, sacro de spiritu Sancto præmisso, Conclaue ingressi die sequenti, Petrum Rogerij Diaconum Cardinalem Tituli Sanctæ Mariæ Nouæ in Pontificem elegerunt, non plures quam quinque, & triginta annos natum. Hic cum totam Italiam tumultibus occupatam videret, eo Cardinalem Gebennensem cum sex millibus leuis armaturæ Equitum Britonum misit, quorum aduentu, cum nihil à tumultuatione recederetur, ipse Pontifex confirmato animo, viginti & vnam triremes super Rhodano præparari imperauit, alioque se properare fingens, primo Genuam, indè Cornetum, ac postremò itinere terrestri Idibus Ianuarij Romam peruenit Anno 1376. qui erat à translatione Curiæ Romanæ in Gallias per Clemētem factæ, annus septuagesimus. Huius transmigrationis causam, alij aliā referunt: Platina scribit, quod quidam Episcopus familiariter à Pontifice repre-

A. D. 1370. vltima Decemb. Caroli IV. Imp. anno 15. Quo tempore Carol. Comes Prouinciæ, postea Rex Siciliæ corpus S. Mariæ Magdalenæ inuenit in Oratorio, vbi S. Maximinus illud sepulturæ tradiderat. Cū ingenti odoris fragrantia sequentibus miraculis gloriosis. Bzou. in an. 1370. num. 3.

reprehensus, ob id quod in Episcopali Sede non resideret, infracto, & constanti animo responderit, & *Tu qui Vniuersalis Ecclesiæ omniumque Episcoporũ caput es, cur ad propriam Ecclesiam non redis?* Eaq; responsione motũ Pontificem reditum maturasse. Gobelinus c.73. sextæ ætatis, instinctu & reuelatione Dei, quæ Sanctæ Brigittæ tunc adhuc Romæ degenti aliquoties obtigerat, perque Alphonsum quendam Eremitam illi secundo insinuata erat, accidisse, quod Auenione Romam redierit. Alij suasu Sanctę Catherinæ Senensis hoc eum fecisse dicunt; quæ vt Pontificem Florentinis iratum reconciliaret Auenionem missa, in consessu Patrum Purpuratorũ, adeò efficaciter disseruit, vt Gregorium, & Cardinales persuasione sua, Romam, Sedem Romanam referre impulerit; adeòque Romanæ Vrbi, Romanum Pontificem, & Apostolicam sedem, Apostolorum Mausoleo restituerit. Vrbem ingressus, incredibili omnium applausu exceptus, Prępropere mœnia Vrbis, Ecclesias, aliaque loca, quæ ruinam minabantur reparauit. Omnibus autem modis Italiæ quieti, & bono publico consulens, Legatum ad Florentinos destinauit, qui eos ad pacem ineundam adhortaretur, quibus iussa exequi negligentibus, excommunicationis medelam inflixit. Ad hæc cum eosdem armis ad id adigere meditaretur, inter Genuenses, & Venetos noua dissensio suboritur: quos dùm ad vnionem reducere tentat, incredibili vesicæ conflictatione impeditus est, ac 5. Kal. Aprilis Anno 1378. magno sui omnibus ingenerato desiderio, obijt: ac in Sancta Maria via noua sepultus est, cum sedisset annos septem, menses duos, dies 29.

Anno 1373° Sancta Brigitta Sueciæ Regina, Romæ ad Cælos emigrauit quam Bonifacius IX. Sanctorum numero adscripsit.

Sub hoc Pontifice Ordo nouus Canonicorum Regulariorum Sancti Saluatoris in agro Senensi, à Stephano, & Iacobo Andrea Senensibus Ordinis Eremitarum professis, initium sumpsit, & breui temporis spatio, multis in locis magno pretio euasit. Eam Congregationem Gregorius Papa XI. approbauit, ac inter Canonicos Regulares Beati Augustini, insigni priuilegio annumerauit. Scopetinos Vulgus appellat. Tunicam albam induũt deindè super camisiam lineam, scapulare album ferunt, Claustralium aliorum in morem viuentes.

Anno Dom. 1375.

Concilium Vnieiouiense.

Tempore Gregorij Papæ Episcopi Poloniæ celebrarunt, præsidente Iaroslao Archiepiscopo Gnesnensi; in quo præter reformationem disciplinæ Ecclesiasticæ, statutum erat, vt bini grossi de vniuscuiusq; marcæ prouentu Sacerdotiorum, in sumptus belli Turcici conferrentur. Pontifex enim metuens Italiæ ab Amurate Imperatore Turcarum, quòd iam magna strage Bulgaros, Serbos, Macedones, & Albanos profligasset, vndique subsidia corrogabat, & in Poloniam Nuncium Nicolaum Episcopum Maioricensem ea de causa miserat.



LIBER



LIBER XXIV.



VRIA Pontificia, quæ in Gallijs per annos septuaginta voluntariè exulabat, in sedem suam Romam per Gregorium Papam XI. translata statim ab obitu illius conati sunt aliqui spiritu maligno in transuersum acti, Ecclesiam Romanam, quæ est Magistra Gentium, & fidei columna, turbis euertere, & vnionem illius disrumpere, quando Vrbanum VI. Pontificem Maximum, in ordinem redigere, & Robertum Gebennensem intrudere, idolumque abominationis, Clementis Septimi nomine *imposito*, in loco sancto statuere annisi sunt. Cumque hinc Romani, summo, optimoque iure Romanæ Sedi affixum Pontificem desiderarent; illinc verò Galli, Sedem Apostolicam tot annis Auenione vagam subsidere contenderent, varias per annos quinquaginta continuos, discordias, æmulationes, scandala atque Schismata perpessa est Ecclesia vniuersa. Sed respiciente Sponso illo cœlesti, vnicam dilectamque sponsam suam, in arcum prauum conuersi sunt omnes illi satellites Sathanæ, Hæretici, Schismatici, perduelles, Tyranni, & Principes Potestatesque tenebrarum, qui fœdere percusso cum morte, pactisque stabilitis cum inferno, portarum instar inferni, rabidum guttur ad absorbendos pios aperuerant, linguasque maledicas ad lacerandum, & seducendum, atque stylos acutos, gladiosque bicipites ad diuidendum, dissipandum, perdendumque vnici Pastoris vnum ouile exacuerant. Risit eos melior orbis, omnisque Ecclesia Sanctorum, eorum væsaniam & vanitatem abominata, Vrbanum verum Pontificem, ac ei succedentes, Bonifacium, Innocentium, Gregorium, Alexandrum, atque Ioannem, Romano in solio præsidentes adorauit. Eos autem, qui *falsa altaria*, & *illicita sacerdotia*, & *sacrificia sacrilega*, & *nomina adulterata* fingebant, inter ethnicos, & publicanos, rebelles, & hostes reputauit. Prout melius, exactiusque in progressu patebit. Modò autem consideremus, quomodo coronam gloriæ, & diadema Regalis Sacerdotij, Æternus ille Ecclesiæ suæ sponsus Christus Iesus, capiti Vrbani VI. concordibus suffragijs electi Pontificis imposuerit.

VRBANVS VI.

Papa 201. Anno Dom. 1378. Sexto Nonas April. Venceslai Regis Rom. an 4 quo tempore Carolus IV. pater ipsius Imp Romanorum rebus humanis exēptus fuit. Princeps nemini veterum, vel pietate, vel magnitudine rerum gestarum secundus

Patria Neapolitanus, nomine Bartholomæus Sacrorum Canonum Doctor peritissimus, vir humilis, & deuotus, castitatis, & iustitiæ zelator maximus, ex Archiepiscopo Acheruntino Metropolita Barensis, & Cancellariæ Apostolicæ in Italia Præfectus, citra metum Romani populi, vel Italum, vel Romanum Pontificem expetentis, communi omnium Cardinalium Romæ degentium, (quorum quatuor Itali fuerunt, vndecim verò Galli) suffragio in Pontificem Maximum electus. *Hic ante Papatum per multos annos, me existente cum ipso*, inquit Theodoricus à Niem. lib. 1. Commentariorum suorum de Schismate, cap. 1. *singulis noctibus, postquam ad cubile suum causa quiescendi ascenderet, coram se in Biblijs quousque obdormiret legi fecerat: & raro, vel nunquam tempus aliquod vigilando ociose consumpsit; sed aut studebat, aut commissa sibi officia exercebat, vel orabat.* Nec

Interim discordantibus inter se

Regibus Christianis Turca nihil omittebat quo fines imperandi proferret Baiazetesque, & Amurates post eum multas urbes Christianorum occuparunt, duobus ex Augusta li Palaeologorum familia de Imperio Constantinopolitano inter se decertantibus. Quorum unus Turcam in auxiliũ euocauit, & in Europã introduxit magno Graecorum suorum damno

non per Aduentum Domini, & Quadragesimam singulis annis ieiunabat, ac ieiunantes bonosque religiosos amabat. Omnia enim ieiunia per Ecclesiam indicta sanctissimè obseruabat. Per plateas nonnisi arctatus incedebat, mula vectus, & vno tantum comite eqnite contentus. Tunicam albam talarem de mediocri panno laneo super cilitio de die, & nocte induebatur, qua indutus dormiebat. Multum erat patiens in aduersis, valdèque compatiens calamitatibus aliorum.

Hic datis ad Reges, Principes, & Cardinales Aueniensès de sua assumptione litteris, cum gratulatorias vicissim ab illis, & Oratores cum obedientia venientes recepisset, in primis mores quorundam Cardinalium debito pietatis zelo reprehendit, vtque pompam, fastum, superbiam, & ambitionem suam minuerent admonuit. Episcopos ad suas Ecclesias redire, & penes eas residere iussit. Ea res plurimum offendit omnes, sed maximè Cardinalem Ambiensem, qui sæpius audiens Papam contra auaritiam disputantem, & in omnes Simoniacos assiduè fulminare, pænituit se hominem fecisse: vocatisque alijs Cardinalibus ad consilium, Antipapam creare constituerunt, & Anagniam abeuntes, Vrbano Pontifici diem dixerunt, Robertum verò Geneuensem, ex Cardinali XII. Apostolorum, hominem ambitiosum, decoctorem, semper indigentem, sumptuosum, & prodigum, Clementis VII. nomine appellatum, Kalendis Nouembris Pseudo Pontificem inaugurarunt: eaque occasione perniciosissimum schisma, quod vsque ad Concilium Constantiense durauit exsuscitarunt. Galli, & Hispani Antipapæ Clementi: Itali verò alijque plures Vrbano verò Pontifici, & legitime electo adhæserunt. Cumq; Ioanna Regina Siciliæ Schismatici partes foueret, Vrbanus Pontifex eam iniuriam vlturus, Carolum Ducem Duratium, Ludouici Regis Hungariæ nepotem, qui sub vexillis Regis Hungariæ sui patrui militabat, aduocauit, eumque Regem Neapolitanum, ad exclusionem Ioannæ declarauit. Quo facto, Neapolim perrexit, & à Rege postulauit, vt nepotem suum ex fratre *Frncifcum Butillum* Capuanum Principem crearet. Passus repulsam à Rege Carolo, Nuceriam se transfert, ibidemq; Cardinalibus nouis declaratis, septem ex prioribus in vincula coniecit, alios Cardinea purpura, & omni dignitate priuauit, quod Carolo Regi plus iusto fauerent, & in necem Pontificis coniurassent. Commotus Rex Carolus, conscripto milite, eum Nuceriæ obsedit: verùm per Raymundum Comitis Nolani filium, qui cum exercitu superuenit, periculo liberatus est. Sed postea fraude ab eodem Anuersæ captus cum Cardinalibus, & Neapolim deductus in custodiam coniectus fuit, nec nisi iniustis conditionibus concessis inde euasit. Genuamque profectus de Cardinalibus quos in carcere habebat dignum vitæ supplicium sumpsit, quo genere mortis non satis constat. Romam reuersus Leonem Regem Armeniæ auxilia contra Turcam postulantem benigne excepit, & in subsidium rebus Orientalibus, bellum sacrum, toto Orbe datis litteris, missisque ad Principes, legatis, edixit. Sed Antipapa Clemente omnia in aduersum trahente nihil penitus effecit. Anno verò expleto, in Etruriam profectus, plurima loca, quæ ab Ecclesiæ obedientia defecerant, eidem restituit. Carolo defuncto Neapolim proficisci meditatus est, ea intentione, vt filios eius regno exturbaret: sed res vt proposuerat non successit: proinde re infecta Romam redijt, ibique post morbum 28. dierum obijt mense Octobri. Anno Domini 1399. cum sedisset annis II. & mens. 4. In Sancto Petro sepultus est.

Epistolam *Primam* scripsit ad Archiepiscopum Coloniensem, eiusque suffraganeos, denuncians Clementem Antipapam, eiusque electores Cardinales à se excommunicatos esse vitandos.

Secundam, ad Vniuersitatem Parisiensem, monens eos, vt pergant sui electionem contra Schismaticos eorumque fautores defendere.

Tertiam, ad Capitulum, & Clerum Leodiensem, laudans eos, quod Clementem Antipapam esse dicanat.

Concilium tempore Vrbani VI. Palentinum in Hispania (quæ adhuc isto tempore

Cle-

Clementi Antipapæ adhærescebat) *celebratum*, sub præsidio Petri de Luna Anticardinalis de Aragonia, in quo plurimæ Constitutiones pro reformatione disciplinæ Ecclesiasticæ, valdè vtiles conscriptæ fuerunt. Prout & in Synodo Salsburgensi, tempore eodem à Pilgrino Archiepiscopo celebrata.

BONIFATIVS VIII. Iuxta verò vulgi opinionem IX. Petrus antea vocatus, natione Neapolitanus, ex illustrissima Tomacellorum familia oriundus, communibus omnium suffragijs anno ætatis suæ 45. ad Pontificatum adscitus. Hic ab Vrbano VI. primum acoluthus, & Prothonotarius Apostolicus, deindè Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro, postremo presbyter Card. tit. S. Anastasiæ, Sacrum Collegium amplissimis Virtutibus ornauit, gradum sibi ad Pontificatum, à rebus gestis, & maturitate morum aperuit. Procera statura, decorum vultu, singulari humanitate, mediocri doctrina, modestia, & continentia tanta fuisse memorant, vt iuuentutem cum senectute permutasse videretur. Nimium tamen cognatis, & affinibus indulgens, illud Dauidicum non attendit. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*. Eodem die quo sacra tyara exornatus fuit, quantumuis pluuio, ad Lateranensem Basilicam à S. Petro profectus, possessionis symbolum claues argenteas accepit; congratulantibus omnibus sæpius dicens. *Gaudium meum, gaudiũ vestrum erit*. Scriptisq. ad Reges, & Principes Christianos literis, electionis suæ ex more vetusto admonuit, orationesque Ecclesiæ pro felici administratione Reipub. Christianæ postulauit. Monuit, & Robertum Auenionensem Antipontificem, vnaque cum eo Anticardinales, & Clerum Gallicanum, ne amplius Ecclesiam diuideret, animasque pretioso Christi sanguine redemptas in barathrum damnationis traheret, sciens sibi apertum esse sinum benignitatis Apostolicæ, si eiurato schismate, procrastinare reuersionem non vellet: paratamque condignam censuram, si admonitionem Apostolicam contemneret, Et statim non obscuro indicio mansueti, & benefici animi quem in omnes reduces ostenderet, Cardinales quosdam, ab Vrbano antecessore suo exauctoratos, dignitati restituit. Sed Antipapa loco pœnitentiæ, ferè vniuersum orbem in Bonifacium Pontificem concitauit; ipseque in Schismate decimosexto anno Antipontificatus Auenione in fata abijt, ad tantã inopiam redactus, vt vitæ tolerandæ causa, opus habuerit, infulas, diademata, sacrum Pontificis, & diuini ministerij apparatum, omneque cymmelium, Ioanni Ferdinando Erediæ Rhodiano Equiti, pignoris loco tradere: Clemente Antipapa morruo, Cardinales Schismatici, Petrum de Luna, tit. S. Mariæ in Cosmedin Diaconum Anticardinalem in eius locum suffecerunt, & Benedicti XIII. nomen imposuerunt, ad 6. Kal. Octob. Anno 1394 qui mox encyclicas ad Principes mittit, fingens se Ecclesiæ pacem percupere. Interim autem de transferendo in Italiam domicilio, deque Bonifacio in ordinem cogendo consilia agitauit: & licet ipse in custodia detentus esset, nusquam tamen Schisma deponere cogitauit, sed potius missis ad Bonifacium legatis, quasi vniendæ Ecclesiæ causa, animos Romanorum ad ad defectionem occultè sollicitauit.

Anno Dom 1389. 4. Nonas Nouemb. Venceslai Regis Romanorum anno 13. Qui cum regnasset annos 23. ociosè, & turpiter, tandem ab Electoribus anno 1400. die 20. Sept. per decretum exauctoratur tanquam dehonestamentum Cæsarei nominis, quod nullis monitis proficeret, nullisque rebus præter suam voluptatem intenderet Turca verò interim Romanũ Imperium, & Ecclesiã carperet. Captus igitur à suis, & in carcerẽ publicum, in quem supplicio afficiendi passim conijciebantur detrusus, per quatuor menses ibi in fœtore, & squallore misere detentus fuit. Inde euadens, cum iterũ carnificinam exerceret in eos, quos habuit, vel inuisos, vel suspectos, iterum capitur, & in turri Pragensi diligentius asseruatur, Sed & inde elabitur, deiectusque Imperio Regno Bohamiæ inhæret, quẽ Sigismundus frater Rex Vngariæ, Regno deijcere conatus est. Sed pax interuentu Ladislai Regis Poloniæ, inter eos composita fuit.

Cum verò Perusij inter Nobiles, & populum magna esset suborta discordia, Bonifacius ad extinguendam eam, confestim eò se contulit, sed vel parum vel nihil effecit. Nam populus furore percitus. 80. plus minus nobiles crudeliter occidit. Hac iniuria Bonifacius se læsum sentiens, Assisium concessit, & per legatos Galeatio Duci persuasit, vt Mantuam obsidione solueret. Iubilæi anno appropinquante, Romani suis precibus apud Pontificem institerunt, vt ad vrbem reuerteretur: quod vt facilius impetrarent, Banderesios destituerunt, eorumque loco Malatestam Pisauriensis Domini filium Senatorem delegerunt. Ad vrbem Pontifex reuorsus, arcem S. Angeli muniuit, mœniaque & turres restituit, & sic paulatim dominatu vrbis potitus est. Annus Iubilæi. 1400. cum incredibili ho-

minum affluentia celebratus est. Paulò ante Romam venerat presbyter quidam cum certo hominum numero quos Blanchos vocabant. quem tanquam hæreticum exuri mandauit. Annatarum imponendarum primus authorfuit, ex quibus cum ærario Ecclesiæ plurimum accesserit, bellique contra infideles suscipiendi expeditio promota fuerit, non citra temeritatem Theodoricus à Niem Simoniæ auaritiæque crimina Pontifici optimo impingit. In regnum paternum Siciliæ ac Neapolis restituit Ladislaum, priuatione qua Carolus pater exutus erat, planè annullata. Anno Domini. 1405. ipsis Kal. Octob. morbo calculi afflictus ex hoc mundo migrauit, ac in S. Petro sepultus est, cùm Pontificatum. 14. annis & 9. mensibus administrasset. Hic Diuam Brigittam Suecam, Sanctorum Cathalogo adscripsit. Et Academiæ Cracouiensis priuilegia confirmauit.

INNOCENTIVS VII.

A.D. 1404. 4. Non. Nou. Roberti Regis Rom. an. 4. Hoc tempore Princepes Christiani in Oriente contra Turcas fœdus percusserant Emenuel Imp. Constantinopoletanus Theodorus Porphirogenitus Dux Spartæ & Despota Peloponnesi, Carolus Tocchius Dux Leucateus & Cefaloniæ Comes, nec nō reliqui Princepes Græciæ cum Equitibus Rhodijs, quibus Innocentius supremum Magistrum id temporis dedit. F. Nicolaum Vrsinum Priorem Venetum, amplissima auctoritate in administrandā ea militia ornatum.

Sulmonæ Pelignorum oppido natus, Cosmas Melioratus antea dictus, bonarum literarum, Iuris Canonici, & Romanæ Curiæ peritissimus, qui per omnes ferè gradus Ecclesiasticos, omnibus par officijs, primum Apostolicæ Cameræ sub Vrbano V I. clericus; deinde ab eodem Collector fructuum Cameræ Apostolicæ in Anglia, & Archiepiscopus Rauennas, atque Romanæ Ecclesiæ Thesaurarius. Inde à Bonifacio. I X. tituli S. Crucis in Hierusalem Cardinalis Camerarius, & ad conciliandos Venetos cum Insubribus legatus, viam sibi ad Pontificatum virtutibus & meritis aperuit. Et coronatus ante Basilicam Sancti Petri, iterum Sacramentum dixit, ad vnionem Ecclesiæ, etiam abdicatione Pontificatus adepti, omnibus conatibus procurandam. Et postquam omnes Principes Christianos, atque Petrum Lunam Antipapam, assumptionis suæ admonuisset, in primis, qua ratione schisma extirpari posset, in commune deliberauit, & viros Iuris & rerum peritos consuluit. *Nam ante electionem omnes Cardinales,* Gobelino & Theodorico attestantibus, *coram pluribus Notarijs & testibus solennibus compromiserunt, & compromissum seruare iurauerunt, quod ipsi singuli & communiter, & siquis eorum forte in Papam eligeretur, vellet omnem diligentiam quam posset adhibere quòd vnitas Ecclesię reformaretur, etiam si opus esset ad hoc renunciare Papatui, &c. dum tamen Petrus de Luna etiam suo Papatui sponte, cedere vellet.* Stetit promissis Pontifex optimus, Conciliumque Generale ipsis Kal. Nouembris Romæ celebrandum indixit: Sed Romanorum seditione per Gibellinos exorta, nemo vocatorum Episcoporum ad vrbem tutò accedere potuit. Cùm enim, authore Gobelino, statim post electionem regimen vrbis Senatoribus ablatū restituisset, illi elatiores facti, eiusdē vrbis temporale dominium resignari, omnesq. munitiones sibi dedi postularunt, Ladislai Neapolitani Regis subsidio impetrato, ad arma conuolarunt. Pontifex rei nouitate obstupefactus, cum nepote Viterbium confugit: vnde post deuictum auctore Vrsino eius militiæ duce Ladislaum, à populo reuocatus Romam reuertit, ibique aliquot Cardinales, (ex quibus tres Pontifices postea delecti fuerunt) ordinauit. Cumque nepotem suum agri Piceni & Anconensis Marchionem, eundemque Firmanum Principem creasset, mortuus, & in Sancto Petro sepultus, 7. Nouembr. Anno Christi. 1406. cùm annos duos & dies 23. Sedisset: vixisset supra septuagesimum ætatis annum.

Hoc Pontifice sedente Ordo Mendicantium S. Hieronymi, sub Regula Sancti Augustini, Fesulis, à Redone Comite montis Graneli, & Gualtero Marso institutus est.

Idemque Pontifex, Regulam fratrum & sororum de pœnitentia Ordinis S. Dominici approbauit.

GREGORIVS XII.

Papa 204. A. D. 1406. 30. Nouembris Roberti Regis Romanorum anno 6.

Patria Venetus, Angelus Corrarius antea nominatus, vir insignis doctrinæ, & Religione venerandus; qui paulò ante opera Innocentij Pontificis inter

Pa-

Patres adſcitus fuerat, cum antea titulotenus Patriarcha Conſtitutinopolcos haberetur, ætatis ſuæ 80. anno, ex Cardinale. S. Marci, conditione eadem, qua prædeceſſor, electus eſt Pontifex: nimirum vt vi iuramenti ante electionem à ſingulis Cardinalibus emiſsi pro ineunda vnione, & tollendo ſchiſmate Pontificatui renuntiaret; modò Antipapa Benedictus idem facere vellet. Cumque illud per literas & legationem qua fungebatur Ant. de Butr. Iuriſc. eius temporis celeberrimus, ſemel atque iterum fruſtra tentaſset, animaduerſa Antipapæ tergiuerſatione, vnionem remiſsius quam par erat promouere cœpit, deditque in mandatis ſingulis Cardinalibus ne Luca diſcederent, vllaque de cauſa ipſi inter ſe, vel cum anticardinalibus conuenirent. A qua ſententia à Pontifice male informato, ad eundem, vel alium melius informandum appellantes, Piſano Concilio indicto & Congregato, Gregorium Papam cum Pſeudopontifice Benedicto depoſuerunt. Anno Domini 1409. cum ſediſſet annos 2. & menſ. minus quatuor diebus.

Epiſtolarum a Greg. X II. ad Benedictum Antipapam de vnione facienda ſcriptarum, aliquot extant apud Theodorum de Niem. lib. 2. & 5.

Primum Concilium Aquilegenſe, pro tollendo ſchiſmate per Gregorium Papam. X I I. celebratum poſtquam à Luca receſsiſſet, & à Cardinalibus deſertus, nouos ſibi Cardinales ad dilatandum ſchiſma Senis creaſſet.

A. D. 1409. circa feſtum Pentecoſtes.

Secundum Conciliabulum in Aragonia auctoritate Benedicti Antipapæ & Pſeudopontificis, quem vulgo X I I I. nominant celebratum.

Tertium Concilium Piſanum Oecumenicum ſeu vniuerſale, quod ad tollendum ſch.ſma indictum, Gregorio Pontifice, & Benedicto pſeudopontifice depoſitis, Alexandro V. conſenſu Cardinalium, vtriuſque obedientiæ electo, celebratum. Cuius acta prodierunt, ex Cod. M. S. in lucem Lutetiæ Pariſiorum Anno 1612. diuiſa in Seſsiones 23.

A. D. 1409. Cardinales Benedicti Antipapæ deſerto illo ad Concil. Piſanum venerunt.

A. D. 1409. In hoc Concil. fuerunt vndecim Cardin. Lunani, & 16. Gregoriani. Tres Patriarchæ, Epiſc. 180. Monaſter. Præfecti 300. Theologi 280. ac legati Principum complures.

ALEXANDER V. Inſtituti S. Franciſci religioſus, antea Petrus Filardus de Candia vocatus, natione Cretenſis, commentarijs quos in libros Sententiarum ſcripſit: diuinique verbi contionibus clariſsimus, Theologiæ Doctor profundiſsimus, ex Archiepiſcopo Mediolanenſi & Cardinali presbytero Baſilicæ Sanctorum Apoſtolorum communi omnium Cardinalium vtriuſque obedientiæ ſuffagio Gregorio X I. quondam vero Pontifici, & Benedicto X I I I. Antipapæ ſchiſmatico renunciantibus ſurrogatus eſt in Concilio Oecumenico & Generali Piſano; Ad ſummum Eccleſiæ culmen euectus, vbi Patrum encyclita ad Reges & Princeps de ſua aſſumptione cauſa etiam adſcripta cur vtrumq. Pontificem in ordinem redegiſſent, ſignificatum ſtatim Regnum Neapolitanum, Ladiſlao Eccleſiæ perſecutori ademptum, conſenſu Patrum omnium in Concilio præſentium, Ludouico Andegauenſi contulit. Piſas diſcendens, Bononiam ſe recepit, ibique in morbum incidit, ex quo dum ſibi mortem imminere ſentiret, Cardinales ad ſe accerſiri iuſsit: cumque ad pacem & concordiam, communemque Eccleſiæ vtilitatem eos adhortatus fuiſſet, omnia quæ in Concilio Piſano decreta, ſibi iuſta videri dixit. Ad extremùm cum dixiſſet illud Chriſti. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, Spiritum Deo reddidit 5. Nonas Maij, Anno 1410. poſtquam octo menſibus Eccleſiam rexiſſet. Bononię in Eccleſia S. Franciſci ſepultus eſt. Pauperes vnicè diligebat, plurimùm humanus erat, & in quemuis liberalis, adeò vt interdum omnibus exhauſtus per iocum dicere ſoleret, ſe diuitem Epiſcopum fuiſſe, Cardinalem pauperem, Pontificem verò mendacum eſſe. Nam & puer infimę ſortis parentibus, adeoque omnis rei egentibus (vt ipſe Pontifex moribundus familiaribus ingenuè dixerat) natus, mendicato vixit donec aliquis Minorita indolem, & neſcio quid fatale in eo admiratus, illum in curam ſuſcepiſſet, & tum Latine ſcribere dicereque, tum piè viuere docuiſset: adulcioremq. & iam Religionis capacem habitu Franciſcano induiſset, nec multo poſt idem inſtitu-

A. D. 1409. 6. Kal. Iulij. Roberti Reg. Rom. an. 9. quem grauiter offenderat, quod Venceſlao Regi Bohemiæ iam per Bonifaciũ anteceſſorem ex aucto ato titulum Regis Roman. adſcrtpſiſſet, qui olim illũ Galeacij Oratorem benigne habuit, & nuper Concilio Piſano detulit. Ea propter Robertus, Regibus & Principibus Chriſtianis, datis literis conqueſtus eſt, ſe iniuriam ab Alexandro pati, qui non vocatum, non citatum, nullo præmiſſo iuris proceſſu, titulo Regio ſpoliare videretur.

tum professum in Italiam duxisset, studijsque seuerioribus admonuisset. Dedit operam literis non tantùm in Italia, sed etiam Oxonii in Anglia, Lutetiæ Parisorum in Galliis, vbi Magni Magistri Theologię cognomen adeptus, cum in Italiam reuertisset, Ioanni Galeatio Vicecomiti in tantum arrisit, vt eum primo Vicentinum Episcopum, deinde Archiepiscopum Mediolanensem esse voluerit, legatumque ad Venceslaum Regem Romanorum, pro consequenda Ducis Insuburię dignitate destinarit: atque tandem inter Cardinales connumeratum viderit. Ad Pontificatum opera Balthasaris Cossæ euectus, fere omnia ex eius sententia gessit, Pontificiumque munus administrauit. Qua erat morum facilitate, nemini quicquam petenti vnquam denegauit, qua ex re nonnullam notam nomini suo inussit, cum inter competitores necquicquam discerneret, neque merita alicuius expenderet, neque Aduocatos seu intercessores, qui expendebant audiret, neque Procancellario quicquam deferret, sed omnia pro arbitrio vel distribueret, vel subscriberet, vel polliceretur. Maxime sui instituti Fratribus, quibus complures Cathedrales Ecclesias vacantes, citra merita conferre, & vel idiotas, & omnino indignos ad Ecclesiasticas dignitates euehere conabatur.

Papa 206.
Anno Dom. 1410. 16. Kal Iunij Roberti Regis Roman. 10. qui anno eodem obijt die 21. Maij. Hic Vniuersitatem Heydelbergensem fundauerat Anno 1386. quam Vrbanus VI. varijs priuilegiis honorauerat. Interim Sigismundus Rex Vngariæ à Pontifice Rex Romanorum est appellatus, Cui Ladislaus Rex Neapolis inuidens eam dignitatem cœpit per se ad Imperium aspirare, & Vrbem Romam suæ potestati subijcere. Quapropter excommunicatus, & exauctoratus à Papa nusquam Ecclesiam Romanam vexare desijt donec fatali morbo interijsset Anno 1414. die 14. Martij.

IOANNES XXI. Vulgari opinione XXIII. Patria Neapolitanus, prius Balthazar Cossa vocatus, illustri familia natus. Adolescens Bononiæ ciuili Pontificioque iuri operam dedit: vbi assumpto doctrinæ gradu, Romam, non sine spe Pontificatus obtinendi, se contulit. Interrogatus enim ab amicis, *Quo proficisceretur? Ad Pontificatum*, respondit. Romam cum venisset, à Bonifacio IX. Pontifice, in gratiam patriæ communis, primum inter Cubicularios secretos ascitus, deinde Archidiaconus Bononiensis, postea Prothonotarius Apostolicus, inde Diaconus Cardinalis Sancti Eustachij, & Legatus Flaminiæ creatus, Prouinciam nouem annis summa cum integritatis laude administrauit, Bononiam à Vicecomitibus recuperauit: magnā Flaminiæ partem in potestatē Ecclesiæ redegit, pulsis quibusdam tyrannis, alijsq; extremo supplicio affectis. Vnitatis Ecclesiæ curandæ causa, Concilii Pisani præcipuus author fuit. Ladislaianos tum in Etruria, tum Romæ repressit, vtpotè vir, qui tyrannis, ac rem Ecclesiasticam occupare conantibus, percommode, quouis tempore posset obiici, propter militaris artis peritiam, & infractum animi robur aduersus omnes aduersarios Ecclesiæ. Exinde suspicio famam dispersErat, illum, timorem Patribus iniecisse, neque sine violentiæ metu Pontificatum illi delatum fuisse, quod & Legatus Bononiensis esset, & armatos milites tum in Vrbe, tum in agro Bononiensi in statiuis habuisset, vt si precario eam dignitatem obtinere non potuisset, minis & armis tandem consequeretur. Alii largitione vsum, maxime verò in Cardinales Gregorianos adhuc pauperes. Alii Ludouici Regis Siciliæ commendatione, non sine ambitus suspicione, ad id fastigium conscendisse memorabant. Qui tamen consensu omnium ferè Cardinalium vtriusque obedientiæ Pontifex factus est. Nihil cunctatus, postquam omnes Principes assumptionis suæ admonuisset, & tum Nuntios misisset, tum literas scripsisset, quibus ad vnitatem Ecclesiæ non ita pridem in Concilio Pisano constabilitam tuendam tenendamque hortabatur, Ludouicum Andegauensem, (qui tum in Italiam reuerterat. cum Alexander Papa in cœlum abiisset, magno eius timore, ne vel per Comitiorum moras, vel successoris diuersa studia, concepta in Regnum Neapolitanum expeditio abortiret) bono esse animo iussit, Ladislai damnationem ratam se habere pronunciauit, Paulum Vrsinum, & Magnum Sfortiam Pontificii in Ladislaum exercitus ductores creauit, bellumque sacrum contra eum, tanquam maiestatis diuinæ, & Pontificiæ reum edixit. Electores Imperii adhortatus est, vt Sigismundum Bohemiæ Regem Imperatorem deligerent. Quo facto, eidem in Italiam venienti, vt Ladislaum Romanam Ecclesiam inquietantem compesceret, obuiam apud Laudum processit, cumq. eodem Mantuam perrexit, vbi dum Regia quadam

dam magnificentia per D. Franciſcum Gonzagam excepti eſſent, conſultatum fuit de bello Ladiſlao inferendo, qui plurimas Eccleſiæ ditiones inuolauerat, & ne ipſi quidem vrbi pepercerat. Hortatu Imperatoris ad tollendum Schiſma triginta ſex annorum vniuerſale Concilium Conſtantiæ celebrandum indixit. Quò cum veniſſet, tantis, & tam enormibus àccuſationibus oneratus eſt, vt mutato habitu, non ſine magno timore, clam ſe ſubtraxerit. Verùm decreto contra ipſum lato, apprehenſus, & in carcerem coniectus, criminibuſque quadraginta de quibus accuſatus erat, conuictus, communi omnium conſenſu depoſitus fuit; ſententiamque aduerſum ſe pronunciatam approbauit, ac Ludouico Bauaro ad cuſtodiendum traditus, tribus annis captiuus detentus eſt. Exinde Gregorius quoque citatus eſt, initio quidem comparere recuſauit, verùm bonis Sigiſmundi admonitionibus perſuaſus, Carolum Malateſtam eò miſit; qui omnium ſententia intellecta, nomine ipſius renunciauit. Tertius Antipapa Petrus de Luna Benedictus XIII. occupata arce Panicolæ in Perpiniano, adeò ſe contumacē præſtitit, vt eius cauſa diſcuſſa per Concilium depoſitus fuerit. In eadem Synodo Bohemorum error damnatus eſt, eorumque anteſignani Ioannes Huſs, & Hieronymus Pragenſis exuſti ſunt. Omnibus hiſce rebus tranſactis, ad eligendum nouum Pontificem animum adiecerunt: ad quam rem debito modo perficiendam, ex omnibus nationibus probatæ vitæ viros ſex, qui cum Cardinalibus Conclaue ingrederentur, ſelegerunt: quibus introductis tertio Idus Nouembris Anni 1417. ipſo die S. Martini, contra omnium opinionem, communi tamen gaudio Cardinalis Columna Pontifex eligitur: qui ſibi nomen ab eo ſancto, qui in eum diem incidebat, accepit. Sed de eo ſubſequentibus latiùs. Quod ad Ioannem, & Gregorium attinet, vnus Concilij decretis agri Piceni Legatus deſignatus eſt: alter verò per Martinū (cui ſe Florentiæ humiliter ſubmiſerat) Cardinalis, & Epiſcopus Tuſculanus creatus fuit. Verùm paulò poſt, mœrore animi afflicti perierunt. Gregorius quidem Recaneti; Ioannes verò Florentiæ, cuius Coſmus à Medicis hæres factus, ſupra modum locupletatus eſt.

Concilium Conſtantienſe Oecumenicum, ex parte approbatum, ducentorum quinquaginta Epiſcoporum, cauſa Schiſmatis tollendi à Ioanne XXIII. indictum, à Martino V. finitum, cum duraſſet annos quatuor, & ſex menſes. Ibidem hæreſis Huſitarum, condemnata, authoribus illius crematis. Conſtitutioneſque nonnullæ editæ, quibus Eccleſia in iis quæ ad Simoniam, Diſpenſationes, fructuum, & decimarum perceptiones, vitam honeſtatemque Clericorum pertinent, reformata eſt. Verumtamen, quia multa reſtabant adhuc in Chriſtianorum moribus corrigenda, idcircò ea omnia in proximam Synodum Oecumenicam poſt quinquennium celebrandam reſeruata fuerunt, locuſque deſignatus erat in ciuitate Papienſi. Aderat præſens Sigiſmundus Imperator, & primam miſſam celebrante Papa Ioanne XXIII. die Natiuitatis Domini, Diaconi habitum indutus, legit Euangelium alta voce. *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, &c.* Et hic propriè ſua cura, & labore atque conatu pio pernicioſiſſimum in Eccleſia Dei Schiſma extinxit.

Anno Domini 1414. die 6. Nouembris inchoatum. Finitum verò Anno Domini 1418 die 22. April.

MARTINVS III. Vulgari opinione V. ex illuſtri Columnenſium familia natus, per Innocentium VII. Cardinalis Diaconus, S. Georgii ad velus aureum, ante Ottho nuncupatus, natione Romanus, poſt vacationem S. dis ferè triennalem, ipſo feſto S. Martini, concorditer in Romanum Pontificem electus, humanum ſe in eo officio maxime, prudentem, iuſtum, & in omnibus ſuis actionibus exercitatiſſimum exhibuit. Is enim à teneris annis, cura nobiliſſimorum parentum, moribus & litteris liberalibus imbutus, vbi adoleuiſſet, iuri Pontificio Peruſiæ operam dedit, vnde reuerſus in Vrbem ob integritatem vitæ, & doctrinam non vulgarem Vrbani VI. Referendarius factus eſt: quod munus tanta cum dexteritate, & humanitate

Anno Domini 1418. 11. Nouemb. Sigiſm. Regis Rom. 7. ad eius electionem præter Cardinales admiſſi fuerunt 30. viri illuſtres ex omnibus nationibus quæ ad Conciliū venerant lecti. Greg. verò XII. qui Pontificatum reſignauerat, antequam Concilium abſolueretur ex vita deceſſit. Ioan. autem

XXIII. depositus eum in carcere seruaretur, tandem custodibus pecunia corruptis euasit Florentiamque veniēs se ad Martini pedes supplex abiecit: à quo benigne exceptus & in Cardinalium Collegium cooptatus, paulo post in eadem vrbe morbo consumptus est & magna funeris pompa inibi in S. Ioan. templo Sepultus.

nitate gessit, vt omnibus patrocinium suum præstaret. Eo magis Cardinalis ab Innocentio VII. creatus. Cum autem in conuentu Constantiensi, multæ in vtramque partem altercationes haberentur, propter diuersa studia factionum, ipse medium quoddam tenuit, communi vtilitati consulens: ob quam rem, & Imperatori, & Cardinalibus, & omnibus denique gratus, concordi omnium voce Summus Pontifex creatus est. Quo in Magistratu, non somno, & otio, sed negotio, & solicitudini deditus, iustitiæ maximus cultot extitit. Et ad suos conuersus, maximè ad eos qui Prouincias & ciuitates gubernabant, his verbis vtebatur. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*. Cumque restare adhuc renascentis hydræ caput cerneret, Petrum videlicet Lunam, cum aliquot Anticardinalibus: & Prælatis, legatos qui eum monerent & conatus illius reprimerent, ablegauit per quos dum nihil emendaretur, insipienterque in sua opinione perseueraret, ab ijs qui partes eius sequebantur merito desertus fuit. Instituit vt certis temporum interuallis Concilia celebrarentur, ne Antipapæ alioquin occasionem arripientes, Synodos ipsi etiam cogere assuescerent. Rogatus ab Imperatore & Gallis, vt in Germania remanere vellet, nullo modo acquieuit. In Italiam reuersus, Philippum Ducem Mediolanensem cum Pandulpho Malatesta, ac deinde cum Venetis amicitiæ fœdere religauit. Bracchium Perusinum, qui plurima patrimonij Ecclesiæ loca occupauerat, excommunicauit. Verùm is postea sanis Florentinorum persuasionibus inductus, sese humiliauit, & in gratiam receptus à Pontifice, sua opera & industria, Ecclesiæ stipendijs militans, Bononiam recuperauit. Eodem tempore Martinus Papa Florentiæ existens à Balthazaro Cossa olim Pontifice salutandi, atque eidem se submittendi causa inuisitur. A Romanis reuocatus, non ante redijt, quam Florentiam Metropolitanam declarasset, Ecclesias Volateranam, Pistoriensem, & Fresolensem, auxilij & subsidij loco eidem annectens. Romam veniens, tanta cum omnium lætitia & exultatione receptus est, vt is dies, qui in 10. Kalend. Octob. incidebat, pro festo sit habitus. Exinde vrbem ipsam quæ multis in locis ruinam minabatur reparare aggressus est. Nouembri siquidem subsequenti, Tyberis alueo suo egressus, tantoperè excreuit, vt plurima damna vrbi intulerit. Temporibus ijsdem superuenit Ludouicus Andegauensis, qui à Pontifice Regno Neapolitano donatus est, non sine graui Alfonsi Aragonensis animi perturbatione: quia hanc ob causam legatos ad Senense Concilium misit, vt Petri de Luna causam promoueret. Cui machinationi Pontifex vt obuiaret, Concilium dissolui curauit, aliudque post septennium indixit. Quantum potuit afflixit Bractium, qui Ecclesiæ statum interturbabat. Bohemos hæreticos à quibus Catholici diuexabantur, compescuit. Lucensibus quos Florentini dura obsidione premebant, per Vicecomites Mediolani opem ferri procurauit. His peractis aliquas vrbis Ecclesias reparauit, Cardinalesque creauit. Pacem cum Alfonso composuit, qui post obitum Petri de Luna, alium Antipapam eligi mandauerat. Sed eum exauctoratum Martinus Episcopatu auxit. Ad extremùm, vbi in collatione beneficiorum, alijsque omnibus actionibus suis, iudicium suum, prudentiam, & integritatem manifestasset, obijt 10. Kalen. Martij Anno Domini 1431. cum sedisset annos 13. Menses tres dies 10. cum in Laterano sepultus fuisset, Sedes 12. diebus vacauit.

A. D. 1420.

Primum Concilium Salisburgense Prouinciale Sub hoc Pontifice, in causa fidei, ac morum Eberhardus loci illius Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus celebrauit, inque eo Canones 23. saluberrimos pronunciauit. Quorum innouationes & declarationes deinde in Synodo Diœcesana Ioannes Præpositus & Achidiaconus Ecclesiæ Salsburgensis iussu Archiepiscopi sui promulgauit, vt omes suffraganei à suis subditis eas inuiolabiliter obseruari procurarent.

A. D. 1420.

Secundum Conciliabulum Pragense Hussitarum, quo illi conati sunt infamiam, inuidiam, & odium publicum de hæresi, varijs technis à se auertere: rebellionis autem scelus ipsi Sigismundo Regi acceptū referte, culpam in illum omnem gra-

uisimæ seditionis transferentes. Contra quos Martinus V. Pontifex, bellum sacrum, quod Cruciatam vocant, in Regnis Septentrionalibus prædicari imperauit, vt hæreticorum rabiem, in sacratas res & personas bacchantium reprimeret, & Principum Christianorum odia, atque arma quę in se mutuo verterant, in hostes Fidei auertendo, extingueret.

Tertium Concilium sub Martino Papa V. Dertusense in Aragonia, authoritate Petri Fuxi Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati celebratum. in quo totius Hispaniæ Clerus cum suis Episcopis, sublato Antipapa Ægidio Munionis, & suis anticardinalibus, ad vnionem Ecclesiæ Romanæ redierunt, veroque, ac legitimo Pontifici Martino V. obedientiam præstiterunt schismate abiurato. Statimque ibi super reformatione status Ecclesiastici, publicatæ sunt Constitutiones 22. valdè vtiles & necessariæ, quas vide *apud Bzouium in anno 1429. n. 62.* A. D. 1429.

LIBER XXV.



OSTENDIMVS Libris superioribus Clementem V. Pontificem Max. Anno à Christo nato 1305. Sedem Apostolicam in Galliam transtulisse, ac tum ipsum, tùm eiusdem successores, septuaginta annorum spatio, non sine magno Romanæ Ecclesię atque Italiæ detrimento ibidem, perstitisse. Ac tandem per Gregorium XI. postliminio Sede Romana reuocata, ob nimiam Vrbani VI. seueritatem schisma enatum fuisse, Auinione Antipapa residente, totaque Europa in contrarias partes distracta. Quod scilicet schisma, cum omnes Christiani ægerrimè ferrent, illi quibus Ecclesiæ salus cara erat, ad Concilium Pisas conuenerunt, & abrogata authoritate ijs, qui Ecclesiæ dignitati suam vtilitatem anteponere studebant, Alexandrum V. Summum Pontificem renunciarunt. Cumque iam existimarent se omnino Ecclesiæ sanitatem attulisse, ecce innopinatò morte Alexandri superueniente, schisma iterum reuixit, & velut flamma in occulto latitans repente maiore impetu erupit, maiusque incendium excitauit, Cum & Gregorius XI. & Benedictus XIII. Synodo parere, seque Pontificatu abdicare nollent: atque ita cum hoc schisma duo tantum capita haberet initio, Synodusque vtrumque vellet abscindere, tria simul eodem tempore subitò extitere, tresque erant nomine Pontifices. Sed opem tulit aliquando tantis malis Deus Opt. M. postque turbulentas adeò tempestates, quibus Ecclesia iactata fuerat, sedatis fluctibus per Concilium Constantiense attulit tranquillitatem. Omniumque Patrum vnanimi sententia statutum erat, vt, omnes tres Pontifices de suo quisque iure decederent, aliusque verus & certus, de quo nulla posset esse dubitatio Pontifex deligeretur. Atque ita electus fuit Otho Columna, Martinus V. appellatus; qui solus clauum Ecclesiæ tenuit, Clemente VIII. Antipapa in Hispanijs (qui Benedicto XIII. Schismatico successerat) sponte se Pontificatu abdicante. Atque ita demum schismatis incendio quod per annos quinquaginta durauit, omni ex parte restincto, succeßit Martino V. Pontifici legitimo, legitimè electus Eugenius VI. qui nouas iterum turbas & schismata sensit, non absque graui periculo & agitatione nauiculæ Petri, vt statim in vita illius videbis.

EVGENIVS IV. Natione Venetus, Ordinis Celestinorum, Gabriel Condulmerius antea vocatus, ex Canonico in Alga à Gregorio XII. in Cubicularium aßumptus, & postea ab eo- Papa 208. A. D. 1431. Quinto Nonas Martij. Sigismundi Re.

gis Roman. an. 21. Qui Imperiali diademate an. Christi 1433. ornatus cum Eugenio in gratiam rediji, vrbem ipso die Ascensionis ingressus, & die SS. Pentecostes solemnissimis cæremonijs inunctus. Quo tempore id est die 17. Iunij solis deliquiū ingens aspexit portentum maxima calamitatis, quod statim ab eius ex vrbe discessu Eugeniū Pontificem excepit, Philippo Mediolanensium Duce eum perdere studente.

dem Episcopus Senensis & tandem Cardinalis factus. Martino autem Quarto Pontifice rebus humanis exempto, Patres de supremo Pastore subrogando solliciti, cum primum nouemdialia funebria defuncto peregissent, ipsis Kalendis Martij Sacro de Spiritu Sancto ab Iordano Vrsino Cardinale Albauensi de more peracto, Conclaue in cœnobio FF. Prædicatorum S.Mariæ ad Mineruam ingressi, numero 14. communibus suffragijs, tertio ab ingressu die, designarunt Summū Ponti. Card Condulmerium Tit. S.Clementis. Qui tantum à disciplina patris sui Angeli Condulmeri (cuius honesta popularis familia, ipso Pontifice renunciato, inter Patricias locum obtinuit) in pietatis studio profecerat, vt adolescens parentibus amissis, patrimonium quod non tenue acceperat, in pauperes distribuerit, & Euangelicum secutus consilium, vna cum socio Antonio Corrario, æquali ardore inflammato adolescente, religioni nomen dederit in Monasterio Veneto, cui S.Georgio in Alga etiamnum titulus est. In eo per omnes gradus virtutum, ad summam perfectionis Christianę, breui euasit, sanctitatisque ingentis nomen etiam Romam transmisit; quo Gregorius XII. Pont. Max. maximæ delectatus eum in vrbem prouocauit, & Senensibus vti diximus. Episcopum dedit; quem postra Clericum Cameræ, & Thesaurarium dixit; neque diu moratus, cum socio illius Antonio Corrario, quem etiam Bononiensi Ecclesiæ præfecerat, inuitis Patribus, in amplissimum Apostolicæ Cathedræ Senatum recensuit, quasi mente præsaga perspiciens; Gabrielem aliquando sibi in cura Pontificia successurum. Quare maximis illum rebus gerendis admouere solebat, vt cum tempore assuesceret, rei summam tractandæ. Ideoque Piceni primum, deinde Bononiæ legatum creauerat; quo in munere ad ingentia se natum fore probauit, fide, deuotione, prudentia, dexteritate, zelo, costantia, magnanimitate; & reliquis virtutibus. Piceni Legatus, sumpto de quibusdam seditiosis & coniuratis supplicio, eam prouinciam in obsequio Romanæ Ecclesiæ confirmauit. Templum S. Agnetis apud Anconam celebre sed iniuria temporum pene dirutum, restituit: portum Anconitanum, à Traiano Imp. magnis expensis conditum, sed negligentia Præfectorum Anconæ ac Piceni, fere obrutum, restaurauit. Bononiensesque à factione Cannetulorum, rebus nouis intentos, repressit; adeoque seditionem gliscentem compescuit. Ab his legationibus Romam reuersus, non tantum Martino, sed etiam vniuerso Patrum Collegio, ingens specimen heroicarum virtutum exhibuit, dignumque se Pontificatu maximo fecit; quem illi Patres purpurati, summo consensu, ad Quintum Nonas Martij detulerunt. Eo ipso die ante fores Basilicæ Principis Apostolorum supremæ dignitatis insignia, à Lucido Comite, primo ex Diaconis Cardinale, præsente omni Clero & populo Romano suscepit; deinde Basilica Vaticana de more visitata, Consistorium tanta frequentia in Vaticana aula habuit, vt trabibus fatiscentibus, multi trepidantes ad fugam respectarint, & inter elabendum, aliquos, ac inter hos Episcopum Senogalliensem, gente Mellinum, oppresserint; plurimis augurantibus infaustum fore Eugenio Pontificatum, tam inauspicato initum. Augebantur ab ijs timores, qui ex astrorum vel deliquio, vel obliquio præsumebant futura præsagire. Nam quod pridie mortis Martini Pontificis, sed in diurna statione lumen amisisset, referebant non ad obitum tantummodo mortui Martini, quantum ad calamitatem temporum, quæ Rempub. Christianam statim à casu optimi Pontificis afflixit. Accidit istud, siue permittente Deo, qui decreuerat inter hos turbines, Eugenium quidem exercere, Ecclesiam verò Romanam, tum cum maximè periclitari videbatur, maximè inuictam siue ostendere: siue efficere; vt perpetuò huic petræ inconcussæ, ab omnibus conclamaretur. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Renunciatus Pontifex Eugenius, in primis Reges ac Principes Christianos, Clerum ac populum Catholicum assumptionis suæ certiorem fecit: deinde legationes eorum benignè audiuit. Et quia maximum Reipub. Christianæ in tranquillitate conseruandæ momentum, experimento didicerat esse Italicorum Prin-

ci-

cipum concordiam, vocatis ad se eorum, ac liberarum Vrbium Oratoribus, ostendit eodem sibi loco omnes futuros, sese paterna beneuolentia vnumquemq. complecturum, nec suasorem modo pacis fore, sede etiam auctorem: quam si qui violare auderent, tum demum sibi ad futuram vlsciscendi voluntatem sentirent. Hæc ad eos prolocutus, anathemata insuper & diras omnes interminari adiecit: quibus Vniuersos & singulos, in colenda concordia contineret. Sed non omnes ad vota illius respexere, Philippus inprimis Mediolanensium Dux à Pontifice alienatus, ei modis omnibus incommodare studuit. Stephanusq. Columna Pontificis potentiam & indignationem veritus, cum quibusdam fœdus percutiens, arma contra eum sumpsit: Verùm à Pontificijs militibus fuga sibi consulere coactus fuit, vnde varij tumultus, variæque Tragœdiæ excitatæ fuerunt, quæ tamen omnes Pontificis ægritudine sunt sopitæ. Angelotum vna cum Francisco Camerario nepote suo Cardinalem creauit. Paulo post Sigismundum Imperiali corona Romæ condecorauit. Ipse autem per Nicolaum Fortibrachium bellis infestatus, populique seditione turbatus, mutato habitu sese clam Florentiam surripuit, Vbi cum molestijs & tædio plenissimus commoraretur, iuxta Martini V. præscriptum Concilium Basiliense inchoatum est, Patriarcham Vitelescum Romam legauit, & dignitate Cardinalitia donauit, quod eius industria & vigilantia, non parui momenti machinationes extinctæ fuissent. Inde verò Bononiam pertransiens arcem exædificauit, ac palatium reparauit. Cumque inchoatum Basiliense Concilium inconcessa tentaret, sedisque Apostolicæ iudicium sibi illicitè vsurparet, idem Concilium Basilea Ferrariam transtulit. Qua de causa non tantum graues seditiones, verum etiam perniciosum schisma exortum fuit. Nam deposito Eugenio legitimo Pontifice, Amadæum Sabaudiæ Ducem Antipapam schismaticum crearunt, eique Felicis V. nomen imposuerunt. Ob grassantem pestem Ferraria itum est Florentiam, habitisque vtrobique de purgatorio, & processione Spiritus Sācti grauissimis disputationibus, Græca & Romana Ecclesiæ vnitæ fuerunt: illudque de Spiritu Sancto, purgatorio, Romani Pontificis primatu, alijsq. nonnullis fidei articulis crediderunt, quod Romana Ecclesia docet & profitetur. Tandem post multas bellorum perturbationumque vicissitudines, Romam reuersus, atque Nicolao Tolentinate Ordinis S. Augustini religioso, in Sanctorum numerum relato, obijt, 7. Kal. Martij anni 1447. cum sedisset annos prope 16. post mortem eius Sedes duodecim diebus vacauit.

Magnus profectò & clarus Pontifex fuit Eugenius. Contempsit pecunias, virtutem apprimè dilexit; neque secundis rebus intumuit, neque succubit aduersis, neq. mentis tristitiam auxit. Sedatus animus, eundem semper eius vultum ostēdit. Sermone breui, eoque grauissimo vsus est, durus & asper in hostes, propitius in fidem receptis. Huius pater cum in Aegypto negotiaretur, cum patre Francisci Foscari, ab eremita; quem pariter sciscitandum adorsi sunt, non minus lætum vaticinium, quam ille accepit. Foscarus enim filium quem habebat, futurum Venetorum Principem, ille suum inter Sacerdotes ad summum euasurum didicerat. Qui Pontificatum adeptus, etsi oriente schismate in principio sui Pontificatus vsq. ad obitum cum Basiliensibus contenderit. peracta tamen Græcorum, Armeniorum & Iacobinorum cum Ecclesia Latina vnione; ciuitatibusque Ecclesiæ quas amiserat recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumacia aliquorum Romanorum edomita, victor de neutralitate Germanica inclytus, hominem exuit. Gymnasia omnia quam diligentissime fouit, maximè verò Romanum, ad quod omne genus hominum litteratorum admouit; quorum familiaritate delectatus, Leonardum Aretinum, Carolum Pogium, Aurispam, Trapezuntium, Blondum, aliosque viros doctissimos ad secreta sua admisit. Ipse multę cognitionis fuit, historicæ præsertim. Religiosos mirum in modum dilexit, eosq. opibus & immunitatibus auxit. Auxilia in Turcos, & hæreticos tuendę Christianitati, & propagandæ Fidei Catholicæ non semel misit. A vino ita alienus

erat, vt abstemius merito vocaretur. *Plura vide. apud Platinam & AEnam Sylvium*.

A. D. 1431. Pontificatus Eugenij anno primo & durauit An ferè 16 Translatum autem Losannam statim dissolutum fuit an. 1449.

Primum Concilium sub Eugenio IV. Basiliense Vniuersale siue Oecumenicum, non totum, sed ex parte reprobatum, quoad ea nimirum, quæ ibidem de auctoritate Concilij, & depositione Eugenij Papæ decreta & sancita fuerunt. Celebratum hoc Concilium magno Principum & Episcoporum consensu, præsidente Iuliano Cardinale S. Angeli. Indictum autem fuit a Martino V. ope & auxilio Sigismundi adhuc Regis, ex præscripto Constantiensis Concilij, eo fine, vt in eo de moribus fidelium reformandis, & Curia Romanorum in melius mutanda ageretur, & Bohemorum motus, turbæ, seditiones & hæreses componerentur. Post obitum itaque Martini, Eugenius Papa prædecessoris sui institutum secutus, idem Concilium confirmauit. & vt inchoaretur, prædicto Iuliano seriò demandauit. Cumque maxima Prælatorum multitudo ex vniuerso orbe Latino Basileam in dies singulos conflueret, & de reformatione Romanæ Ecclesiæ tractari cœptum esset, illique sub specie reformationis priuilegia maximi momenti Ecclesiæ Romanæ, omnino tollere & antiquare studerent, Eugenius Papa legato Sedis Apostolicæ reuocato, Concilium cuius inchoationem antea approbauerat, dissoluit, & Ferrariam transtulit, ea præcipuè de causa, quod Græci de vnione cum Romanis incunda acturi, eum locum delegissent.

Qui verò Eugenio aduersati sunt Concilium continuarunt. vsque ad Sessionem 45. Eugeniumque Papam Sess. 24. Pontificatu priuarunt, subrogato Amadæo Duce Sabaudię Eremita, quem Felicem V. nuncuparunt. Qui postea sponte se abdicauit Pontificatu, rogatus ab Imperatore Friderico III. multique Cardinales & Episcopi, ad Eugenium venia petita redierunt. Ibidem Pragmatica Sanctio contra Papam edita fuit. Tum inter alia damnati concubinarij, Annata, & ambulantes in templis dum res diuina fit. Sess. 20. & 21. Communio sub vtraque specie aliquo modo comprobata. Sess. 30. Pontificis & Cardinalium nepotes & cognati à Cardinalatu exclusi. Sess. 23. Festa conceptionis & Visitationis B. V. Mariæ ordinata. Sess. 36. & 44. *De quibus omnibus Vide To. Bzou. 16. & Seuerini Binij Tomi 4. par. 1.*

Anno D. 1438 nonis Iul.

Secundum Conciliabulum Bituricense, pro approbatione Pragmaticæ sanctionis in Gallia celebratum. Concilium enim Basiliense, missis ad Carolum Regem oratoribus, petijt admitti leges quas ipsi sanxerunt numero 40. quarum hæc capita fuere. I. *Romanus Pontifex quoquo decennio generalem Synodum, loco quem volet, posthac congregato. Si negligens erit, potestas esto patribus id designandi. Conuocati Concilij locum nisi necessum erit, Pontifex non mutato* 2. *Basiliensis Concilij auctoritas, & ipsius decretorum constantia perpetua esto: quæ nemo vnquam nec ipse Romanus Pontifex tollere, infirmare. aut transferre præsumito &c.* Hæ sanctiones nihil aliud erant, nisi breuia summaria sessionum præcipuarum Basiliensis Conciliabuli, quas Eugenius Papa, & eius successores Nicolaus V. Pius II. & Leo X. vna cum actis Basiliensis Concil. reprobauerunt. *Vide Gaguin. lib. 10.*

A. D. 1428. & 1439 Orientis Ecclesias Alexandrinam Antiochenam Hierosolymitanam atque Constantinopolitanam quæ vltimum in ordine Alexandrinum locum fauore Imperatorum præripuit, primus ab Ecclesia Romana auulsit Arius cuius errorem promouit Constantius

Tertium Concilium Florentinum, Oecumenicum Decimumsextum, approbatum, centum quadraginta & vnius Episcoporum, contra errores Græcorum, Eugenio Papa IV. pręsidente celebrarum, in præsentia Ioannis Palęologi Imperatoris Constantinopolitani, qui assumptis Episcopis & Gręcorum doctis, cum Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, ad indictum Ferarię Concilium in Italiam venit, vbi sedecim habitę sunt Sessiones. Sed ob pestem quotidie magis, ac magis ingrauescentem, translata est Florentiam, ibique nouem Sessionibus celebratis, finita & absoluta fuit. anno 1439. pridie Nonas Iulij. cum anno vno & tribus fere mensibus durasset. Ibi pręcipua capita, quibus Gręci à Romana Ecclesia dissidebant; *De processione scilicet Spiritus Sancti; de additione, seu explicatione illa symbolo facta, FILIOQVE: de azymo & fermentato, de purgatorio, ac fruitione sanctorum; denique de primatu Romanæ Ecclesię*, disputatum

tum est, ac tandem post diuersos tractatus, re diligentissimè discussa, tum ex actis antiquorum Conciliorum, tum ex dictis & testimoniis Græcorum, & Latinorum Sanctorum Patrum, Græci in Latinorum sententiam venerunt, & maxima cum Pontificis, Imperatoris, atque omnium Patrum lætitia, cum Romana Ecclesia coniuncti sunt.

Cœterùm Marcus Ephesinus Metropolita, solus ex numero Græcorum Episcoporum, pertinaciter in opinione sua persistens, neque definitioni Generalis Concilij subscribere voluit, neque à confingendis varijs mendacijs in Græciam reuersus abstinuit; sed scriptis varijs epistolis Græcorum animos antiqua Schismatis consuetudine male affectos solicitauit, ne vnitatem amplecterentur. Ad quas tamen omnes calumnias extant egregiæ Catholicorum eius temporis Græcorum responsiones, quæ habentur in corpore Conciliorum à doctissimo viro Seuerino Binio repositæ. Græci autem, præter eos Patres Orientalis Ecclesiæ, qui Synodo interfuerunt, nunquam hoc Generale Concilium (quod octauum ab ipsis appellatur) recipere voluerunt, paucisque post annis Turca inuadente, libertatem simul, & Imperium amiserunt.

Cũ verò vltima Sessione in maiore Florẽtiæ Ecclesia in decreto Grẹcè & Latinè edito definitum fuisset. Spiritum Sanctum ex Patre, ac Filio æternaliter tanquam ex vno principio & vnica spiratione procedere; atque explicationem verborum illorum, Filioque rationabiliter symbolo fuisse adiectam: & siue in azymo, siue in fermentato pane triticeo Corpus Christi confici posse: Purgatorij locum esse, in quo eorum animæ detinentur, qui pœnitentes in Dei charitate decesserunt, necdum dignis pœnitentiæ fructibus pro suis peccatis satisfacerunt, easque fidelium suffragijs adiuuari: eorum autem animas, quæ vel nullam post baptismum contraxere maculam, vel contracta macula postea sunt purgatæ, in Cœlũ mox recipi, & apertè ab ijs Deum conspici: postremo Romanum Pontificem verum Christi Vicarium, ac B. Petri successorem totius Ecclesiæ caput esse. Superuenerunt Armenorum oratores, qui itidem in Fide Catholica instructi à Concilio, litteras ab Eugenio Pontifice acceperunt, in quibus orthodoxæ doctrinæ veritas breuiter explicatur.

Quartum Concilium Frisingense, in causa Ecclesiasticarum Constitutionum, tempore Nicodemi de Scala Episcopi Frisingensis celebratum, & nunc primum ex M.S. Codice Monasterij Nouicellensis prope Frisingam editum, & à viro doctissimo Seuerino Binio corpori Conciliorum insertum.

NICOLAVS V. Thomas antea Lucanus dictus, patre Medico natus, apud Sergiannam Lunensis agri oppidum. Adolescens in celeberrimo Bononiensi gymnasio literis operam dedit: beneficioque Nicolai Albergati Cardinalis, Theologię lauream Doctoralem adeptus, ita digne eius familiæ pręfuit, vt in rebus grauissimis gerendis Cardinalis eius consilio vteretur. Fama eius virtutum excitatus Pontifex Eugenius, in primis Scriptoribus Pœnitentiariæ Apostolicæ adnumerauerat, deinde Subdiaconum Pontificium creauerat: ac paulò post cognita hominis integritate, & doctrina, in illis potissimum disputationibus, quæ cum Græcis Ferrariæ, & Florentiæ habitæ sunt, Nuncium in Germaniam ad dissipandum Basiliense Conciliabulum, neutralitatemque Germanorum tollendam, sed iam Episcopum Bononiensem factum, destinauerat. Qua in re, cum in plurimis Principum Conuentibus, operam suam Ecclesiæ probasset, & Fridericum Romanorum Regem, ac Principes nationis Germanicæ ferè omnes, ad schisma eiurandum, & neutralitatem, vniuersali Ecclesiæ perniciosissimam deponendam adduxisset, multaque pro innocentia Eugenij, & pro Sedis Apostolicæ maiestate feliciter transegisset, reuertens ab ea omnium difficillima legatione, ad portam Flaminiam, antequam vrbem ingrederetur, purpureo galero obuiam ab Eugenio Pontifice misso, succlamantibus omnibus

Imp. suffecto in cathedram Constantinopolitanam Macedonio hæretico, qui Spiritum S dicebat creaturam esse Secundum dissidium fecit Nestorius. An. 430. Negans Spiritum S à Filio procedere.

Tertium dissidiũ ab Ecclesia Romana fecit Eutiches Constantinop. quem secutus est Dioscorus Pontifex Alexandrinus.

Quartum dissidium fecit à Romana Ecclesia Acatius Episc. Constantinopolitanus. anno 477.

Quintum Ioanñ Episcop. Constant anno 560. qui se Romano Pontifici præferebat.

Sextum, Sergius qui vnam in Christo naturam, & actionem constituebat temporibus Heraclij Imp quem seduxerat.

Septimum, anno 330. Leo Imp. qui imagines abolebat.

Octauum, dissidium fecit Photius Pontifex Constantino, qui Nicolaum Pontificem Romanũ suo iudicio subijcere ausus.

Nonum Constantinus Patriarcha Cõstantinopolitanus imaginum hostis.

Decimum, dissidium fecit Constantinus Monomachus Cæsar, anno 1050.

Vndecimum, Andronicus Imp.

Duodecimum, Marcus Ephesinus qui Concilio Florentino solus contradixit, à quo tempore in magnas calamitates Constantinop. Principes inciderunt breuique totũ Orientis Imperium amiserunt.

nibus in Sacrum Senatum assumptus, dignum specimen virtutum Patribus ostendit, propter quas illum Eugenio vita functo sefficerent Cardinalis Lusitanus, Antonius Martini, Episcopus Portugallensis, è conclaui prodiens interrogatus, quem Pontificem creassent, respondit: *Non nos Nicolaum, sed Deus Pontificem designauit*.

Cum enim Eugenius 17. Kal. Ianuarij quatuor viros illustres in Apostolicum Senatum legisset, quos inter Thomas quoque Sergianensis cognomento Lucanus fuerat, quasi diuinans de eius futuro Pontificatu dixerat: *Se ex illis vnum successorem futurum Cardinalem creare*. Quod breui tempore exitus rei comprobauit, cum Eugenio ad 7 Kal. Martij vita functo, Patres ad designandum Pontificem congregati, vnum ex illis quatuor Thomam, ex presbytero tituli S. Susannæ Cardinale, Summum Antistitem renunciarunt, virum modicis quidem parentibus, sed virtute, doctrina, vitę innocentia, comitate, gratia, liberalitate, magnificentia, rerum gerendarum peritia, ac cæteris heroicis ornamentis Summo Pontificatu longe dignissimum. Qui tanta erat modestia, vt summo magistratu se indignum pronunciauerit, Patresque omnes, supplex etiam flagitauerit, *vt Ecclesiæ Dei maturius consulerent*. Cœterùm Tarentinus Cardinalis, vim quasi homini intulit, quando admonuit, ne cursum Sancti Spiritus cunctatione, aut recusatione sua impediret. Itaque vel inuitus & reluctans, humeros tanto oneri subiecit. Quod autem Nicolai Albergati Cardinalis, tum liberalitate literis operam dedisset, tum singulari cura in magnum virum euasisset, tum apparitione ad Pontificium solium capessendum aliquando præmonitus fuisset, eius beneficij memor; Nicolaum nomen edidit. Die enim illo statim, quo ad cœlestem patriam Nicolaus Albergatus Cardinalis emigrauerat, eidem orbitatem suam deploranti, & ex mœrore in somnum soluto, ille ipse Nicolaus Secundum quietem apparuit, *& Petri successorem fore prænunciauit*. Nocte quoque, quæ mortem Eugenij præcessit, hæc ipse Nicolaus Papa Secundum somnium vidit, quæ postea Friderico Imperatori à se coronato narrauit. Videre sibi visus est, se in cubiculum Pontificium introductum, in quo Eugenius decumbens, pallium, & tunicam Pontificalem exuisset, illisque eum ipsum induisset, ac mitram Pontificiam capiti suo demptam, capiti eius imposuisset: postremo manu apprehensum, in sellam eminentem euexisset, dixissetq. *Sede hìc, ego ad Sanctum Petrum pergam*. Ergo fatis eum ad supremam dignitatem trahentibus, eodem anno Episcopus, Cardinalis, & Pontifex creatus fuit. Incidit autem Pontificatus eius in maximos Italiæ tumultus, grauissimosque casus. Quapropter, Romæ, supplicarionibus primum decretis, quas & ipse pedes celebrauit, in varias prouincias Legatos misit, quibus diu frustratis, tandem post diuturnas, miserrimasque clades, pacem ab Alphonso Rege, Venetis, Florentinis, Sfortia, alijsque qui mutuis armis decertabant, consecutus est, exceptis Genuensibus cum Alphonso pugnantibus. Anno 1449. sex Cardinales creauit. Friderici Imperatoris opera, Felicem Antipapam ad cedendum induxit; ac post, vt ei gratiam aliquam rependeret, & Cardinalem & Legatum Germaniæ designauit.

Anno millesimo quadrigentesimo quinquagesimo, incidit Iubilæum, quod prope infinito ciuium, exterorumque conuentu summa religione celebratum est, Pontifice diligenter curante, ne quid in vrbe necessarium desideraretur. Vrbem firmissimis munitionibus auxit, quod Imperatorem postero anno cum vxore adfuturum intellexerat: qui veniens, accepta Imperij corona, rebus pacatis discessit. Deprehensi sunt coniurati in Pontificem, cum eorum duce Stephano Porcario, ijque omnes suspensi. Interim Nicolaus satis elaborauerat, vt Constantinopolitanos à Turcis obsessos liberaret, dum ij ad Catholicam Fidem, vt polliciti fuerant in Concilio Florentino, reuerterentur. Verum Turcarum vis atque potentia, mira celeritate vrbem, & Imperium omne oppressit, adeò, vt omnia Pontificis tam facta, quam cogitata anteuerterit: quæ audita, Pontificis animum ita percu-

terunt,

tierunt, vt ad podagram, qua assiduè cruciabatur, febris quoque accesserit, qua sublatus est. & in Vaticanum delatus. A.D. 1433. Kal. April. 9. cum sedisset an. 8. dies 19. Vir commendatissimus præcipua laude, qua cum in omne virorum genus se beneficum ac liberalem, tum maximè in eruditos viros præstitit, quorum ingenia non acutè nimirum, & subtilius exquisiuit, sed beneficijs ac muneribus vltro oblatis aluit & prouexit; eorumque industria per omnem Europam veterum libros, qui iam interciderant, conquisiuit. Qua inquisitione Quintilianus M. Cœlius Apicius, Pomponius, Porphyrio, in Horatium scriptor egregius, qui diu obsiti tenebris delituerant, in lucem prodierunt. Tot præterea basilicas, & ædificia, quot superiorum aliquis Pontificum, restituit. Ingentem pecuniarum vim pauperum, maximèque nobilium eleemosynis, & calamitosis virginibus dotandis impendit. Nullum vnquã, aut curiale officium, aut Sacerdotium venale habuit: summæ vt liberalitati, ita religioni, iustitiæ, clementiæ, paci operam dedit. Ad iracundiam vt suscipiendam procliuior, ita ad deponendam fuit, nec solùm iracundus, sed aliquantulum formidolosus habebatur. At leues hæ maculæ, veluti næui quidam, decori magis & ornamento cœteris virtutibus interlucebant.

Franciscus Philelphus de vita. & moribus huius Pontificis libellum scripsit ubi narrat quomodo ille post captã Constantinopolim per totam Asiam ad cõquirendos Græcos codices miserit. & in Latinum sermonem tam Philosophos & Mathematicos quã Theologos Oratores & Poetas traducere curauit Similiter & per Europam, nuntios, & negotiatores miserat quã grandi pecunia coemerent, si quid Latinæ grauitatis & elegantiæ vsquam reperirent, nullam pretij habentes rationem Et tamen in bellum Turcicum. 1200000 aureorũ reliquit.

Hic Bernandinum Senensem Ordinis Minorum Professorem, qui paulò ante obierat, in numerum sanctorum retulit. Libros multos in varijs scientijs, ne perirent exemplaria (cum adhuc ars impressoria incognita foret) exscribi curauit. Libros verò sacros suo iussu descriptos, auro & argento redimiuit: bibliothecamque pontificiam sua sedulitate, & munificentia auxit. Cœteras laudes illius vide apud Bzouium *tom. 17. in anno* 1436.

Primum Concilium sub Nicolao Papa V. Turonense, pro reformandis moribus Ecclesiæ celebratum Andegaui in Gallia. Ioanne Archiepiscopo Turonensi præside; in quo 17. Canones sunt constituti. *Vide Poseuinum in Apparatu sacro.*

Anno Dom. 1448. Nicolai Papæ an. 2.

Secundum Concilium Lugdunense, pro Schismate inter Nicolaum Papam, & Felicem Antipapam tollendo, congregatum, iussu Caroli Regis. Cuius rogatu, & Friderici III Imp. tum & rogatu Concilii, Felix liberè cessit Pontificatu, illustri sanctitatis exemplo effrænatas ambitiosorum damnans cupiditates, & ad optatum eremum rediit, & tam viuus quam mortuus miraculis claruit. Vide Appendicem apud Bzou. tom. 17.

CALIXTVS III. Alphonsus Borgia ante vocatus, natione Hispanus, ex oppido insigni, & antiquo Satabensi, Xatiua vulgo vocato, in agro & diœcesi Valentina sito, patre Ioanne, matre Francisca, generosis parentibus, Anno 1378. vlt. die Decemb. natus: parentumque cura optimè in bonis moribus, & virtutibus educatus. Annum enim xv. agens, in Illerdensi Gymnasio, diuinis humanisque litteris adeò accuratè vacauit, vt breui I. V. D. factus, easdem facultates publicè professus fuerit. Eius doctrinæ opinione adductus Benedictus XIII. eum Canonicum Illerdensem vltrò creauerat. Paulò post Alfonsus Rex Aragonum, & vtriusque Siciliæ, à secretis sibi hominem adiunxerat, eiusque studio præcipuè, Clementem VIII. adulterinum Pontificem, qui Benedicto XIII. in schismate suffectus fuerat, ad abdicandum Pontificatum, schismaque tollendum vsus fuerat. Eamque ob rem Martinus Pontifex Valentinæ illum Ecclesiæ præfecit. Orto deinde bello inter Alfonsum Aragoniæ, & Ioan. Castellæ Reges, solus Alfonsus Borgiæ delectus est, qui ad pacem Reges adhortaretur, quam septennio, post inchoatum bellum tanta cum diligentia composuit, contracta etiam inter eos affinitate; vt hodie quoque aliquot illius fœderis pacta seruentur. Alfonsus Rex deinde hominem ad Eugenium misit, qui tum Florentiæ erat. quo cum de pace ageret. Vitellescus enim Eugenii Pontificis nomine Regnum Neapolitanum cum armato milite ingressus, longè late omnia tunc populabatur, prohibiturus, quo minus Rex Neapoli, quam tunc oppugnabat, potiretur. Cum autem res in longum protraheretur,

Papa 210.
Anno Dom. 1455. 18. April Friderici Regis anno 15. quẽdum in Turcas arma parat monitis Pontificis accensus diuersis turbis in Imperio, & morte inopinata Calisti remoratur Cum interim Machometes victoria Constantinopolitana superbus congregatis ingentibus copijs in Hungariam descendit, vt illa deuicta, Illyricum penetrare, & Liburnos posset rerumque caput Italiam, atque Romã ipsam expugnare. Sed valde eum sua opinio decepit, vna siquidem parua vrbs eum in Hungaria Alba Regalis dicta retinuit, victus

Euge-

Ibi ab Hunniade cooperante B. Capistrano & duces belli præcipuos & machinas tormentaque omnia amisit, & inglorius abire coactus est.

Eugenioq; in mentem venisset viginti Cardinal. creare, Alfonsum quoq; Valentinum Episcopum in horum numerum retulerat. Eam dignitatem Borgia cõstātissime renuit, quod diceret, id sibi nequaquã integrũ esse, re propter quam venerat, infecta. Redeunte deinde Romam Eugenio, cum Patriarcha Aquilegensis, Terracinã ad Regem missus pacem inter Pontificem & Regem composuisset, fœderaque vterque inter se icisset, quibus Borgia Valentinus Episcopus semper interfuit, auctoritatemque suam interposuerit, adeò Pontificem sibi deuinxit, vt eum paulò post Cardinalem tituli SS. Quatuor Coronatorum creauerit, Romamque vocauerit. Cardinalis factus non minore modestia, quàm antea in Episcopatu vixit, ab omni pompa, & gloria alienus: in dicenda publica sententia ita grauis, vt nihil vnquam ad gratiam locutus sit. Hic itaque scientia iuris Eminentissimus, & multarum rerum experientia præditus, verùm senio grauis, ac propemodum decrepitus, qui Septuagesimum annum transcenderat. Pontifex renunciatus fuerat, Qui etsi ante aliquot annos, & vacante tunc sede Apostolica, suam assumptionem ferè omnibus prædixisset, seque proculdubio futurum Pontificem Max. affirmasset; nullius tamen opinionem prius ad se traxerat, & delirare potius more senum existimabatur; nisi dum vaticinium, quod à B. Vincentio Valentino Dominicano, se habuisse narrabat, verum esse, euentus docuisset. Mirum est, illum ipsum ante aliquot annos, quàm Pontificatum iniuisset, sibi nomen indidisse, votumque belli contra Turcos, quod posteà Pontifex factus innouauit, quasi tunc Pontifex esset, conceptã formulã scripsisse. inque quodam libro reliquisse, istis verbis. *Ego Calistus Pontifex, Deo Omnipotenti voueo, & Sanctæ & indiuiduæ Trinitati me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demum quibuscumque rebus potero, Turcas Christiani nomine hostes sæuissimos persecuturum.*

Itaque cum illum Pontificem renunciauissent, tunc demùm omnes admirati sunt, & quòd dignitatem futuram prænunciasset, & ante adeptam, nomen sibi Pontificatus delegisset, & quòd senex decrepitus, tantùm animi ad inferendum Turcis bellum habuisset, & haberet. Namque non minus, factus iam Pontifex, quam ante habuit: ac in primo Cardinalium consessu, post solenne iusiurandum istud votum concepit. *Ego Calixtus Papa III. promitto, & voueo, SS. Trinitati, Patri & Filio, & Spiritui Sancto, Dei Genetrici semper Virgini Mariæ, SS. Apostolis Petro & Paulo, totique Curiæ cœlesti, quod, etiam ad effusionem sanguinis proprij, si opus fuerit, dabo operam, & adhibebo omnem diligentiam, quantum potero, iuxta consilium venerabilium Fratrum meorum S. R. E. Cardd. pro recuperatione ciuitatis Constantinopolitanæ, quæ heu peccatis hominum exigentibus, nostris temporibus occupata, & euersa est, per Iesu Christi Crucifixi Saluatoris nostri inimicum, filium Diaboli Machometum. Turcarum Dominum. Pro liberatione deinde captiuorum Christianorum, nec non ad exaltationem Fidei Orthodoxæ, ad exterminationem Diabolicæ sectæ, reprobi perfidique Machometis, in partibus Orientalibus, vbi maximè lumen fidei occubuit. Quòd si oblitus fuero etiam tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea, & adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, & si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.* Moxq. Principibus Christianis assumptionẽ suam ad Pontificatum renuncians, eos ad sacram militiam, quam aduersus Turcos vouerat, inuitauit: deinde triremes sexdecim instruxit, eamque classem contra hostes fidei Ludouico Patriarchæ Aquilegiensi commisit, quæ toto triennio vniuersam Asianam hostium oram, multis cladibus afflixit, & insulas quasdam auxilio Genuensium de hostibus cepit. Romæ interim magna contentio inter Vrsinorum factionem, & Comitem Anguillariæ, cui fauebant Columnenses, exorta, Pontificis auctoritate sedata est; qui Palumbarum Sabellis restituit, quæ ab eisdem ad Ecclesiam defecerat: Hic B. Vincentium Hispanum, atque Edmundum Anglum, inter sanctos adscripsit. Cumque per aliquot dies formidabilis Cometes visus esset, supplicationes decreuit, ad iram Dei auertendam, & vt ictu quodam Campanæ ad meridiem, qui mos adhuc ser-

Eodem anno Franciscus Foscarus Princeps Venetorum cũ 34. annis Reipub. summa cum integritate præfuisset, iussu Senatus depositis Ducalibus insigni-

uatur. fideles ad Deum conuersi, suos ardentibus precibus iuuarent, qui cum Turcis dimicabant. Senenses armis Piccinini pene oppressos subleuauit. Nouem Cardinales, quorum duos nepotes, & Aeneam Piccolominęum, quem deinde successorem habuit, elegit. Mortuo dehinc Alphonso, quia nullus legitimus hęres supererat, Regnum Neapolitanum Ecclesię repetijt: & quidem Ferdinando repugnanti magnas attulisset difficultates, nisi mors intercessisset. Obijt octuagenario maior, & sepultus est in Sacrario Basilicæ S. Petri Anno Domini 1458. Octauo Idus Augusti, cum sedisset anno tres. Menses 4. Moriens reliquit C X V. M. nuummum aureorum; quos in bellum Turcicum parauerat. Legatos in Scythiam, Persidem, & in Æthiopiam misit, qui Christianos per Orientem in fide continerent, & aduersus religionis hostes Turcas armarent. Scanderbegio in Albania, multisque alijs per Græciam Turcorum bello laborantibus, pecuniaria subsidia largitus est. Transfigurationis Dominicæ festum octauo Idus Augusti instituit anno 1436. ob victoriam eo die ad Belgradum in Hungaria acquisitam; quam antea multo Vaticinatus est. In vita fuit parcus, in sermone modestissimus, facilis aditu, studijs semper intentus; in egenos, pauperes, & religiosos liberalissimus. Leges & Canones tam ei fuerunt in promptu, quam si heri aut nudiustertiùs Scholam Iuris primùm exiuisset. Hic etiam sanxit, nequis à Papa ad Concilium appellaret.

bus è palatio abscessit, prolatii ad infimos gradus hisce verbis Aliorum iniquitas me hinc expellit quo mea merita euexerant. & domesticis laribus salutatis vt audiuit tripudiantis ciuitatis de noui Principis electione letitiam edito aliquanto genitu statim expirauit.

Anno D. 1438. Alphonsus Neapolis & Siciliæ Rex laudatissimus ad V. Kal. Iulias extinctus est, Princeps nulli veterum posthabendus Hispanæ gentis lumen decusque perpetuum cui nihil abditum in Philosophia nihil in Theologia fuit. Præterea Poeta, Historicus Orator nisi intemperantia vicium hæc omnia commaculasset

Primum Concilium sub Calixto Papa III. Petricouiense, per Ioannem Sprouium Arch ep Gnesnensem celebratum, pro conseruanda libertate bonorum Ecclesiasticorum: & subsidio Regi Cazimiro, ad bellum Prussicum ab Ecclesiasticis contribuendo, quod fuit impedimento Turcicæ expeditionis; quam Rex meditabatur. *Anno D. 1456.*

Secundum Concilium Calissiense, eodem Ioanne Sprouio præsidente congregatum, in quo subsidium destinatum est Regi Poloniæ, bellum contra Crucigeros instauranti in Prussia. *Anno D. 1457.*

PIVS II. Æneas Piccolominæus antea vocatus, ad 13. Kalend. Septembris Pontifex renunciatus, 3. Nonas Septemb. insignia Pontificatus accepit, ipsaque die Lateranum *petijt solenni* pompa: quo in loco vix necem euasit inter eos, qui propter equum, cui insiderat gladijs decertabant. Natus est Corsiniani in agro Senensi, parentibus Syluio & Victoria, maiore nobilitate, quam opibus; ferunt enim Piccolominæam familiam apud Senenses vetustissimam esse. Puerpera per quietem visa est sibi, infantem cum mitra parere: quæ (vt pronæ semper in peius mentes hominum sunt) verita est ne somnium illud puero, & familiæ ignominiam portenderet: neque antea huiuscemodi suspicione leuari potuit, quàm postea intellexerit, filium Targestinum Episcopum designatum fuisse: quo nuntio, omni prorsus liberata, immortali Deo gratias egit, quòd defunctum meliori fato, quam ipsa coniectauerat, filium sibi videre contigisset. Hic, cum adolescentiorem ætatem suam politioribus literis informasset, paulò postquàm è Senensis Gymnasij studio prodijsset, cum Dominico Capranica Cardinale, viro graui & seuero, Basileam venit, Concilioque ibidem celebrato, sacris ordinibus necdum initiatus, per errorem non tantum tenacissimè adhæsit, verumetiam scriptis ad Rectorem & Vniuersitatem Coloniēsem Dialogo & Epistolis, eiusdem Concilij auctoritatem approbauit. Manens Basileæ Felicem V. Antipapam, tanquam verum Christi Vicarium veneratus est. At cum Fridericus Romanorum Rex Aquisgrani coronatus, domum repetens, Basilea transitum fecisset, rogatusque Felicem illic præsentem accedere, eidemque tanquam Romano Pontifici honorem exhibere, aut publicè cū eo verba miscere recusasset, à sententia sua erronea decedere incipiens in aula Imp Friderici, cuius rogatu in familiam eius transijt, atque in ea aliquot annis permansit, doctissimorum virorum Imperatorem adeuntium conuersatione instructus: omniumque Cardinalium sese Pontifici Eugonio submittentium exemplo motus, Ro-

Papa 211. Anno D. 1458. 20. August Friderici Reg. anno 19. Quo tempore Machometes Turcarū Imp. nouos exercitus in dies comparans, nunc Albanos nunc alios vicinos qui Christum colerent vexare non desistebat. Cui Pius Pontifex occurrere volens, ne vlterius grassaretur, conuentum Principum Europaorum indixit Mantua atque eò ipse etiam venit. Ad eum peruenit legatus Thomæ Despoti Moreæ auxilia in Turcas petens. Item legati ex Cypro Rhodo, Lesbo, Albania, Epiro Illyrico & Bosna similiter auxilia petentes, vbi post multas consultationes, plurimi Principes & Respublicæ auxilia promiserunt quidē, sed nihil penitus præstiterunt discordijs inter se inuicem decertando.

Romam venit, Basiliense dogma de auctoritate Concilij reiecit, & Eugenio Pontifici caput submisit. Post veritatem cognitam, cum Basileæ clericali tonsura insignitus, in Austria cum minoribus ordinibus subdiaconatus & Diaconatus sacros ordines recepit, in vrbe ad presbyteratum; & ad Episcopatum primo Tergestinum per Eugenium Pontificem, deinde per Nicolaum V. ad Episcopatum Senensem, ac tandem per Calixtum III. ad Cardinalatum promotus, eidem mortuo, cum de successore quæreretur, & Cardinales Bessarionem Cardinalem Græcum suffragarentur, eosque vt ab hoc eligendo Alanus Cardinalis Auenionensis auertisset, quod indecorum videretur Græcum euehere, quasi Roma viris sapientissimis, doctissimisque careret, in Pontificatu surrogatur, annos habens ferè sexaginta. Pontifex factus primum belli incendium à Piccinino in Vmbria excitatum suppressit: Assisium & Nuceriam recuperauit. Mantuæ conuentum Regum & Principum indixit, quo & ipse accedens, multis & Principibus & Legatis præsentibus, de bello in Turcas suscipiendo constitutum est. Pius Romam reuersus, Viterbium se recepit, & ab Ecclesiasticæ ditionis finibus tyrannos quosdam exterminauit. Regnum Neapolitanum Ferdinando confirmauit, & Latinum Cardinalem Vrsinum eo misit, qui eundem Regem coronaret, quem etiam in clade illa, qua apud Sarnum afflictus est adiuuit, qua ope is regnum tutatus est, Sigismundum Malatestam, & censuris & armis cohibuit. Fœdus inijt cum Rege Vngariæ, Burgundiæ Duce, Venetisque pro bello Orientis, pro quo & ipse, in varias regiones tendens, magnos labores tulit. Regem Bohemiæ citari iussit. Episcopum Moguntinum, non rectè de fide sentientem dignitate spoliauit. Sigismundum Austriæ Ducem, anathemate damnauit, quod Cardinalem quendam in Vincula coniecisset. Ludouico Galliæ Regi de Ecclesiastica libertate detrahēti, audacter restituit. Borsium Mutinæ Ducem acriter interminatus est, quod rebus Galliæ, & Sigismundi Malatestæ velut Ecclesiæ hostis faueret. Affinitatem cum Rege Ferdinando contraxit. B. Catharinam Senensem inter sanctas retulit. Romæ, Senis, & alijs plerisque locis multa eleganter magnificeque extruxit. Corsinianum ciuitatem appellari voluit, & de suo nomine Pientiam dixit. Obijt Anconæ febri absumptus 17. Kal, Septemb. Anno Domini 1461. cum sedisset annos sex, mensem vndecim, & dies 27, Corpus Romam delatum, apud S. Petrum conditum est.

Scripsit multa vtilia ante Pontificatum, præcipè autem Dialogos; Epistolas, Orationes, Historiam Bohemorum, Commentariosque de suis rebus duodecim libris complexus est. Epigrammata, variaque pœmatum genera lepidè & acutè scripsit; quo studio ita delectatus est, vt Poetæ nomen etiam in suis ipse scriptionibus vsurparet: vt constat ex epistola quadam ad parentem data, cui inscriptum est. *Aeneas Syluius Poëta, genitori suo Syluio Salutem*. Auri, diuitiarumque contemptor fuit, adeò, vt cum oblati ei essent thesauri à Calisto relicti, videre recusans dixerit. *Auferte hæc, citius enim expendemus, quam alij congesserint*. Eius virtutes à Platina immensæ propemodum enumerantur. Sed & Ioannes Antonius Campianus, Episcopus Interamnensis, haud inelegantem de eius laudibus orationem; nec non & librum de vita illius conscripsit: cui & Epithaphium eiusmodi panxit.

Esse hoc in tumulo Pium Secundum
Nè tu crede: Pius petiuit astra.
Terris gloria nominis vagatur
Prӕterquam ossa nihil reliquit vrnæ.

Edidit in Pontificatu Bullam retractationum, omnium dudum per eum in minoribus adhuc agentem, pro Concilio Basiliensi, & contra Eugenium Summum Pontificem scriptorum.

A.D. 1459. *Concilium Vnicum* Lancieniese celebrauit temporibus Pij Secundi, Ioannes Sprouius Archiepiscopus Gnesnensis: in quo cum multa præclara sanxisset pro re-

reformatione Cleri, tùm ſolicitè prouidens bonorum Eccleſiaſticorum immunitatem, ſtatuit ne Eccleſiarum poſſeſſiones tempore vacationis à quoquam occuparentur aut ſurriperentur. Ad importunam verò Regis inſtantiam, ſubſidiũ Terræ Dobrinenſi ex contributionibus Sacerdotum prouidit.

PAVLVS II. Venetijs natus, patre Nicolao Barbo, viro illuſtri, matre Polexina Cõdulmaria, Eugenij IV. Pont. Max. germana. A ſacro fonte nomen Petri adeptus, puer pietatis ſtudium à matre condidicit; adoleſcens per honeſta litterarum documenta gradiens, probitatem morum cum bonarum artium ſtudijs coniunxit, eo feruentius, atque conſtantius, quod Gabrielem Condulmerium auunculum ſuum Pontificem creatum eſſe audiuit. Qui Petrum accitum, in Clericorum numerum adſcripſit, & primum Bononienſem Archidiaconum, deinde Ceruienſem Epiſcopum, ac paulò poſt Prothonotarium Sacroſanctæ Sedis, ex his, qui emolumentorum participes ſunt, creauit. Quo in munere tantam apud Purpuratos Patres opinionem innocentiæ & probitatis de ſe conciliauit, vt illi ipſi nihil cogitante Petro, Eugenio ſuaſerit, qui eum ſacro Collegio adijceret. Dederat ſpecimen, vel in ſtrictiore viuendi conſuetudine, quando matris exemplo, interpolatis Quadrageſimæ diebus, pane tantum & aqua contentus, religioſè ieiunaret. In hoc pietatis ſtudio procurrentem, & vna cum eo Aloyſium Patauinum Medicum, quem poſtea Patriarcham Aquilegienſem & Camerarium appellarunt, Eugenius Pontifex Cardinalibus adſcripſit. Vbi tanta authoritate fuit, tantaque gratia apud ſucceſſores Pontifices polluit, vt Calixtus nullius magis quam eius conſilio ſit vſus; Nicolaus verò & Pius II. primo ferè loco eum habuerint, à quibus facilè quidquid volebat, ſua, vel amicorum cauſa impetrabat. Tantæ prætereа humanitatis fuit, vt in ægritudinibus Curiales ipſos, qui aliquo in pretio erant, inuiſeret, & quibuſdam remedijs adhibitis eos ad valetudinem curaret. Semper enim habuit pharmaca, & vnguenta Venetijs aduecta quæ curandæ valetudini faciunt. Presbyteris gradum adeptus, pietati ita deuotus vacauit, vt omnibus exemplo, plurimis ſolatio fuerit, præſertim, probitatis, doctrinæ, atque modeſtiæ amatoribus. In conciliandis diſſidentium animis, magnus artifex fuit. Multoſque diſſidentes inter ſe capitaliter, ad priſtinam amicitiam reduxit. Ad Petri Sedem aſſumptus, & Pontifex à Cardinalibus ſalutatus, Petri nomine præ humilitate abſtinuit, quod ſe non tantum illo, ſed & ſuprema dignitate indignum exiſtimaret: Pauli autem aſſumpſit, quod Paulum Apoſtolum in moribus emendandis, in diſciplina ſancienda, inque fidelium ſalute ardentiore zelo curanda, deſideraret imitari.

Anno D. 1464. vltima Aug. Friderici Imp. 13. quem Pontifex mox vt aſſumptus fuit, ad bellum Turcis inferendum miſsis legatis animauit. Acceſſit atque, eam ob cauſam Romam ex tota Italia Principum Oratores, vt quiſque ad opus Dei pro viribus ſuffragium ferret & annis ſingulis ſubſidium penderet quã diu bellum Turco apertum fieret, qua pecunia iuuandus erat Matthias Rex Vngarorum ad conterendos hoſtes ſolus, præ omnibus idoneus ſed iam bellorum aſsiduitate exhauſtus ſed quiſque ſua negotia cauſabatur & nullus publicam fidei cauſam ſuſcipere aut iuuare voluit.

Ad V. Idus Septembris, ante fores Baſilicæ Vaticanæ, triplici diademate, à primo Diaconorum, Roderico Borgia Procancellario ornatus, Imperatori, Regibus, ac Principibus Chriſtianis, non in locum tantum, ſed & in curam Pij Secundi ſe ſucceſſiſſe ſignificauit, & Legatos miſit, eoſque licet fruſtra cohortatus eſt ad bellum inferendum Turcis, qui vniuerſa iam Epyro in poteſtatem redacta, in Illyricum irruptionem faciebant. Regis Ferdinandi copijs adiutus, Deiphobum & Franciſcum Anguillariæ oppreſſit, eoſque tanquam Eccleſiæ hoſtes nouem caſtellis ſpoliauit. Hinc ad contentionem venit cum Fernando Rege, quod is ob officium præſtitum Pontifici plures ſibi annuos cenſus remitti poſtulabat. Epiſcopum Conchenſem Mediolanum miſit, qui vrbem illam erga Galeatium, Franciſci Sfortiæ nuper mortui filium in fide contineret. Magnum Rhodiorum militum Magiſtrum, Romam vocauit, vt eis rebus penè labentibus conſuleret. Quo Romæ mortuo, Carolum Vrſinum in eius locum ſubrogauit. Poſt diuturna bellorum diſſidia, multos Italiæ Principatus inter ſe conciliauit. Hinc ad hilaritatem declinans, veterum imitatione, populo ludos & ſpectacula edidit, epulumque dedit. Fridericum Cæſarem Romam ex voto venientem, apparatiſsimè ſuſcepit. Idem Borſo præſtitit, quem Ferrariæ Ducem creauerat. Vngaros & Germanos in

Georgium Regem Bohemiæ perfidum hominem commouit, ex quo Regia omnino domus deleta est. In Tolphæ dominos bellum suscepit, quo infeliciter gesto, oppidum decem & septem millibus aureorum mercatus est. Obijt apoplexiæ morbo Anno D. 1471. Octauo Kal. Augusti, cum sedisset annos sex, menses 10. & dies 26.

Hic Cardinalibus purpuratas vestes, & quidem ornatiores dedit; qui sacris induti vestibus, à Prælatis inferiorum ordinum præterquam loco non noscebantur: quaptopter vsum mitræ Sericeæ illis Damasceni operis, rubraque caputia indulsit, quibus soli Antistites Romani antea vtebantur. Subsellia quoque, tam ad Senatus, quam ad sacrificiorum consessum altius eleuauit. Aureos mensurnos centum singulis Patrum instituit, quibus annua quatuor millia ex Sacerdotijs non prouenirent. Episcopis quoque multis, vel eiectis sedibus, vel inopes Ecclesias possidentibus, pro conditione liberaliter erogauit. Ipse in cultu diuino maximè assiduus fuit, Ecclesias frequentissime ex more visitabat, & diuinis officijs, præsertim verò in basilica *Aracæli*, quam vnicè adamauerat, vsque ad finem, ingenti cũ deuotione interesse consueuerat. Ad Ecclesiæ & altarium ornatum, præcipue verò in ijs, quæ rei Diuinæ cum solemniore pompa faciendæ addicta sunt, immensos sumptus faciebat, omniaque serico, auro, argento, gemmis & lapidibus pretio cum artificio certantibus, fulgere cupiebat. In Tyaram Pontificiam, amplius quam centum & octuaginta millia nummum aureorum, eum expendisse libri rationales ostendebant, tantum fuit pretium gemmarum atque vnionum. In sumptus belli sacri contra Turcos suscepti, singulis annis centum millia aureorum numerauit. Honestiorum ciuium egestati & necessitatibus abunde prospexit, in collocandisque eorum filiabus, non exiguas pecunias singulis annis insumpsit. Profugos è Græcia viros illustres, benigne & liberaliter sumptibus ex publico collatis habuit, quod suis possessionibus à Turcis spoliati essent. Scandebergiumq; Albaniæ Principem Romæ splendidissime habitum collatis plurimis pecunijs in Turcas armauit. Annonæ vbertatem, omniumque ad vitæ necessitatem pertinentium copiam diligentissime curauit, vtque omnia vilius quam antea venderentur, edixit. Platina homini iratus, multa in eum historico indigna scripsit, quod nimirum Abbreuiatores à Pio in Curiam adscitos officio priuauisset, illumque ipsum, quod insolentius epistola quadam factum redarguisset, in custodiam detrusisset, ac propterea cum alijs de crimine maiestatis postulatis, in vinculis causam dicere iussisset. *Vid. Bzou. tom. 17. ad an. 1471.*

A. D. 1466. *Concilium Lanciciense in Polonia celebratum*, disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ causa, præsidente Ioanne Gruscinio Archiepiscopo Gnesnensi: in quo petentibus oratoribus Regijs subsidium ad bellum Prussicum contra Crucigeros, decretum est è tributo Sacerdotum.

Anno D. 1471. 5. Idus Augusti. Friderici III. Imp. an. 20. Qui vltra Quinquaginta annos regnauit Pacificus ab omnibus nuncupatus. Et fatur vita domina ndique filium Maximilianũ Regem Romanorum fecit quem primo Archiducem Austria nuncupauerat post obitum Alberti Archiducis fratris sui germani, sed re bellis & vsurpatoris Austria.

SIXTVS IV. Ex nobili gente Ruuerea oriundus, & Franciscus antea nominatus, patriam relinquens, venit Patauium, ibique per viginti quinque annos moratus, à Paulo II. Bessarionis Niceni Cardinalis rogatu, ex Ordinis Minorum Generali ministro Cardinalis factus, post obitum Pauli creatus est Pontifex Maximus, cum Bessarion Græcus Senex, Senatusque Sacri Princeps, doctrina & vitæ integritate clarissimus, pernegasset pacto aliquo interueniente, quod nonnulli Cardinales ei proposuerant, Papatum obtinere. Igitur intempestiuam eius seueritatem illi stomachati, ad Cardinalem S. Petri ad Vincula, Magistrum Franciscum Sauonensem, vita doctrinaque præstantissimum conuersi, quæ postularunt facile obtinuerunt, ipsique Pontificatum demandarunt. Qui Romanus Pontifex renunciatus, Sixtus Quartus appellari voluit, quod eiusdem die festo Conclaue Patres ingressi essent. Coronatione igitur celebrata 8. Kal. Septembris, per Rodericum Borgiam, Valentinum, Hispanum S.R.E. Archidiaconum & Vicecancellarium; dum ad Basilicam Lateranen-

sem

sem procederet, tantus repente ad portam templi tumultus exortus est, dum Romani quidam ciues in via ab equitibus Pontificijs premerentur, vt maximum vitæ periculum adierit, saxis seu casu, seu ex composito appetitus & à portatoribus pene destitutus, nisi tumultum Latinus Cardinalis Vrsinus sua auctoritate sedasset. Ad Ecclesiæ regimen conuersus, Cardinales quatuor Legatos delegit; quorum tres ad Reges Galliæ, Vngariæ, & Aragoniæ misit, vt ad pacem eos cohortarentur: quartum post fœdus cum Fernando Rege & Venetis initum, maritima classe in Turcas armauit. Sed vterque conatus irritus cecidit. Dehinc vt quorundam tyrannorum Vmbrię audaciam comprimeret, Fernandi Regis auxiliaribus copijs, Federicum antea Montisfeltrii Comitem, deinde à se grandiori nomine Vrbini Ducem appellatum, præfecir, quibus & Iuhannem nepotem Cardinalem præposuit. Persecutus est Laurentium & Iulianum Mediceos fratres, ex quo bellum intulit Florentinis. Inita societate cum Venetis, & Roberto Malatesta exercitus sui duce creato Calabrię Ducē prælio fudit. Conciliato sibi Rege Neapolis, arma in Columnenses vertit. A Venetorum amicitia se subtrahens, sacris interdixit, & aduersus eos cum alijs Principibus societatem inijt. Liberale hospitium præbuit Palæologo Peloponnesi Domino, Despotæ Epiri, Reginis Cypri ac Bosnæ, qui, Turcarum armis profugi, patrijsque bonis spoliati, sese omnes eo cotulerant. Idem quoque officium exhibuit Christierno Danorum Regi, qui pari honore, Sixtum persecutus est, eiq. in cubiculum redeunti, exeuntiq. semper adfuit, lauantiq. manus peluim prębuit.

Idem quoque præstitit Fernando Regi, Ducibusque Calabriæ & Saxoniæ, qui Romam pietatis studio venerant. Census Fernando remisit, dum tamen quotānis loco census equum egregiè instructum, phaleratumque persolueret. Beatum Bonauenturam in Sanctorum Catalogum retulit. Festis solemnibus etiam diem Conceptionis, Præsentationis B. Virg. S. Annę, Iosephi, & Francisco adscripsit. Annum Iubilæi ad 25. annum redegit. Cauit edicto, ne porphyretici lapides, neue marmorei ad profanos vsus è templis tollerentur. Vt Franciscani & Dominicani pacifice viuerent, decreuit de Conceptione Virginis quālibet aduersantiū opinionem sine hæresis vitio sustineri posse. Catholici Regis nomen Ferdinando & Isabellæ tribuit, officiumque Inquisitionis in Hispania collocauit. Petrum affinem Cardinalem S. Sixti creauit. Hieronymo Forum Liuij dedit, Antonio Ordelaso ademptum, & effecit vt Dux Insubrum Catharinam naturalem filiam, & Imolam ei in dotem daret. Sed infelicem habuit exitum vitæ: occisus quippe est domi suæ, in oculis Catharinę vxoris. Sixtus ad ornatum elegantiamque conuersus, vrbem pulcherrimis, elegantissimisque operibus excolere cœpit, vias lateritias sternere, eaque loca reformare, quæ tenebricosa aut humida nimium, aut deformem ciuitatem, aut insalubrem reddebant. Pontem sui nominis extruere, aquæ Virginis ductum corriuare, celeberrimam Vaticani Bibliothecam libris vndique conquisitis erigere. Ingens Ecclesię propugnator generosę indolis, excelsi animi fuit. Primus venalia habuit Curiæ officia, & noua ad lucrum excogitauit, Scribarum videlicet, Astipulatorum, & Notariorum. Nonnulla conscripsit, quæ apud eruditos viros in pretio sunt. Obijt septuagenarius, podagra, alijsque curis vexatus, & sepultus est in Vaticano. A.D. 1484. pridie Idus Augusti, cum sedisset an. 14. & dies 4.

Concilium Vnicum sub Sixto IV. celebratum Toletanum, in oppido quodam Hispaniæ de Aranda, ad reformandos Cleri populique mores, præsidente Alfonso Carillo Archiepiscopo Toletano. cuius Constitutiones egregiam in se doctrinam continentes à Seuerino Binio in corpore conciliorum sunt expressæ. Quas antea paulò ex archiuio Conchensi exscripserat, edideratque in lucem in Hispania, Valerius Serenius Belga. A.D. 1565. *Anno D. 1473. 5. Decemb.*

I N-

Anno D. 1484. 4. Kal. Septemb. Friderici III. Imp. 34.

INNOCENTIVS VIII.

Genuensis antea Ioan. Baptista cognomento Cybo vocatus, patre Aarone, Equite Aurato, Sacri Imperialis Palatij Comite, Neapolitano Prorege, & Romano Senatore natus, post varios honorum gradus, à Sixto IV. Cardinalis creatus est, eoque defuncto surrogatus est in Pontificatu, veterē illam morum facilitatem, humanitatem ad Principatum adferens, quam in priuata vita retinuerat. Principes Christianos, sæpius iteratis nuncijs, ad concordiā, ac proinde ad expeditionem Turcicam hortatus est. Subdito sibi magistratui seriò præcepit, vt iustitiam omnes rectè, ac mature administrarent. Ad Friderici III. instantiam S. Leodoldum Ducem Austriacum, in Sanctorum numerum, ac cathalogum retulit. Fernandum Regem Hispaniæ, ob non solutionem debiti census, iure Regni spoliasset, nisi metu belli, quod à Florentinis, & Duce Mediolani Fernandi socijs imminebat, ad concordiam redijsset. Hoc Pontifice Zizimus frater Regis Turcarum, à Rhodijs captus; Romam adductus fuit. Innocentius, ad res domesticas pacandas cōuersus, Vrbanos motus ciuium compescuit, & Columnenses cum Vrsinis Marganos, cum gente Sanctacrucia pacauit. Sicarios & grassatores sustulit, & in eorum fautores, aliosque Curiæ officia perperam administrantes grauiter animaduertit. Annonam auxit. Boccalinum Auximorum tyrannum, Ducis Mediolanensis auxilio perdomuit. Porticus atque hortos ædis Vaticanæ, Tribunal Ecclesiæ Lateranensis, Diaconiam S. Mariæ in Via Lata restituit. Eodem anno partem Dominicæ Crucis reperit. sacram illam cuspidem, qua Christi Domini latus prosossum est, à Turcarum Rege dono accepit. Ipse procero corpore, & pleno decoris erat, Regiamque formam à proauis, veluti hęreditariam acceperat. Deerat illi quod non satis prospera valetudine vteretur. Nam biennio antequam decederet, in extasim ex morbo incidens, horis ferè viginti sine arteriarum motu immobilis permansit. Eadem ægritudine oppressus interijt, 8. Kalen. Sextilis, circiter horam quintam noctis. Anno Domini 1495. sedit annos septem, menses decem, & dies 27. Et sepultus est in Vaticano.

Sub id tempus Nouū Orbem vltra Oceani terminos Columbus Genuensis adinuenerat sumptu Ferdinandi Regis Hispaniarum in illā expeditionem emissus.

Hic contra non soluentes annatas, excommunicationis sententiam fulminauit. Confraternitatem sub inuocatione, S. Ioannis Baptistæ decollati, misericordiæ nuncupatam, in vrbe institutam, ad pie consolandum morti à Iudicibus condemanatos, approbauit.

A. D. 1485. 23. Ianuar.

Concilium sub Innocentio VIII. Petricouiense, ad reformandos Cleri populiq. mores, celebratum est pręside Sbigneo Olesnicio Archiepiscopo Gnesnensi, viro animi magnitudine & consilio præstanti, qui omnes antecessorum suorum constitutiones, & Canones Synodales, reassumpsit & approbauit: Regique Cazimiro Iagellonidi, pro continuatione belli Prussici subsidium à Sacerdotibus, per sex grossos à marca argenti redituum, decreuit.

LA

A. D. 1492. 3. Id Augusti Friderci Imperatoris vltiimo, cui statim successerat filius Maximilianus Centesimus decimus Quartus Imp. Quo tempore Turca grandi cum exercitu intrauerāt Croatiam ad Regnū Hungariæ tunc spectantem Igitur maximilianus mouerat cum exercitu suo contra illos. Sed Barbari non expectato illo abierunt cum preda.

ALEXANDER VI.

Rodericus Borgia antea vocatus, Hispanus Valentinus, Calixti Papæ III. ex sorore nepos. Hic cum Bononię ciuili, & Pontificio iuri operam dedisset, Romam à Calixto vocatus, admodum adolescens primum Episcopus Valentinus; mox Cardinalis, & Vicecancellarius creatus fuit; ac tandem Innocentio mortuo ad Pontificatum euectus, initium à pietate desumpsit. Quosdam enim statim constituit, qui carceres assiduè adirent & visitarent. Cardinalem ex sorore nepotem suum ablegauit Neapolim, vt Alfonsum II. Neapolis Regem ex more coronaret. Cum Carolo Octauo Francorum Rege, qui Regnum Neapolitanum armis repetiturus in Italiam venerat, fœdus inijt; verebatur enim ne vis illa externa quæ tanto impetu ferebatur, aliquid sibi mali portenderet. Cumq. idem Carolus post Zizimum, Turcarum Regis fratrem abductum, regno potitus Neapolitano esset, Alexander rupto fœdere, cum alijs Regibus & Principibus contra eum conspirauit. Toto Pontificatu tres & guadraginta Cardinales, creauit.

è qui-

è quibus duodeviginti Hispani erant. Hic nothos suos excellentissimis honoribus extulit, eosque Principes Italiæ constituit, quos inter Cœsarem Borgiam, ex Episcopo Cardinalem, & post Ducem Valentinum creauit. Quas hic rapinas, cædes potentiorum, & euersiones vrbium molitus fuerit, patre conniuente, vel reprehendere tyrannum non audente, Historici diuersi, sed inprimis Iouius accuratissime descripsit. De quo hoc est memoratu dignissimum, quod cum in exitium opulentiorum Cardinalium prandium instituisset; is qui pocula ministrabat, merum veneno medicatum, per errorem patri filioque propinauerit, atque ita patri Pontifici, qui septuagesimum agebat annum, & venenum plenius hauserat, violentam mortem intulerit. A. D. 1503. 15. Kal. Sept. cum sedisset annos vndecim & dies octo. Sepultus est in Sacrario S. Petri.

Concilium Petricouiense, Fridericus Princeps Archiepiscopus Gnesnensis, ab Alexanstro VI. Cardinalitia dignitate insignitus, cum suis Suffraganeis celebrauit; fratriq. Alberto Regi Poloniæ, bellum in Turcas tunc meditanti, quartam census pro subsidio contribuere Sacerdotes iussit.

Anno D. 1497. Sabbato ante festum S. Ægidij.

PIVS III.

Patria Senensis, antea Franciscus Piccolomineus appellatus. Pij II. ex sorore nepos: factus est Pontifex cum Cœsar Dux Valentinus à morbo illo, quem ex sumptione veneni contraxerat, liberatus, coacto duodecim millium armatorum agmine, Conclaue quo Patres ad futuri Pontificis Comitia habenda congregati erant, obsideret: Verum is populi seditione, & Gallorum atque Hispanorum intercessione, vrbe excessit. Cumque paulò post. ad deosculandos noui Pontificis pedes redijsset, Vrsini illum armis adorti sunt, postque magnam cædem vtrinque commissam, Valentinus iussu Pontificis, viuus in carcerem Æliam perducitur. Pius autem ex sæuissimo vlcere, quod non sine suspicione superilliti veneni crus exederat, annum ætatis quartum & sexagesimum agens, interijt. 15. Kalend. Nouemb. & Sepultus est propè auunculum, in Vaticano, cum sedisset dies tantum. 26.

A. D. 1503. 10. Kal Octob. Maximiliani Imp anno 1. qui patre viuente adhuc res Imperij tot annis administrabat.

IVLIVS II.

Antea Iulianus de Ruere nominatus, Sixti IV. ex fratre nepos, Episcopus Carpentoractẽsis, & Cardinalis. S. Petri ad Vincula, contra Alexandri Pontificis consilium, defuncto Pio III. surrogatus est, à quo ille, cum viueret, cauendum esse dicebet vt olim Sylla à Iulio Cœsare malè præcincto puero. Hic Pontificatum adeptus Valentinum Ducem, quem Pius custodiæ mancipauerat, ea conditione dimisit, vt Cæsenæ & ForiLiuij Castra Ecclesiæ redderet. Dimissus pro suo merito in Hispania glande traiectus occubuit. Iulius verò nepte ex sorore Marco Antonio Columnæ desponsata, cum ad restituendum statum Ecclesiasticum animum conuertisset, Ioãnem Bentiuolum Bononiæ violentum inuasorem fugauit; initoque cum Principibus Christianis fœdere contra Venetos, qui latam in se anathematis sententiam, ob Arimini & Rauennæ iniquam detentionem, parum curantes, exercitum mouit, eosque fœliciter subegit. Ducem Ferrariæ propter occupatas Salinas excommunicatum bello profligauit. Mutinam atque Mirandulam Gallico prẹsidio munitam expugnauit. Cumque ea de causa schismatici quidam Cardinales Conciliabulum Pisanum indixissent; atque ad illud Iulium Pontificem velut periurum citari procurassent, eiusdem Iulij auctoritate congregata est Romẹ in Laterano Vniuersalis & Oecumenica Synodus, qui actis prædicti Pisani Conciliabuli annulatis & reprobatis Rex Galliæ & Florentini vna cum Schismaticis Cardinalibus dira anathematis sententia perculsi fuerunt. In hac rerum perturbatione contra Gallos ab Hispaniẹ & Angliæ Regibus auxilium, & subsidium implorauit & obtinuit. Venetorum & Heluetiorum copijs auxiliaribus fretus, omnem Galliarum exercitum Italiæ finibus eiecit. Maximilianũ Sfortiam Ducatui Mediolanensi restituit. Bononiam à Bentiuolis occupatã recuperauit. Et vt plura

A.D. 1503. 3. Kal. Nouemb. Maximiliano Imp. anno 1 qui pacto fœdere cum Iulio Papa Ferdinando Rege Hispaniarum, & Ludouico Rege Galliæ bellum cõtra Venetos suscepit anno 1509 quibus multas ciuitates receperat, sed præcipuè Patauium Vincentiam Clusam & Goritiã. Gallus verò Cremã Cremonam Brixiam Bergamum Pescariam. Hispanus vrbes illas quas Veneti bellis superioribus in Regno Neapolitano occupauerant. Papa vero Iulius receperat Rauennam Fauentiam Imolam Mutinam aliasq. ciuitates complures.

LO

ra vno verbo dicam, libertaris Ecclesiasticæ tam erat studiosus, vt frequenter diceret, indignum esse Leuitas seruire, quos cæteris imperare oporteret. Veri amantissimum fuisse, fatebatur inimicus illius Alexander VI. cuius metu vrbis aditu abstinebat. Multis periculis, plurimisque laboribus fractus, obijt Romæ 9. Kal. Martij, Anno Christi 1513. cum sedisset annos nouem, menses tres, dies 21. Diuersis vicibus 28. Cardinales creauit.

Anno D. 1510.

Primum Conciliabulum Turonense, contra Iulium II, ab omnibus Episcopis Galliæ celebratum. In quo decretum est, vt mitterentur ad Pontificem legati, qui cum eo de pace agerent, vel si ipsos nollet audire, eum prouocarent ad conuocandum Generale Concilium. *Genebrand. lib. 4. Chronol.*

Anno Dom. 1511. Qui congregati fuerant Pisis parum tutos se esse videntes à Papa primo Mediolanũ abierant, postea Lugduni Gallorum, vbi etiam aliquot sessiones habuerant.

Secundnm Conciliabulum Pisanum Oecumenicum, contra Iulium Papam indictum, quod ille decennio post Concilium Constātiense elapso, secundum eiusdem Concilij constitutiones, Vniuersalem Synodum indicere neglexisset, & tempore suæ inaugurationis illud infra biennium indicere se iurato Patribus promisisset. Iulius datis ad eos litteris, qui Pisæ congregati fuerant, monuit perbenignè, vt ad pacem & vnitatem Ecclesiæ se reciperent; & cum nollent ad sanitatem redire, Romæ Generale Concilium Laterani indixit, reprobauitq. conuentum schismaticorum, sententia in eos anathematis prolata.

Anno D. 1506. in festo S. Matthei.

Tertium Concilium Lanciciense, per Andream Roseum de Boryszeuice Archiepiscopum Gnesnensem celebratum, reformandę disciplinæ Ecclesiasticæ causa. In quo etiam Regi Alexandro subsidium duplicatum decretum est ab vniuerso Clero ad bellum Prussicum.

Papa 221. Anno Dom. 1513 5. Idus Mart. Maximiliani Imp. anno 20. Qui Ducatum Medinensem trecentis millibus aureorũ Leoni Pontifici vendidit: & Ludouici Sfortiæ filium Maximilianum Ducem Mediolanensem fecit bellumque cõtra Franciscum Regem Galliæ cum Henrico Anglo viribus iunctis suscepit quod ille Ducatum Mediolanensem pulso Sfortia occupauisset. & Maximilianum Sfortiam in Franciam duxisset certis quidẽ conditionibus deditum sed titulo Ducali omnino priuatum.

LEO IX.

quem vulgo X. nominant. Florentinus, antea Ioannes appellatus, patre Laurentio Medices viro nobilissimo, & matre Clarice Vrsina prognatus, annum agens ætatis 37. creatus est Pontifex tempore Maximiliani Imp. cum in numerum Cardinalium ab Innocentio VIII. relatus, biennio propter Mediceos omnes à Carolo Rege Francorum Florentia expulsos, à patria exulasset, binaque legatione in Florentia functus fuisset. Alfonsus Petrucius Cardinalis admodum adolescens Leonis creationem de more populo Romano nunciaturus, erupit in has voces. *Pontificem habemus Leonem Decimum, ac viuant vigeantque iuniores.* Initio Pontificatus repressius atque extinctis bellorum incendijs, quibus orbis ferè vniuersus conflagrabat, totum se paci componendæ dedit, missisque ad Principes legatis, pacem, tranquillitatemque Reip. comparauit. Cardinales à Iulio dignitate spoliatos, restituit. Synodum ab eodem Laterani inchoatam. & agi & perfici iussit. Mutinam ab Imperatore triginta millibus aureorum redemit. Sfortiam in Ducatu Mediolanensi confirmauit. Heluetijs ampla stipendia decreuit: veritus Franciscum Regem, qui nouas adeptus erat Marignani victorias, pacem petijt, & Bononiæ obtinuit. Laurentiũ nepotem Florentiæ administrandæ præfecit, Vrbinique Ducem creauit. Eiecto Senis Burghesio, & eius fratre Cardinale, Raphaelem Petrucium dominum constituit. Cumque Rex Selimus Turcarum bellicosissimus Christianis acriter minaretur solennes supplicationes indixit, quas & ipse nudis pedibus celebrauit. His absolutis, Selimus morte sublatus est. Deprehensa coniuratione Burghesiorum, non tantum de auctoribus, verum etiã de omnibus qui sceleris conscij fuerant, debitas pœnas sumpsit. Et vt numerum Purpuratorum Patrum impleret, triginta Cardinales vna vice creauit. Cumque post obitum Maximiliani Imperatoris Carolus V. gubernacula Imperij capesseret, septem millibus aureorum receptis super lege, quæ Reges Neapolitanos Imperij aditu prohibebat dispensauit. Cum Carolo fœderatus, bellum indicit Gallis, ijsque Mediolano eiectis Parmam & Placentiam Ecclesiæ recuperauit. Beatum Franciscum de Paula, Francisco Rege instante, inter Sanctos retulit. Huius temporibus Anno Christi 1517. Martinus Lutherus natione Saxo, patre incubo, vt testatur Cochlæus, prognatus,

Mo-

Monachus Auguſtinianus in Germania nouas hæreſes excogitare, & iam ante damnatas reſuſcitare cœpit, motus inuidia erga Tertzellium Dominicanum, cui Albertus Moguntinenſis Archiepiſcopus indulgentias, quas pro Turcica expeditione bona ſua erogantibus Pontifex conceſserat, in Germania promulgandas demandauerat. Habita diſputatione Lipſica inter Eccium, Lutherum, & Carlſtadium, Lutherus à Conſiliarijs Georgij Principis optimi monitus, vt comiter & ſedate ſe gereret, reſpondit. *Neque propter Deum hæc res cœpta eſt, neque propter Deum finietur.*

Cumque poſt multas admonitiones Pontificis non reſipiſceret, neque in conuentu Principum Vormatienſi, ad palinodiam cantandam induci poſset, excommunicatus eſt à Pontifice, ſecurumque à ſe dimiſsum Carolus V. velut publicum & notorium hæreſiarcham extirpandum eſse reſcribit.

Eodem tempore apud Heluetios Tigurinos, Vlricus Zuinglius cœpit indulgentiarum prædicatorem, eò à Pontifice miſsum oppugnare. Poſt hæc Leo Pontifex mitiſſimus, iuſtitiæ & religionis amantiſſimus, litteratorum hominum ſingularis patronus, qui vrbem elegantibus ædificijs exornauit, ſaliſque vectigal imminuit, febricula lentiore correptus, exceſſit è vita Anno Dom. 1521. quarto Nonas Decemb. cum ſediſset annos 8. menſes totidem & dies viginti. Sepultus eſt apud S. Petrum, & vacauit Sedes poſt obitum eius, diebus triginta ſeptem.

Edidit Bullam contra errores Martini Lutheri & ſequacium: vetuitq. ne quis in Academijs vltra quinque annos, ita in Poëtis & Rhetoribus verſetur, vt nihil attingeret grauiorum ſtudiorum.

Primum Concilium ſub Leone Papa X. Lateranenſe V. Oecumenicum ſeu Vniuerſale decimumſeptimum approbatum. centum & quatuordecim Epiſcoporum, inchoatum ſub Iulio II. Pontifice die 10. Menſis Maij Anno 1511. terminatum verò die 16. Martij anni 1518. ſub Leone X. Cauſæ indicti Concilij apud Acta Synodalia non vno in loco indicantur. Schiſmatis illius, quod Conciliabulo Piſano propagatum fuit extirpatio, Chriſtianorum Principum inteſtino bello inter ſe mutuo digladiantium optata concordia, Romanæ Curiæ totiuſque Eccleſiæ reformatio. Pragmaticæ ſanctionis abrogatio. & contra Turcam generalis expeditio per Chriſtianos Principes ſuſcipienda. Seſſiones celebratæ fuerunt ſub Iulio V. ſub Leone 7. quibus multa ex anteriorum Conciliorum conſtitutionibus ſunt innouata.

Anno Dom. 1511. Cœptum finitum vero Anno Dom. 1518. Henricus VIII. Angliæ Rex ſcripſit librum ſub id tempus doctiſſimum contra Lutherum & manu propria ſubſcriptum miſit Leoni X. qui eum Defenſorem fidei appellauit librumque in Vaticana Bibliotheca aſſeruandum repoſuit.

Secundum Gneſnenſe, per Ioannem Laſcium Archiepiſcopum Gneſnenſem, pro exterminio ſectę Lutheranæ ex diœceſibus Comprouincialibus celebratum.

Anno D. 1506.

ADRIANVS VI.

Papa 221. Anno D. 1522 V. Id. Ian. Caroli V. Imp. 2. quem poſtea Clemens VII anno 1530, coronauerat Bononiæ Imperatorē Romanorum, vbi ſtatim reſtituit Ducatum Mediolanenſem Franciſco Sfortiæ culpa omni dimiſſa quod inimico ſuo Franciſco Regi Galliæ adhæreret.

Germanus, tenuis ſed honeſtę fortunæ parentibus Vltraiecti natus, Louanij ſtudendo tantum profecerat, vt inter Theologos facilè primus haberetur. Qua de cauſa in Caroli V. præceptorē aſſumptus, atque in Hiſpaniam profectus, ibiq. Epiſcopus & Cardinalis creatus poſt vices ibidem Caroli præclare geſtas, tempore eiuſdem Caroli V. Imperatoris, opera Cardinalis Medices, atque omnium Cardinalium conſenſu Pontifex electus fuit. Quod cum illi apud Victoriam vrbem Cantabrię moranti nunciatum eſſet, Genuam maritimo itinere delatus, à principibus Galliæ ſummo honore viſitatus eſt. Romam ingreſſus, 8. Kal. Octob. in Vaticano coronatus eſt, pompa admodum tenui, propter peſtis calamitatē, quę tum vrbem peruaſerat. Nomen cum quibuſdam alijs Pontificibus non immutauit. Amplo & robuſto erat corpore, ſed viuaci ingenio. Nam cum Cardinalis nepoti ſuo ſacerdotium. 70. aureorum annui reditus contuliſſet, vacaſſetque aliud, cuius prouentus paulò pinguiores eſſent, vix adduci potuit vt daret illud, ſolitus dicere. *Cupere ſe homines beneficijs dare, non beneficia hominibus*. Ad Remp. accedens, ob minimum rerum vſum, omnia ferè aliorum arbitrio moderabatur. Bel-

Sub id tempus Solimanus Turcarum Imp. Inſulam Rhodum occupauit poſt oppugnationem octo menſium. Militeſq. Hoſpitalarij inde

expulsi, beneficio Regis Hispaniarum in Insula Melita consederunt. Turci autem victores mox inde arma sua in Hungariam transtulerunt, quam postea paucos infra annos occiso Ludouico Rege suæ potestati subiecerunt.

lum intulit Sigismundo Malatestæ, quem Ducis Ferrariensis atque Vrbini auxilio fretus, Arimino expulit, omniaque aduersus eos Duces a Iulio & Leone decreta abrogauit, Cardinalem Soderinum ob datas aduersus Pontificem & Carolum literas, in Vincula coniecit. Rhodum tertium iam mensem grauissima obsidione periclitantem cum resciuisset, omnes curas & cogitationes in hoc conuertit, vt illi succureretur. Verum turbato tum rerum statu, ærario profuso, infelici exitu obsidio terminata est. Multa quidem vt erat ardenti zelo accensus in Ecclesiæ vtilitatem præstiturus erat, si Godefridos, Tancredos, Balduinos, Robertos eætas nacta fuisset. Ad clerum reformandum, corruptosque vrbis mores ingenij vires conuertit. S. Antoninum Florentinorum Antistitem, & S. Bennonem Germanum in Sanctorum cœtum aggregauit. Cum intellexisset Franciæ Regem Franiscum in Italiam cum potenti exercitu aduentare, Pontifex Cœsaris partes fulsit. Anglis, Vngaris, Venetis, alijsque liberis Italiæ ciuitatibus in fœderis societatem adductis.

Iisdem fere temporibus Christiernus Rex Daniæ hæresim Lutheranam amplexus cum tyrannidē in subditos suos exerceret nimium, in exilium ab eis eiectus duo Regna statim Sueciæ & Daniæ amisit. Cui Sigismundus I. Rex Poloniæ ad sustentandā certas in Pomerania circa Dantiscum Præfecturas concesserat ad vitā, quod eum propter hæresim Carolus V. Imp. cuius sororem in matrimonio habebat nullatenus iuuare vellet.

Huius temporibus, inquit Surius, quoddam ridiculum accidit Vitterbergę. Carolstadius enim & Melanchton pręcipui Lutheri discipuli & Symmistæ, hausta occasione ex scriptis Lutheri, studiosis adolescentibus persuasere, non esse dandā operam Philosophiæ. Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & id genus alios, non nisi mera scripsisse commenta & imposturas, ideoque libros eorum Vulcano consecrandos: vni sacrorum Bibliorum lectioni vacandum, neque fas esse hominem Christianum literis deditam actitare vitam: faciendum omnibus, quod in Genesi dictum est. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo.* Et vt suam insaniam ex Lutheri primęuis fontibus ad se deriuatam magis proderent, Carolstadius ex Archidiacono factus est agricola Vittenbergensis. Melanchton in pistrino artem pistoriam meditabatur: plerique adolescentes artium liberalium libris combustis, mæchanica opificia complexi sunt. A quo delirio dum Lutherus vtrumque à se infatuatum, versis velis ad mentem saniorem reduxisset, omnes ille Carholicos Reges ac Principes scriptis suis calumniose traduxit.

Adrianus paulò post hæc incidit in morbum, ex quo commendata Ecclesia & Christiana Repub. Cardinalibus, diem clausit extremum 8. Kal. Octob. Anno Christi 1523. cum in Pontificatu sedisset annum vnum, menses sex, diesque totidem. Post obitum eius, duos menses, diesque quatuor sedes vacauit. In S. Petro Sepultus est, hoc elogio exornatus.

Hadrianus VI. hic situs est.

Qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit.

Scripsit Breue ad Fridericum Saxoniæ Ducem, aduersus Lutherum, vt vterque reuerteretur ad cor, & resipisceret, nisi vtrumque gladium, Apostolicum simul & Cęsareum olim experiri velint.

Anno D. 1522.

Concilium Lanciciense, celebrauit tempore Adriani Papæ VI. Ioannes Lascius Archiepiscopus Gnesnensis, pro conseruatione Iurisdictionis Ecclesiasticæ, insurgentibus in Clerum Pseudopoliticis & Lutheranis. Et vt Archiepiscopus Gnesnēsis, *Legatus Natus ac Primas*. fungatur officio legationis in Prouincia, secundum Bullam Leonis X.

Anno D. 1523. 14. Kal. Decemb. Caroli V. Imp. 4. cui tunc temporis rustici bellum intulerant per emissarios Luteri ad libertatem religionis excitati, eo quod Imperator ipsum Luterum in Comitijs Vermatiensibus tanquam hæresiarcham & Apostatam profugum ab Ecclesia proscripsisset.

CLEMENS VII.

Florentinus, cui antea Iulij nomen erat, Iuliani Medicei filius à Leone patruele primum Archiepiscopus Florentinus, mox Cardinalis creatus, vniuersæ Reipub. curam suscepit. Qua bene administrata, post Adriani mortem, Cardinalibus Columna & Cornario fauentibus, Pontifex renunciatus est. Qui tertio Pontificatus anno Iubileum celebrauit. Postque Borbonij à Gallis defectionem, Caroli potentiam pertimescens, inita prius cum Venetis societate, sese medium inter vtrosq. constituit, & eorum dissidia componere summo studio conatus est. Columnenses ingentibus coactis copijs instructi ad Regnū Neapolis pro Carolo custodiendum,

dum, adsunt cum Vgone Moncada, ædesque Pontificis, nil tale metuentis inuadunt. Is fuga arrepta, Æliam arcem se recepit. neque inde egredi ei licuit, quin Columnensibus venia promissa, exercitum è Gallia Cisalpina reuocandum in se reciperet. Principibus tamen viris intercedentibus, & Prorege Lanoio conciliante, ad pacem ventum est, & Pontifex omnem exercitum dimittit. Quod vt sensit Borbonius, illico exercitum Cœsaris Romam admouet, vrbem contra fidem publicam capit, & diripit miserrime: quod facinus nemo antea à Gothorum & Vandalorum temporibus ausus fuerat. Clemens in Hadriani arce diu obsessus, ad deditionem compulsus, multoque ære redemptus Columnensibus veniam (si quid deliquissent) concessit. Post semptem menses liber è custodia euasit, emẽtito habitu, & in vrbem veterem perductus est: inde rursus amicitiam, & affinitatem cum Carolo contraxit, quem in Italiam profectum Bononiæ coronauit, cuiusque auxilio Florentiam obsedit: receptaque Alexandrum pronepotem ei Ducem præposuit. Henricum Angliæ Regem excommunicauit, quod coniugem suam Caroli materteram repudiasset. Cum Carolo, alijsque Principibus Italię, sex mensium fœdus inijt. Franciscum Regem Massilię conuenit, eumque sibi noua affinitate coniunxit. Catharinam enim Medicem proneptem suam, Regis filio, natu minori, nuptam dedit. Ad vrbem reuersus, literas salutationis à Dauide Rege AEthiopiæ, longe disiunctissimo, accepit; quibus lectis magnam animo lætitiam concepit. Huius temporibus secta Lutheranorum diuisa est in Zuinglianos, Carolstadianos, Lutheranos, Anabaptistas. Habitis in Heluetia, Hassia, & Bohemia conuenientibus disputationibus, & colloquijs, vt vocant, Synodalibus, frequenter quidem tentatum est, vt concordarentur; Sed frustra. Thoma Munstero auctore, prætextu libertatis Euangelicę exortum est bellum Rusticanum perniosissimum in Germania. In Spirensibus Comitijs permissum fuit vt in fidei & Religionis negotio, nihil deinceps vsque ad Concilium innouetur. Sectarij se decreto isti subscribere non posse, protestati, ad Cœsarem appellarunt, dictique hac de causa Protestantes, Confessionem suæ perfidiæ, à Melanthone Græcè & Latine conscriptam, ter quaterue mutatam, in celeberrimis Imperij Comitijs Augustæ, anno sequenti habitis obtulerunt. Interea temporis Clemens Pontifex, cum longo & difficili antea morbo laborasset, obijt Anno Domini 1534. VI I. Kalen. Octob. cum sedisset annos decem, menses totidem, & dies 7.

Hoc Pontifice sedente Franciscus Rex Galliæ prælio Ticinensi captus & in Hispaniam missus Madriti sub custodia triennio mansit.

Primum Concilium sub Clemente VII. Lanciciense, contra sectam Lutheranã; à Ioanne Lascio Archiepiscopo Gnesnensi celebratum; statutumque vt Episcopi in Diœcesibus suis seruent inquisitores, & visitatores hæreticę prauitatis, in toto Regno Poloniæ. A.D. 1527.

Secundum Concilium Senonense, pro reformatione Ecclesiæ celebratum, sub pręside Antonio à Prato, tit. S. Anastasiæ presbytero Cardinali, Senonensi Archiepiscopo, Galliarum ac Germaniæ Primatæ, nec non Albigiensi Episcopo, Franciæ Cancellario, in quo fidei decreta, ex sacris Concilijs sunt determinata, & fidelibus, ne errones sequantur, ad credendum proposita et explicata. Itemque damnatarum hęresum annotationes appositæ, quæ tunc repullulare cœperant, à Lutheranis excitatæ. Tum decreta morum sunt conscripta, quomodo se laici & spirituales gerere debeant. Anno D. 1528.

Tertium Concilium Ratisbonense, per Reuerendissimũ Dominum Laurentium tit. S. Anastasiæ Presbyterum Cardinalem Campegium, ad Germaniam, Vngariam, Bohemiam, atque Poloniam de latere Legatum, celebratum in magna Principum frequentia, in quo edita fuit generalis Constitutio ad reformandos abusus & vitam Cleri. A.D. 1524.

Quartum Concilium Petricouiense, pro extirpatione hæresum, quę tunc in Regnum Poloniæ irrepserant, per Ioannem Lascium celebratum; indictumque Patribus vt in suis diœcesibus virulenta scripta sectariorum, ac pestilentes doctrinas quam diligentissime extirpare procurent. A.D. 1530.

Anno D. 1531. *Quintum Concilium Lancicienſe*, ſub Reuerendiſs. Matthia Dreuicio Archiepiſcopo Gneſnenſi, pro libertate Eccleſiaſticarum perſonarum celebratum: mãdatumque Archidiaconis omnibus, vt Eccleſiarum diligenter viſitatarum ſtatus ad ſuos Epiſcopos, hi verò ad Reuerendiſs. Metropolitanum perſcribant.

Anno D. 1471. *Sextum Concilium Petricouienſe*, ab eodem Matthia Dreuicio Primate Regni Poloniæ celebratum, pro conſeruanda diſciplina Eccleſiaſtica: & vt cunctis hæreticis de finibus Sarmatiæ expulſis, populus Chriſtianus in fidei ſynceritate immobilis inuiolatuſque perſiſtat.

A. D. 1466. *Septimum Concilium Lancicienſe*, eodem Reuerendiſs. Matthia Dreuicio Legato Nato, inuigilante, pro reformandis moribus Eccleſiæ celebratum. Et vt quilibet Curatorum & Prębendariorum, librum Statutorum habeat, & ſecundum illa vitam ſuam componat.

LIBER XXVI.

A. D. 1532. Carolus V. Imp. fratre ſuo Ferdinando Cæſare V. Ian. Colonia appellato & Aquisgrani coronato, cum Germaniæ gubernationem ipſi conceſsiſſet totum ſe ad Turcam oppugnandum, extinguendaſque hæreſes nouiter coortas conuertit. Et barbaros quidẽ armis terra marique vt ſuo loco dicetur aggrediendos putauit hæreticos vero Concilijs coactis diſputationibus inſtitutis atque ſcriptis varijs editis aggrediendos exiſtimauit.



RBE Roma per exercitum Imperialem (eumque tum ferè hęreticum) immaniter ſpoliata, templiſque euerſis aut vaſtatis, & plebe promiſcua ad quadraginta ſeptem millia in vna die occiſa, tum demum Pontifices agnouere, quid ſit Catholicum hominem in manus impiorum hęreticorum incidere, & potentiſſima Regna, populoſiſſimaſq. prouincias, blaſphemorum virulentia infectas, inter ſe collidi aut tumultuari. Præſertim cum ipso vſu & experientia notum ſit, quamlibet impiam ſectam, in varias ſemper, & ſibimet contrarias opiniones diſſecari. Quod & Septentrioni noſtro tum temporis accidit, cum ex vno errore Lutheri, tanquam ex fonte venenoſo, tot virulentiæ riuuli ſtatim diriuati fuère, Ziunglianorum, Caluinianorum, Seruetanorum, Carolſtadianorum, Buceranorum, Anabaptiſtarum, Trideitarum, & infinitorum aliorum blaſphematorum, cum error errorem quotidie gigneret, & dormiente Patrefamilias, inimicus homo infelix lolium & zizania in agro Dominico ſuperſeminaret. Inuigilabant equidem Patres nonnulli, & iuſſu Pontificum Summorum prouincialiter congregati, illud Paulinum (Actor. 20.) ſæpius rectoribus Eccleſię inculcabant. *Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo vos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Cœterum prouinciali Synodo veluti gladio, vno aliquo monſtruoſo capitè reſecto, ſtatim aliquot immaniora multo hydra illa infernalis producere ſolabat, vt iam non ſingulis annis, ſed ſingulis ferè diebus, nouus blatero aliquis, noua ſecta, nouum ſchiſma, aut ſcandalum naſceretur. Proinde generali remedio ad omnem morbum vtendum eſſe omnes rati, Generale Concilium, Paulo Papæ III. indicere perſuaſerunt, ad determinandum omnes articulos fidei, quoſcunque Nouatores tunc in dubium auſi vocare. Quo ſic veluti vno ictu, vna generali deciſione dubiorum, omnes omnium hęreſiarcharum peſtilentiſſimos errores pręcidere, vnaque eos è mentibus ſeductorũ hominum euellere potuiſſent, Quod quam ſalubriter, & ex re Catholicorum omnium factum, euentus docuit, & integri ſeculi experientia. Sed iam vitam, & res ab eo ſanctiſſimè geſtas, Pauli Pontificis videamus.

Interea temporis latrones animarum Bernardus Rotmanus & Ioannes Leodienſis Anabaptiſtarum antiſignani, præcipuam vrbem Veſtphaliæ Munſterum fraude occuparunt, & ibi blaſphemiæ ſuæ nidum fecerunt & Dauidem quendã ex Picardia ruſticũ ignotum ſuæ ſectæ & impietatis Regem nũcuparunt. Sed quos tandem caſtigauit miles Imperatoris.

PAVLVS III.

A. D. 1534. 3. Id. Octob. Caroli V. Imp. anno 14. qui volens Solimani claſsem in mari me-

Antea Alexander nominatus, natione Romanus, ex nobili Farneſiorum familia genitus, optimis diſciplinis Florentiæ inſtructus, multiſque egregijs animi dotibus exornatus,

tus, post res multas prçclare gestas, iuxta illud quod dicere solebat: *Confectum sermo melior fortuna sequetur*. tempore Caroli V. Imp ex Cardinali creatus est omnium vnanimi consensu Pontifex. Statimque initio Pontificatus, præter Alexandrum Farnesium, & Guidonem Ascanium, nepotes suos, Petrum Bembum, Iacobum Sadoletum, aliosque viginti eminentis doctrinæ, & singularis prudentiæ viros in numerum Cardinalium allegit. Henricum VIII. Angliæ Regem, quòd legitima vxore repudiata, aliam duxisset, multaque alia contra publicam Ecclesiæ pacem, & dignitatem perpetrasset, Regno Regijsque insignijs spoliauit. In expeditionem Tunetanam Cœsari duodecim triremes Duce Virginio transmisit, vt verò ardens suum de Repub. Christiana & Cœsare benè merendi desiderium ostenderet, vniuersæ classi benedicturus, eique læta ac fausta precaturus, Centumcellas profectus fuit. Carolum Cœsarem insigni victoria obtenta in Africa reuertentem, magna cum gratulatione Romæ excepit, eumque ad pedum suorum oscula admisit. Eiusdem Cœsaris rogatu, ad tollenda de religione diffidia, erroresque qui sensim vniuersam Germaniam peruadebant, conuellendos, Concilium Mantuæ anno sequente 1537. celebrandum indixit: Verũ certis de causis idem postea Vicentiam transtulit. Turcis Dalmatiam ferro, & flamma vastantibus, solemnes supplicationes indixit, quas ipse nudis pedibus obiuit. Missisq. ad omnes Princepes Legatis, rogauit, vt consociati in capitalem & iuratum Christiani nominis hostem arma arriperent. Interea Petrum Laisium Ecclesiastici exercitus Ducem creauit, vrbem mœnibus cinxit, initoque fœdere cum Cœsare & Venetis instructissimam classem contra Turcas infæliciter emisit. De Carolo Imp. & Francisco Rege Galliæ conciliandis frustra diu laborauit. Romam reuersus nuptias inter Margaritham Austriacam, & Octauium nepotẽ, quem Camerini Ducem iure beneficiario creauerat, celebrauit. Perusinos, qui ob auctum Salinarum vectigal defecerant, armis perdomuit. Cœsari ad Algerianam expeditionem traiecturo, apud Lucam occurrit, atque cum eo de celebrando vniuersali concilio, alijsq. Reipub. Christianæ negotijs communicauit. Quod cum Pontifex Tridenti celebrandum indixisset, ob pestem grassantem & ingruẽtia bella Bononiam transtulit. Cumque de pace & concordia inter Carolum Imp. & Franciscum Galliarum Regem, sæpè frustra laborasset, tandem huius causa publicas supplicationes indixit, & quod per se non poterat, Dei auxilio adiutus, post multorum annorum sęuissima bella, tandem impetrauit. Cumque ob causas prædictas, Concilium nonnihil distractum esset, veritus Cœsar ne tardiùs quam expediret Concilium religionis negotium absolueret, quibusdam negocium dedit conscribendæ cuiusdã formulæ (quæ passim dicebatur, Interim, siue Interreligio) qua per Germaniam vsque ad Concilij definitionem vterentur. Missam ad se concordiæ formulam Pontifex reprobauit. Societatem nominis Iesu, quę Auctore Ignatio Loyola nobili Hispano instituta est, quæque Americanis Orientalibusque populis multum ad salutẽ profuit, & hæreses patrum nostrũ ęuo exortas propè extirpauit, magno totius Ecclesiæ Catholicæ applausu & emolumento comprobauit & affirmauit. His omnibus ritè peractis obijt 4. Idus Nouembris A.D. 1549. cum sedisset annos 15. & dies 28. Sepultus est in Basilica S. Petri.

diterane animum Christianis terrebilẽs profligare primo Duce Andrea Dorio classẽ contra Hariadenũ Burbarossam Turcicæ classis Prafectũ & nobilem pyratam instructissimam expediuerat & feliciter victoria obtente audaciam barbari retunderat, qui Tunetano regno occupato etiam Neapolitano minitabatur. Postea ipsemet profligatis in Germania protestantibus hereticis & Ducibus eorum Saxone & Hassiæ captis, de expeditione in Africam cogitare cœpit.

Primum Concilium sub Paulo Papa III. Coloniense auctoritate Hermanni Archiepiscopi (qui postea in hæresim lapsus est) pro reformatione Clericorum. & cæremoniarum Ecclesiæ, celebratum. Cuius capitula plurima, in partes quatuordecim distincta sunt, & suo ordine descripta, subscriptaque ab Episcopis, & in executionem tradita. Anno D. 1536.

Secundum Concilium Petricouiense, auctoritate Ioannis Latalscij Archiepiscopi Gnesnensis, pro reformatione morum & disciplina Cleri totius Regni Poloniæ celebratum. Statutumque vt libellus Synodalium Constitutionum, in omnibus Cathedralibus, Collegiatis, & Monasterijs omnibus, quamprimùm typis A.D. 1539.

excusus fuerit, habeatur: & in choro, vt cuilibet accessus ad eum pateat, seruetur.

Anno D. 1548. *Tertium Concilium Augustanum*, ad reformationem Cleri, authotitate Ottonis Cardinalis tit. S. Balbinæ præsbyteri, & Episcopi Augustani, Dilingæ celebratum.

Anno D. 1540. *Quartum concilium Petricouiense*, pręsidente Petro Gamrato Archiepiscopo Gnesnensi, ab omnibus Regni Episcopis, pro Cleri reformatione, & libertata Ecclesiastica conseruanda celebratum.

Anno D. 1548. *Quintum Concilium Treuirense*, auctoritate Ioannis Archiepiscopi Treuirensis pro reformanda disciplina fidei & morum celebratum 25. Nouemb.

Anno D. 1544. *Sextum Concilium Petricouiense*, sub eodem Petro Gamrato Archiepiscopo Gnesnensi, pro defensione iurium Ecclesiasticorum, hæresi Lutherana insurgente, celebratum.

Anno D. 1549. *Septimum Concilium Coloniense II.* auctoritate Adolphi Archiepiscopi Coloniensis pro reformanda Ecclesia indictum & in Quadragesima celebratum. In quo reofrmatio studiorum, potissimum Sacrorum: examen ordinandorum, & ad beneficia instituendorum: officiorum sedula perfunctio, visitatio cleri-frequens synodorum celebratio, & iurisdictionis Ecclesiasticæ collapsę restitutio, præcipuè canonibus innouata fuit.

Anno D. 1547. *Octauum Concilium Lanciciense*, propter vnitatem fidei seruandam, vitandasque disputationes de negotijs religionis inter epulas & pocula, quas hæretici mouere consueuerunt, iussu Nicolai Dziergouij Archiepiscopi Gnesnensis prouincialiter celebratum.

Anno D. 1549. 6. Maij. *Nonum Concilium Moguntinnm*, auctore Sebastiano Archiepiscopo in causa fidei & morum congregatum Cuius 104. Capitula extant,

Anno D. 1549. *Decimum Concilium Treuerense II.* authoritate Ioannis Archiepiscopi indictũ, in causa fidei & morum, cuius plurimæ constitutiones sunt.

A. D. 1545. 13. Men. Decemb. *Vndecimum Sacrosanctum Oecumenicum & Generale Concilium Tridentinum*. ab eodem Pontifice Paulo III. indictum, celebratumque Sessionibus 11. Decima verò sessio celebrata fuit Bononię die 2. Mensis Iun. 1547.

Papa 226. A. D. 1550. 7. Idus Feb. Caroli V. Imp. anno 30. qui dum bellum in Germania cum hæreticis tumultuantibus gereret Henricus Rex Galliæ filius Francisci in terim in Italia arma sua ostendit, Parmamque præsidio firmauit & Sabaudiam inuasit. Atque insuper Maurithum Ducem Saxoniæ ad rebellionem induxit. Igitur Imperator missis ducibus in Sabaudiam & Tuscanum Gallo vires suas opposuit Mauritioque in Tirolo profligato & occiso, versus Algerium in Africam iterum expeditionem adornauit; sed tempestate classe amissa in Hispaniam rebus infeliciter actis redijt.

IVLIVS III.

Antea Ioannes Maria de Monte appellatus, à Paulo Tertio in numerum Cardinalium adscitus postquam eius nomine multas legationes obijsset, primusque sessionibus quibusdam Concilij Tridentini pręsedisset, primus eorum qui per adorationem electi sunt, non exspectato, vt vocant, scrutinio, sed vocetenus omnium, vel saltem duarum partium Cardinalium consensu, in locum defuncti Pauli Tertij surrogatus est. Initio Pontificatus indulgentias Iubilei promulgauit, rogatuque Caroli V. Imp. intermissum Tridentinum Concilium continuari mandauit. Vrbem Romam prouida frumentorum procuratione à graui annona liberauit. Cumque Octauius Farnesius commissam sibi communi Cardinalium consensu Parmam vrbem Gallorum præsidio muniuisset, seque in eorumdem clientelam tradidisset armis & potentia Imperatoris fretus, Octauio bellum intulit, fratremque eiusdem Cardinalem Farnesium Florentiam relegauit: finem belli, pacisque ineundæ desiderium attulit Interitum Ioannis Baptistæ Pontificis nepotis, quem ictu sclopeti hoc bello occubuisse grauissimè tulit. Simonem Maniam Orientalis Ecclesiæ trãs Euphratem Administratorem, Metropolitanum Generalem, Simoni Sulakæ, ibidem canonicè suffectum, virum spectatæ fidei, insignisque eru ditionis, ad confirmationem suæ electionis à Sede Apostolica impetrandam, ex Oriente Romam accedentem, post emissam suo, suæque Ecclesiæ nomine publicam fidei professionem, obedientiamque Sedi Apostolicę iurato promissam, in munere & officio credito confirmauit; iureque pallij donauit.

Se-

Senensium animis ad arma conuersis, noua diffidia inter Cœsarem & Gallorum Regem Pontifex subodorans, ad vtrosque pro concordia Legatos frustra misit. Vrbis tuendæ octo millia duce Camillo Vrsino conscripsit & assignauit. Interea dum in Etruria omnia arma circusonarent, pacis inter vtrumque Principẽ conciliandæ spe & studio Viterbium concessit. Verum re infecta ad vrbem remeare coactus est. Duci Cosmo contra Senenses suppetias tulit, cui gratam vicissitudinem vt rependeret Cosmus, oppidum Montis Sancti Sabini sub Marchionatus titulo, Balduino Pontificis fratri addixit. Philippum Caroli Quinti filium, cum Maria Angliæ Regina coniugatum, regno Neapolitano inuestiuit.

Huius tempore bellum Lutheranorum contra Zuinglianos, propter ciuilia bella Imperatoris aduersus Protestantes & hęreticos, simulata concordia triennio intermissum à Ioachimo Vesthphalo, edito libello Sacramentariorum, confusas & inter se diffidentes opiniones de cœna Domini continente, instauratur. Tale diffidium nunquam potuit extingui. sed magis ac magis exarsit, scriptis ab vtrisque partibus, doctis & indoctis libris, orationibus, dialogis, confessionibus, epistolis, adeò, vt maiori quam vnquam antea impetu, sursum ac deorsum res agitata fuerit. Lutherani multas habuerunt Synodos, quibus de opprimendis Sacramentarijs actitarunt: multi eorum se vinxerunt Catholicis, vt Zuinglianos facilius opprimerent, in quos tanquam in pestilentissimos inuehebantur, eisque aqua & igni interdicebant: nec erant contenti. nisi omnes expresse profiterentur, non se tantùm, sed etiam impios, corpus & sanguinem Christi corporaliter ore corporis manducare.

Quidam hoc tempore, qui per Galliam dicebat se habere Spiritum D. Ioannis Euangelistæ, exuritur Tolosæ. Alter visus est Lutetiæ & Basileę, qui Genio Petri duce se frui contenderet. Alius etiam Basileæ asserere ausus est se Moysis Angelum habere. Dauid verò Georgius impudenter per Hollandiam, & Frisiam scribebat se esse verum Messiam, & Dei nepotem, & non ex carne natum, sed ex Sancto Spiritu. Ionas cocus Lutheri, se iustum Ionam. Oliander se Enochum secundum prædicabat. *Sur. in Hist.*

Iulius verò Papa tandem ad quietem conuersus, vt dolores ex podagra superaret, incidit in febrim, eaque cessit. Anno Dom. 1555. cum sedisset onnos 5. & dies 10. Eius corpore apud S. Petrum Sepulto, vacauit sedes diebus septemdecim.

Primum Concilium sub Iulio III. Petricouiense, auctoritate Nicolai Dziergouij Archiepiscopi Gnesnensis ac Regni Poloniæ Primatis celebratum (sub tempus Concilij Generalis Tridentini. cuius sex Sessiones sub Iulio III. sunt peractæ) propter exterminandas hæreses, quæ in omnibus ferè Diœcesibus Regni Poloniæ radices iam non mediocres egerant, multosque in Ecclesiastico ordine infecerant. *Anno Dom. 1551.*

Secundum Concilium Petricouiense II. eiusdem Nicolai Dziergouij Legati Nati, zelo & pietate indictum. Clerus enim tunc temporis passim in lasciuiam prolapsus fuit: vnde Stanislaus Orichouius Canonicus Premisliensis, cum esset sacerdos, vxorẽ palam desponsare (& eius exẽplo complures alij, itidem prout, & ille docti & eruditi Plebani & Canonici) non erubuit; quo petulanti facto seuerius ab Episcopo suo Ioãne Dziaduscio admonitus, nec dictis sui Præsulis acquiescens, magnam odiorum nobilitatis contra Clerum materiam præbuit: iamque tunc cœlibatus sacerdotum contemptui esse cœpit, quasi aliquod irreligiosum nefas. Coegit itaque Archiepiscopus Synodum, in qua remedium tot malis reprimendis prouideretur. Ibi Orechouius declaratus hæreticus, vt ab hac labe se expurgaret, insigni oratione & luculenta corã Patribus fidei professionem fecit, & cum alijs libris suis contra Lutherũ præceptorem suum, omnesque alios quosuis hæreticos, diuersis temporibus scriptis, typis promulgauit.

A. D. 1552. 16. Februar. Aderat huic Synodo Stanislaus Hosius Cardinalis Episcopus Varmiensis, clarissimum Sarmatiæ Sydus. qui Confessionem Petricouianã fidei Catholicæ tunc à se conscriptã prælegi authoritate synodi & promulgari fecit.

Tertium Concilium Petricouiense III. eodem Nicolao Dziergouio Primate Po- *A. D. 1553.*

lo-

loniæ præſidente, pro conſeruatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ celebratum, & vt ſtaruta Prouincialia executioni demandentur. Obtinuerat etenim ſub id tempus à Rege Sigiſmundo Auguſto ſententiam in Comitijs Regni promulgatam; vt ius integrum eſſet Epiſcopis in apoſtatas & deſertores fidei animaduertendi.

A. D. 1555. V. Id. April. Caroli Imp. an. 33, qui per Mariam Reginam Angliæ heredem, vxorem Philippi, Regis Hiſpaniarum filij ſui curauit omnibus modis reſtitut fidem Catholicam in Anglia. Interim autem Lutherus proſcriptus exiſtens à Carolo Imperatore & probibita videns Biblia ſua in lingua Germanica edita à Cæſare Ferdinãdo, omnibus modis conatus eſt per emiſſarios ſuos & diſcipulos prauis erroribus populum imbuere & ad rebellionem inducere quo & Caroli Imp. tam potentis, et Ferdinandi Cæſaris tam glorioſi iugum vt ipſe dicebat Auſtriæ auſterum excutere poſſente Sed Mauritio Saxone anteſignano hæreticorum per Albertum Brandeburgicũ in acie occiſo, Et Georgio Electore Saxoniæ cum Latgraphio Haſſiæ capto ab Imperatore in prælio facile ad pacificationem in Comitijs Auguſtanis heretici cõdeſcenderũt Cum & Henricus Rex Galliæ ipſorum promotor in torneamentis infeliciter ſub id tẽpus perijſſet: & Ferdinandus Cæſar auxilia præbentes Bohemos ſuos Pragam in opinato cum exercitu forti ſuperueniens omnes diſperſiſſet.

MARCELLVS II.

Ex oppido Politiano in Etruria, Richardo Ceruino & Caſſandra Bentia, parentibus natus, Cardinali Farneſio adhuc adoleſcenti à Paulo III. datus, vt eius opera in ſcribendis epiſtolis vteretur. Nuncij Apoſtolici dignitate exornatus, præter omnem ſuam expectationem Cardinalis tituli S. Crucis renunciatus, Iulio è viuis ſublato, triginta nouem Cardinalium communi ſtudio, per adorationem Pontifex creatus eſt, deique immediate ſubſequenti coronatus, nomen Marcelli retinuit. Prohibuit conſanguineis ne Romam peterent: duos ex fratre Alexandro nepotes, quos ibidem educabat, à nemine voluit adiri. Dum autem multa ad vrbis & Curię reformationem mente agitaret. apoplexia correptus ad beatiorem vitam migrauit, vltima eiuſdem menſis, cum Potificatum dies 12. tenuiſſet, Sepultus apud S. Petrum.

Sub id tempus Caluinus nouæ ſectæ author cœpit inter impios clareſcere: pręterque vulgares Lutheranos, Zuinglianos, Seruetanos, Anabaptiſtas, & infinitas Sacramentariorum nugas & diliria, orti ſunt noui blaſphematores & ſectarij: videlicet.

Brentiani Vbiquitiſtæ. vbiquitatem humanitatis Chriſti dicentes.

Oſiandrini. dicẽtes hominem iuſtificari ea iuſtitia, qua Deus eſſentialiter iuſtus.

Stancariani. Chriſtum iuſtificare ſecundum ſolam humanam naturam.

Amsdorfiani. bona opera ad ſalutem eſſe pernicioſa.

Maioriſtæ. infantes non ſaluari per ſolum baptiſmum.

Antinomi. hominem ad legis Dei obedientiam non obligari.

SuencKfeldiani. Sacras literas penitus eſſe abijciendas, & pendendum à ſola diuina inſpiratione, qui proinde dicti ſunt, Prophetæ cœleſtes,

Trinitarij. Siue Trideitę. tres eſſe Deos aſſerentes.

Antitrinitarij. tres perſonas non in ſe ſubſiſtere, ſed in diuina eſſentia, eſſeque diuinæ eſſentiæ duntaxat reſidentias ſiue qualitates.

Authotheani. Chriſtum eſſe Deum à ſe, non à Patre, vt proinde impropriè dixerint patres Nicæni. Deum de Deo lumen de lumine &c.

Bibliſtæ. nihil proponendum in Eccleſia populo, vel in ſcholis iuuentuti præter biblia, nec diſcendas vllas Philoſophiæ artes.

Sabbatarij, non Dominicam diem colendam, ſolum Patrem eſſe inuocandũ, non filium, non Spiritum. S:

Stebleri. nec gladium, nec peram portandam, nec vllo modo litigandum, aut in iudicio comparendum.

Dæmoniaci. Dæmones poſt finem mundi Saluandos.

Georgiodauidici, Georgium Dauidem Hollandum verum eſſe Chriſtum. Diabolum nullum exiſtere. Nec futuram carnis reſurrectionem:

Memnomitæ. Chriſtum carnem è Maria non ſumpſiſſe,

Polygamiſtæ. licere viro multas ſimul habere vxores.

Sabelliani.] *Eutheriani.*] maiori ex parte Caluini veneno imbuti.

Muſculus, præterea ſub idem ferè tempus docuit, diuinam Chriſti naturam, vna cum humana fuiſſe mortuam.

Ioannes Langus, carnem Chriſti eſſe deificatam, ſiue tranſijſſe in diuinam ſubſtantiam.

Matthæus Flaccus Illyricus. multa horrenda in omnes has ſectas prænominatas inuexit.

Me-

Melanchton, vt multorum reus, etiam suis traducitur, Lutherum corrigere cupiens.

Hieronymus Zanchius, & *Iacobus Scheckius Medicus*, de duabus Christi, naturis, & de SS. Trinitate monstra nouis portentis auxerunt, quos peculiari libello refutauit, doctissimus vir Seuerinus Binius Canonicus Coloniensis.

Lambertus Danæus Arianæ blasphemiæ defensor.

Valentinianus Gentilis Seruetianorum fermento infectus.

Theodorus Beza compilator blasphemiarum omnium inuerecundus. Alijque infiniti sectarum somniatores; quos cum varij viri eruditi doctissimis suis scriptis refellerunt, tum præcipue Stanislaus Orichouius ad patres Concilij Tridentini, librum suum Chymera nuncupatum, scribens, sufficientissime confutauit.

PAVLVS IV. Neapolitanus, illustri Caraffeorum familia oriundus, ante Pontificatum Ioannes Petri vocatus: scientia, pietate, & virtute insignis, multis legationibus functus à monastica vita, quam resignato Theatino Archiepiscopatu, institutoque ordine presbyterorum Theatini vocatorum, professus erat, ad Cardinalitiam dignitatem à Paulo III. vocatus, omnium consensu Pontifex creatus, tempore Caroli V. & Ferdinandi Impp. ipso Ascensionis die, & sequente Dominico coronatus, An. Domini 1555. Decretum sanxit, quo beneficia illegitime professa, vel pecunijs comparata reddere præcipiebatur. Iudæos in vna parte ciuitatis reclusit, quibus ne vsurã exercerent vetuit. crocei coloris pileum, quo à reliquis internosci possent, ipsos ferre voluit. Decreta plurima à Iulio III. stabilita rescidit. Romæ Vrbini Ducem Præfectum instituit. Clero, quoad victum & vestitum leges præscripsit. Pœnitentiæ officium ipsemet reformauit. Beneficia & Ecclesiæ bona non alijs, quam viris bene doctis conferri voluit. Trium vrbis conseruatorum authoritatem amplificauit. Priuilegia à Pontificibus prædecessoribus populo concessa confirmauit: in cuius grati animi protestationem populus in Capitulio eidem statuam erexit, centumque nobiles custodes attribuit, quos omnes ipse equestri ordine cohonestauit. Et paulo post inter eum & Philippum Hispaniarum Regem orta est discordia, cui, Galliarum Regis fretus auxilij, bellum in Regno Neapolitano, per Ducem Albanum defenso, intulit & indixit. Anno integro, postquam prælio se lacessiuissent, quæ Pontifici parum feliciter successerant, ab armis coactus est. Inter arma Marcum Antonium, eiusque patrem Ascanium anathemati innodauit, eosque omnibus possessionibus, quas in ditione Ecclesiastica obtinebant, priuauit; quas nepoti suo Ionanni Caraffe, sub titulo Paliani Ducatus attribuit. Pace tandem composita, Dux Albanus Summo Pontifici obedientiam præstiturus ad eum humiliter profectus est: à quo absolutionem consecutus, maximam eius humanitatem expertus fuit. Porrò ad Inquisitionem conuersus, eidem sedecim Cardinales addixit, quorum primarium locum Cardinalis Alexandrinus tenebat. Catalogum librorum hæresi infectorum publicauit. Legatione Anglicana Cardinalem Polum priuauit, Cardinalemque Moronum in Vincula coniecit. Strictissimè præcepit, vt omnes Religiosi & Monachi è claustris suis egressi, ad propriũ monasterium reuerterentur. Auditis suorum cognatorum & propinquorum enormibus sceleribus, in eos grauissime animaduertit, illosque ex vrbe eijciens, omnibus gradibus spoliauit. Diuersis ordinationibus 19. Cardinales creauit. Cathedræ S. Petri festum innouauit.

A.D. 1555. X. Kal. Iunij Carol. Imp. an. 35 qui hoc Põtifice sedente de totoresignauit omnia regna sua Filippo filio; Imperium verò Ferdinãndo fratri. Ipse autem abiens in Hispaniã vitam solitariam amplexus est. mansitque ad mortem in monasterio Hieromini anorum S. Iusti, in Diœcesi Toletana.

Eiusdem tempore Carolus V. qui Solymanum tantarum virium fastu tumentem aliquoties profligarat: qui Ariadenum Barbarussam acie deuictum, ac Tunetano Regno exutum Africa depulerat; qui Imperium superiorum Imperatorum ignauia labefactatum, ac plano perditum restituerat: qui coniurantem Germaniam retuderat; qui Regem Franciscum, & Clementem Pontificem in potestate habuerat: qui in Orbe nouo, vrbibus & templis ædificatis multa præclara in Dei,

& Ecclesiæ decus gesserat: qui denique vno dempto Carolo Magno, omnes Occidentales Imperatores, pace belloque superauerat, religione tactus, quam sanctissime semper coluit, & aduersus hæreticos asseruit, tædio rerum humanarum affectus, propter cœlestium & æternarum desiderium primus post conditum Germanicum Imperium, (Lotharius enim Francus erat) maiestate Imperij fratri Ferdinando abdicata, reliquis Regnis atque ditionibus vnico filio Philippo traditis, ad vitam religiosam se contulit, & in sacram solitudinem secessit. Imperium in Ferdinandum inconsulta sede Apostolica aliter quam fieri debebat translatũ fuisse, ægrè quidem, sed tamen patienter tulit Pontifex optimus. Qui cum annis quatuor, mensibus ferè tribus Sedem Apostolicam tenuisset, è viuis excessit. Anno Domini 1559. 15. Kal. Septemb. Post obitum eius vacauit sedes menses 4. & dies 7.

A. D. 1556. Sub id tempus Stanislaus Lutomirski presbyter, Coninensis Parochus ad dicendam causam ab Archiepiscopo tanquam hæreticus vocatus, aliquot centurijs militum stipatus Louicium aduenit, cumque in arcem non fuisset admissus, confessionis suæ dogma in vulgus sparsit, & ipse vna cum Martino Krouicio similiter presbytero apostata in partes Arianorum desciuit Georgius verò Petrouicius Samogitiæ Episcopus ad Luteranismum transiuit, Reliqui primarum Cathedrarum, Episcopi vacillantes a Primate, & Legato Sedis Apostolicæ reprehensi ad meliorem frugem redière.

Primum Concilium sub Paulo Papa IV. Louicïense, authoritate Nicolai Dziergouij Primatis Regni Poloniæ congregatum, celebratumque præsidente Aloysio Lippomano Episcopo Veronensi, Sedis Apostolicæ Legato à Latere, propter extirpandas hæreses, retinendumque Clerum in officio & disciplina Ecclesiastica. Laborandumque fuit solicitè atque animosè Primati Regni pro Catholica Religione defendenda, maiore iam tunc ex parte Senatu Regni in hæresim prolapso, qui omnimode adnitebantur Episcopos Senatu mouere, qui iam conuersatione sæcularium alliciti grauiter in religione nutare cœperant, hæreticisque conniuebant, & conuiuebant, & nonnulli prorsus iam ad Luteranismum desciuerant, perniciosis eorum dogmatibus pertracti. Sed commode accidit, vt cum Laici vsum calicis in Sacramento Eucharistiæ contentiosè efflagitarent, quasi Christus esset exanguis sub altera specie, puella quedam nomine Dorothea Lazecka in festis Paschalibus sub prætextu communionis Sochacouiæ in templo Dominicanorum, Sanctissimam Eucharistiam ore sumptam auferre voluit; verùm ibi deprehensa, in villa SuKocKo dicta, ablatam, & fascia inuolutam Iudæis vendidit. Quam illi in Synagoga pugionibus & cultris confodere cum cœpissent, repente ex illa multus cruor emanauit, quem Iudæi cochleari in vitreum calicem transfuderunt. Quod cum Archiepiscopo Synodum Louicy Prouincialem tunc celebranti innotuisset, effecit vnà cum Lipomano Sedis Apostolicę Legato, literis in Lituaniam ad Regem Sigismundum Augustum perscriptis, vt de sacrilega puella, & Iudæis supplicium sumeretur; & quæstio à laicis proposita, de vsu calicis, diuino miraculo diiudicaretur;

A. D. 1557. 17. May.

Secundum Concilium Petricouiense, eiusdem Nicolai Dziergouij Archiepiscopi Gnesnensis authoritate, pro reformatione fidelium, celebratum, institutiq. quatuor Inquisitores hæreticæ prauitatis. Tum duo Episcopi, Ioannes Droiouius Vladislauiensis, & Iacobus Vchanscius Chelmensis, moniti fuerunt à Sede Apostolica de suspectis in Ecclesia dogmatibus.

PIVS IV.

A. D. 1559. Ipsa Natiuitatis Domini Vigilia Ferdinādi Primi Imp. 3. qui conuocatis omnibus Electoribus Imperij Francofurdiam proposuit ipsis quam graue bellum gesserit cum Turca & quam periculi res plena esset si non prouiso Imperij successore fatis ipse concederet tot laboribus fatigatus & curis. Proinde rebus tempestiuo pro-

PIVS IV. Bernardini Medicæi, & Ceciliæ Sorbelloniæ Mediolanensis filius, ante Pontificatum Ioannes Angelus vocatus, pluribusque officijs & dignitatibus exornatus per Paulum III. Cardinalitia dignitate adauctus, à Iulio III. Legatus ad militiam contra Octauium Farnesium susceptam electus, Paulo IV. è viuis sublato, summus Pontifex declaratus est. Initio Pontificatus, omnia delicta & excessus in prędecessorem commissos populo remisit. Imperium Ferdinando per Carolum fratrem traditum confirmauit. Plurimos propter hæreseos crimen vel suspectos vel delatos absoluit: ac inter cæteros Cardinalem Moroneum. Puniturus autem Pauli IV. amicos & familiares, sententijs in eos latis ob crimina quæ ipsis obiecta fuerant. Cardinalem Carafam strangulari, Comitemque Monotorij, Allafanum, Leonardumque Cardinalem capite plecti curauit. Nepotes suos, fratrum sororumque filios Romam aduocatos, maximis honoribus, & amplissimis beneficijs, vel exornauit, vel nobi-

bilissimo matrimonio iunxit. Vt verò communibus malis mederetur, finis Generali Synodo Tridentinæ, eius studio ac vigilantia impositus est. Concilio autem finem imposito, cœpit plurima loca restaurare, quæ præcedentibus bellorum fragoribus diruta, ruinam minabantur. Romę portam & plateam, dictam Piā, separauit. Prœlum Manutij authoris vulgatissimi restituit. Arcem Capitolinam restaurauit: aliaque quam plurima loca refecit, quibus omnibus sumptibus vt satisfaceret, montem perpetuum instituit: numerum etiam equitum, Pij appellatorum ordinauit. Cum verò inter Legatos Franciæ & Hispaniæ de primatu in præsidendo quæstio suborta fuisset, præeminentiam vni sine alterius indignatione adiudicauit. Melitę obsidione cinctæ, militibus pecuniaque subuenit. Cumq. diuersis ordinationibus 45. Cardinales creasset, in quarum vna Laurentium Massam nunquam inducere potuit, vt Secretariatum Venetorum, vt vocant, acceptaret V. Idus Decembris Anni 1563. mortuus est. anno ætatis suæ 66. mense 8. die 9. cum Pontificatum tenuisset annos sex minus sedecim diebus in S. Petro sepultus est. Sedes 28. diebus vacauit.

uidendo eligerent filium suum Maximilianum in Imperatorem & certi de successore omnem tumultus occasionē à se amouerent. Igitur votis concordibus Maximilianus II. electus & coronatus Rex Romanorum & suæ affectationi & omnium desiderijs satisfecit,

Primum Concilium sub Pio IV. Oecumenicum & Vniuersale Tridentinum sub Paulo III. die 13. Decembris cœptum Anno 1545. Finitum verò 4. Decemb. Anno 1563. (Sessionibus sub Pio Papa peractis numero nouem) & acclamatum à Patribus. *Beatissimo Pio Papæ & Domino nostro, Sanctæ Vniuersalis Ecclesiæ Pontifici. anni multi, & æterna memoria.*

Anno Dom. 1563. 4. Decemb. Multa Concilia Prouincialia hoc anno celebrata sunt diuersis in locis propter receptionem Concilij Generalis Tridentini,

Secundum Concilium Prouinciale Mediolanense I. authoritate Caroli Borromæi S.R.E. Tit. S. Praxedis Presbyteri Cardinalis, Sedis Apostolicæ per vniuersam Italiam de latere Legati, Archiepiscopi Mediolanensis, pro reformatione Ecclesię, celebratum: in quo multa egregia & laudabilia statuta sunt, quæ pertinent ad bonorum, & iurium Ecclesiasticorum conseruationem, rectam administrationem, & dispensationem.

Anno D. 1565.

Tertium Concilium Varsauiense, authoritate Ioannis Przerembij Archiepiscopi Gnesnensis Primatis Regni Poloniæ indictum, celebratumque præsidente Sedis Apostolicæ per Sarmatiam Legato de latere, Berardo Bonioane Episcopo Camerini, conuocatis omnium prouinciarum Regni Episcopis, religionis ac veritatis constabiliendæ causa. In quorū præsentia Stanislaus Orichouius habuit orationem pro dignitate Sacerdotali. Statutumque vt quique Archidiaconi ad residētiam circa Ecclesias suas iuxta Bullæ Leonis X. dispositionem compellantur. Neue moribus Clericorum dissolutis, magna hæresibus, & alijs multis malis præstetur occasio.

A. D. 1561. 4. Martij.

PIVS V.

Insuber, prope Alexandriam in vico quodam Bosco ab incolis nominato, ex nobili Ghisileriorum prosapia natus. In iuuentute monasticam vitam ordinis Prędicatorum professus à Paulo IV. primùm Episcopus, deinde Cardinalis creatus, & supremus Inquisitorum declaratus; tandem Pio IV. è viuis sublato, præter omnium expectationem in eius locum surrogatus est, tempore Maximiliani II. Imp. Borrhomæi Columnæque Cardinalium precibus. Pij V. sibi nomen imposuit, ac die suo natali coronam Pontificiam accepit. Pileum suum Michaeli Bonello suo ex sorore nepoti cessit, qui Cardinalis Alexandrinus nominatus est. Porrò vt gratum animi sui affectū, quo erga Paulum IV. promotorem suum ferebatur, manifestaret, Cardinalem Caraffam eius nepotem, sub Pio IV: vt ante iam dictum est, morte affectum, absolui procurauit, quòd non vsque adeò criminalem inuenisset. Imperatori Ferdinando bellum contra Turcas in Hungaria gerenti, suppetias tulit. Officio inquisitionis tria aureorum millia adiecit, ex certis arcibus colligenda. Bullas contra aulicos & Ecclesiasticorum luxum seuere publicauit. Iudæum quendam locupletissimum, quem ad Christianam Religionem conuerterat, baptizauit, suæque familiæ adoptatum, liberè suis bonis frui permisit. Concilij Tridentini rigidus ob-

Papa 229. Anno D. 1566 7. Idus Ianuar. Maximiliani Secundi an. 4. qui Francoforti electus & coronatus Rex Romanorum regnauit cū patre an 1 & mens. 6. post obitum verò patris Ferdinandi regnauit annis 12. & aliquot mēsibus. Qui statim in principio regni sui vt Solimano in Hungaria resistere posset in dictis Comitijs Principibus Germaniæ & liberis ciuitatibus Augustæ Vindelicorum tributa indixit & bellum contra Barbarum suscepis nolens eius tributarius esse.

seruator, Episcopos omnes ad propriam residentiam redire mandauit. Cumque statuisset neminem sine præuio examine ad beneficium admittendum esse, eaq. de causa quidam illi dixisset, id esse Curiam destruere, respondit. Minus malum est destruere curiam, quam cultum Dei negligere. Solo suo verbo obsessum à malo dæmone liberauit. Contra hæreticos in Gallijs succrescentes, Catholicis auxilium per Comitem Sanctæ Floræ misit, qui etiam victor inde rediјt. Cosmæ Medicæo, titulum Magni Ducis Etruriæ attribuit. Sanctum Thomam Aquinatem in numerum Sanctorum Ecclesiæ Doctorum retulit. Diuersis ordinationibus viginti duos Cardinales creauit. Fœdus inter Regem Catholicum & Venetos ad optatum finem fœliciter deduxit, vnde omnium celeberrima contra Turcas naualis victoria Nonis Octobris A.D. 1571. consecuta est, quem diem solennē & festiuum esse voluit. Plures legatos ad Principes Christianos destinauit, quibus eos ad maius bellum Turcis inferendum inflammaret. Graui calculi morbo pressus solebat exclamare. *Adauge Domine dolorem: sed da patientiam.* Ex eodem morbo Kalend. Maij anno 1572. cum maximo omnium dolore è viuis excessit: cum Pontificatum annis sex, mensibus quatuor minus sex diebus obtinuisset. Sepultus est apud S. Petrum. Sedes 12. diebus vacauit. Maximo semper zelo, quoad vixit, Christianam Rempub. promouere conatus est: in victu frugalitatem, in audientijs assiduitatem, erga pauperes amicitiam reseruauit, ab omni ambitione alienus. Ab omnibus Principibus summa ipsi reuerentia exhibebatur, nullusque erat, qui ei & satisfacere & placere non contenderet. Quod ad iustitiæ administrationem spectat, ad seueritatem propensior habitus est.

Vnicum Concilium sub Pio V. Mediolanense II. celebrauit S. Carolus Borrhomæus, in quo multa egregia, quæ ad fidem tuendam, Sacramenta ministranda, & alia pastoralia munera obeunda pertinent, ritè constituta sunt.

Anno D. 1572. 13. Maij.
Maximilia II. Imp. anno 12 qui tumultu bellico cum Saxone cuius etiam filiū Fridericum ceperat composito vixit ad morte in pace, Turcis promissum a patre suo tributum ratione Regni Hungarici persoluens Factoque filio suo Rudolfo Imp in Comitijs Ratisbonensibus ex hac vita paucos post menses migrauit.
Maximiliano regnāte Selimus Secundus Cyprum possedit Goletam in Africa, & regnum Tunetanum recipit vel ctoque filio Amurate moritus est anno 1574 die 15. Decemb.

GREGORIVS XIII.

Patria Bononiensis, Christophoro Boncompagno parente natus, qui Hugonis nomine appellatus, honestè educatus, & liberalibus disciplinis optimè instructus. In Iurisprudentia doctorali laurea insignitus, multis officijs & dignitatibus sub varijs Pontificibus magna cum laude perfunctus, à Pio IV. in numerum Cardinalium sub titulo S. Sixti relatus, ac in Hispaniam legatus, Pio V. è viuis sublato, successor renunciatus est. Pontificiam dignitatem pro tuēda & amplificanda Repub. Christiana admodum egregiè sustinuit: qua ratione expeditionem aduersus Turcas promouere, confœderatos Principes animare, & pecunia, alijsque subsidijs liberaliter iuuare cœpit, Marco Antonio Columna classi Pontificiæ præfecto. Verùm enim quia in Oriente minùs prosperè res succedebant, sequente anno ad Regem Catholicum Archiepiscopum Lancianum; ad Regem Christianissimum Cardinalem Vrsinum Legatos misit, qui eos in societatem fœderis adducerent, Sed longè aliter quàm propoluerat accidit; siquidem Veneti fœdus deserentes inducias cum Turca pacti sunt. Quo intellecto Pontifex omnes cogitationes, curas, consiliaque eo contulit, vt Imperatori succurreret. Regem Christianissimum & Catholicum ad extirpandos Lutheranos & Caluinistas, quibus potuit modis & sūptibus adiuuit. Idem quoque Archiduci Carolo & Militensibus pietatis officium præstitit. Ad fidem Catholicam tuendā propagandamque viginti duo Collegia in varijs Regionibus erexit atque dotauit. Annonæ conseruandæ ergo publica granaria in vrbe construi curauit. Vias aperuit, & strauit; publicæque commoditati limpidissimos in eam fontes deriuauit. Anno 1575. confluentibus ad Vrbem religionis studio exteris, annonæ paterna vigilantia & charitate prouidit. Tumultuantibus Genuensibus Cardinalē Moronum summæ prudentiæ & authoritatis virum legatum misit, qui eorum animos ad concordiam reduxit. In diuersas factiones ob Regis electionem distractos Poloniæ ordines vnanimes reddidit; vnde Bathoreus ad capessenda Re-

gni gubernacula electus est, qui Pontifici postmodū obedientiam iurauit & per oratorem præstitit. Peste Italiam totam peruagante ad spiritualia medicamenta indicto Iubileo persugit. A contendentibus inter se acriter Polonis & Moscouitis, legationem perhumaniter excepit, Ac Antonium Posseuinum oratorem, misit, qui vtriusque Principis animum summa dexteritate reconciliauit. Synodū Tridentinam Pauli III. temporibus cœptam & adfectam, Pij verò IV. absolutā & confectam, ab omnibus obseruari mandauit, veluti orbi terrę necessariam; seminariaque varijs locis religionis Christianæ amplificandæ ergo plurima instituit. Sacellum sumptuosissimum apud S. Petrum, quod Gregorianum dicitur, extruxit & dotauit, corporeque magni Doctoris Gregorij Nazianzeni nobilitauit. In Palatio porticum siue ambulacrum artificiosè poliri, varijsque picturis adornari curauit. An. 1581. Kalendarium emendauit anni cursu ad solis motū reducto. Sub eodem Pontifice 1585. Mart. die 22. Iaponiæ Principum legati, post longam trium annorum & amplius nauigationem vrbem ingressi, Principum suorum nomine S. Sedi Apostolicæ obedientiam iurarunt & præstiterunt. Est autem Iaponia in extrema Indiæ parte vsq. adeo vasta, vt amplitudine Italiā, duplo excedat tātaq. locorū intercapedine à nobis dissita, vt eius incolę nobis antipodes dici possint. Tandem post exhibita Reip. Christianę tot & tanta beneficia Gregorius curriculum vitæ suæ beata morte absoluit, Anno Domini 1583, cum se, disset annos 12. menses 10. & dies 27. diuersisque temporibus 33. Cardinales creauit. Corpus eius Sacello Gregoriano illatum est. Vir fuit sanè mansuetus, benignus erga pauperes, ac eos qui religionis causa exulabant: in responsis breuis, acutus, & grauis; ad audiendum patiens; omnibus accessu facilis; studijs pijs & maximè legum sic addictus, vt quicquid temporis contemplationi grauibusque curis superesset, lectioni & studio impenderet.

Primum Concilium sub Gregorio Papa XIII. Mediolanense III. authoritate Sancti Caroli Borrhomæi celebratum, pro conseruanda disciplina Ecclesiastica. *Anno D. 1573.*

Secundum Concilium Mediolanense IV. ab eodem Diuo Borrhomæo celebratū, cuius constitutiones sufficientissimam disciplinæ Ecclesiasticæ doctrinam in tres partes diuisæ continent. *An. D. 1576.*

Tertium Concilium Petricouiense, sub Iacobo Vchanscio Archiepiscopo Gnesnensi, cui pręfuit Lipomanus Sedis Apostolicæ Nuntius, propter tollendum fœdus ab hæreticis tempore Interregni, post obitum Sigismundi Augusti Regis initum, & conseruandam puritatem fidei Catholicæ, celebratum, cum ipse Archiepiscopus ægritudine præpeditus non adfuisset, qui Concilio Tridentino contrarius extitit. Receptum itaque Concilium Tridentinum in absentia illius, & per Diœceses publicatum. Et ille tandem resipuit, erratorumque non sine pœnitentię signis veniam (per nepotem suum ex fratre Palatinum Belzensem, Regni Oratorem) à Papa Gregorio postulauit; inque Synodo ista per absentiam illius celebrata, salutarem edidit & subscripsit constitutionem, qua sanxit. *Vt omnis, cuiuscunque status ac conditionis, qui fœdus, sub Interregno ante electionem Henrici Regis conceptum, & reclamantibus ordine Ecclesiastico, & Catholicis renunciatum (in quo permittitur licentia credendi quod quisque velit, sine vlla cuiusque officij coercitione) approbare, tueri, defendere, aut illi consentire velit, authoritate S. Synodi, Spiritualis quidem anathema declaretur, ac ab officio suspensus, beneficio quoque priuatus esse decernatur: sæcularis verò excommunicationis sententiam ipso facto incurrat.*

Anno D. 1578. Iacobus Vchanscius Chelmensem Episcopatum adeptus et in eo suspicione hæreseos notatus. Fauente Sigism. Augusto Rege ad Vladislauiensem Ecclesiā ascendit, illamque inuito Paulo IV. Pontifice quadriennium tenuit. Deindè à Pio IV. ad Archiepiscopatum Gnesnensem translatus paruam curam hæreson eliminandarum gessit, minusque religiosus fuit. Nisi quod contra fœdus hæreticorum solemnem cum Catholicis protestationem fecit. Vide Steph. Damaleuiciū in vitis Archiepis. Anno D. 1579.

Quartum Concilium Mediolanense V. à S. Carolo Borrhomæo celebratum, prudentissimisque institutionibus Ecclesiasticis, seu ordinationibus exornatum, omnibus curam animarum habentibus scitu necessarijs.

Quintum Concilium Mediolanense IV. authoritate S. Caroli Borrhomæi celebratum, salutarem prouinciæ tationibus, atque adeo Ecclesiasticæ disciplinæ vsui instaurationem necessariam coustituens, quas singulæ etiam orbis vniuersi Ecclesiæ deberent omnino obseruare. *Anno D. 1582. 10. Maij.*

Papa 231. A. D. 1585. 24. Aprl Rudolphi Imp. anno 9. qui dũ tumultus hæreticorum sedare nititur in Germania, inuaditur interim à Turcis in Hungaria quos multoties quidem profligarunt duces Rudolphi, Nadastus & Palfius, aliique viri bellicosi: nihilo minus barbari sua numerositate postmodum præualuerunt multaque loca munita expugnarũt in Regno Hungariæ.

SIXTVS V.

Obſcuris parentibus; apud oppidum Montis Alti in Marchionatu Anconitano natus, & Felicis nomine vocatus: Adoleſcens ad inſtitutum Franciſcanorum, quos Conuentuales vocant, tranſijt. Cumque in ordine eos feciſſet progreſſus, vt egregiam eruditionem cũ ſingulari eloquentia compararet, magiſtralique laurea decoraretur, ex Vicario Generalis Ordinis ſui, ex Cardinali Epiſcopo S. Agatæ, in demortui Gregorii locum Pontifex ſuffectus eſt. Vt verò Pontificis partes fæliciús ſuſtineret, indicto Vniuerſali Iubilæo diuinam opem implorauit. Iaponiæ Principes magnifico, & regio apparatu, quamdiu Romæ morati ſunt fouit, & amplis congiarijs honoratos dimiſit. Cumque initio Pontificatus ſui Italia nefariorum prædonum, exulumque incurſionibus miſerè vexaretur, vſque adeo ſeuerũ, imò verò terribilem, & tremendum ſe præbuit animaduerſorem, vt poſtmodum magna quiete & libertate, nedum Roma, verùm etiam Italia frueretur. Vrbem ædificijs exornando omnes anteceſſores ſuos longo interuallo poſt ſe reliquit. Tria palatia ædificauit, vnum in vinea, alterum ad montem Caballum, tertium in Laterano. Obeliſcum altitudinis 114. palmarum vltra baſim, antiquæ ſuperſtitionis monumentum à Vaticano in mediam S. Petri aream translatum Chriſto dedicauit, aliosque vetuſtate ſepultos, alterum apud S. Mariam Maiorem, alterum ad Lateranum, tandem iuxta S. Mariam de Populo erexit. Sacellum egregia architectura extruxit, ad quod Saluatoris noſtri præſepe tranſtulit. Xenodochium ſeu hoſpitale ædificatum, & perpetuo cenſu dotatum pauperibus alendis nuncupauit. Bibliothecam Vaticanam in ſplendidiorem, commodioremque locum tranſtulit, eamque mirificè auxit & illuſtrauit. Eccleſiam S. Hieronymi Illyricæ nationi conſtruxit. Aquam fælicem ſeu fontem in Quirinali deduxit, & varios alios fontes publicæ commoditati direxit. Lauacrum ex aqua fælici prope viam Piam muris cinctum, mulierculis pauperibus ædificauit. Vias nouas ampliſſimas aperuit & complanauit. In Laterano locum diuerſis picturis concinnatum ad populo benedicendum deſtinauit. Scalam Sanctam pretioſo ſalutarique Chriſti ſanguine conſperſam in nobiliorem locum tranſtulit, ac præclaris ornamentis ad excitandam pietatem inſigniuit. Ædem Sanctæ Sabinæ ſacram reparauit. Tholum quem vulgo Cupulam vocant, incredibili ſumptu perfecit. Vrbi tam multa præſtitit, vt eam non exornaſſe modo, ſed etiam renouaſſe meritò cenſeatur. Montem Altum muris vndique ſeptum ciuitatis honore & Epiſcopali dignitate donauit. Lauretum toto terrarum orbe celeberrimum, in ciuitatem Epiſcopalẽ, & Eccleſiam Cathedralem euexit. Super verticem columnæ Traianæ, teſte Baronio, præclariſſimum Chriſtianæ religionis monumentũ, Principis Apoſtolorum Petri ingentem æneam magna impenſa, ſtudioque conflatam ſtatuam inauratamque ſacris ritibus ſolenniter collocauit. Pronepotes ſuos nobiliſſimis Columnenſium & Vrſinorum familijs matrimonij fœdere coniunxit. Ac tametſi in omnibus ſupradictis incredibilem auri vim inſumpſerit, tamen expeditioni terræ ſanctæ quam meditabatur, tantas opes congeſſit, vt ſumma quinque myriadum auri in publicum ærarium illata ſit. Decreuit ne plures quam ſeptuaginta ſimul eſſent Cardinales, atque inter illos ad minimum quatuor Theologiæ Doctores, qui ex ordinibus Regularium Mendicantium aſſumerentur: & quòd non alio quam ieiuniorum Menſis Decembris tempore crearentur. Cardinales diuerſis temporibus 33. creauit. Sanctum Bonauenturam, Doctorem Eccleſię nominari, eiuſque feſtum ſub officio duplici celebrari mandauit. Varia ſanctorum feſta in Kalendarium retulit, Gręcam ſeptuaginta duorum interpretum editionem, tam penè antiquam, eademque latinè redditam, magno cum labore Antonij Carafę S.R.E. Cardinalis Bibliothecarij emendatam, ac perpolitam meritò comprobauit, affixoque in fronte eius, ſacro diplomate magnopere laudauit. In opinato morbo correptus, adempta ſtatim loquela, è vita exceſſit 27. Auguſti. Anno 1590. Sepultus eſt apud S. Petrum, cùm annos quinque, menſes 4. dies tres Pontificatum tenuiſſet. Vacauit Sedes dies 18.

Sub id tempus Isabella impia Regina Angliæ Catholicam Religionem extirpare in ſuis dominijs volens multos gladio occidit, plurimos in carceribus fætore, & fame necauit, innumeros in exilium eiecit.

In Gallia quoque interea temporis motus ingentes inter Henricum Tertium & Hereticos fuerunt Cumq. Rex Catholicum Principem Guiſiumcum fratre ſuo Cardinali Anno 1588. die 23. Decembris ob quaſdam ſuſpiciones occidere iuſſiſſet aliosque complures è prima nobilitate in carcerem conieciſſet ipſemet ſibi mortem adſciuit manu ſiccarij interemptus cum à Sixto V. citatus pro facto illo & excommunicatus fuiſſet.

VR-

VRBANVS VII. Ioannes Baptista Castaneus ante Pontificatum nominatus. Romæ patre Cosmo Genuensi natus. In Hispania Nuntij Apostolici munere magna cum laude perfunctus, à Gregorio XIII. Cardinalis S. Marcelli creatus, & ad Bononiensem legationem destinatus, Sixto tandem in Pontificatu successit tempore Rodulphi II. Imp. Natura fuit mansuetus, vitę inculpatę, & morum sanctimonia clarus: complexione tamen melancholica. & ad morbum inclinante. Pontificatum vltra vndecim dies non protraxit. Post eius obitum Sedes Apostolica duos menses & nouem dies vacauit.

Papa 232. Anno Dom. 1590. 15. Septemb. Rudolphi Imp 14. Qui tūc opera vnius Galli Iauarinum insignem munitionem recuperauit à Turcis.

GREGORIVS XIV. Franciscum Sfondratum, Senatorem Mediolanensem patrem habuit, & Nicolai nomen in sacro fonte consecutus est. Optimarum disciplinarum & Iurisprudentiæ studio Perusij & Patauij non pœnitendam operam dedit. A Pio IV. Episcopus Cremonensis, & à Gregorio XIII. Cardinalis creatus, ac tandem Vrbano ad meliorem vitam translato, post duorum & amplius mensium interregnum, tempore Rodulphi II. Imp. ad Pontificatus fastigium pertigit. In grati animi & obseruantiæ in Greg. XIII. significationem, Gregorius voluit appellari. Eius Pontificatus ad 13. Octob. anni sequentis, duntaxat per menses decem & dies totidem fuit continuatus. Quo factum est, vt optima quæque consilia, quæ animo conceperat, & quorum expectione multos sustentabat, exequi non valuerit. Morbus qui multorum malo vitæ filum illi abrupit, fuit febris continua cum stranguria & calculo coniuncta. Quinque Cardinales creauit, de quorum numero fuit Sfondratus. Sedes dies 15. vacauit.

Anno D. 1590. 15. Decembris Rudolphi Imper, anno 14. qui bellum cum Turca in Hungaria continuabat, misso eo Matthia Archiduce cum exercitu bono, qui Strigoniam recuperauerat cum multa strage Turcarum

INNOCENTIVS IX. Cathedram Sancti Petri cōscendit, tempore Rudolphi II. Imp. cui ante Pontificatum Ioannes Antonius Farquinetus nomen fuit. Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum à Greg. XIII. factus, summa integritate, variaque in omnibus penè facultatibus eruditione imbutus, rerum vsu & longa praxi edoctus, omnium animos in meliorem spem erexit. Verùm grauis annis, curis, & laboribus fractus, postquam populum à plerisque grauaminibus liberasset, duosque ex fratre pro nepotes in Purpuratorum ordinem adsciuisset, ad quietiorem vitam migrauit 29. Decemb. Anno eodem 1591. Post obitum eius vacauit Sedes vno mense.

Anno D. 1591. 29. Octob. Rudolphi Imperatoris an. 15.

CLEMENS VIII. Hyppolitus Aldobrandinus antea nominatus, ex Cardinale S. Pancratij, & Summo Pœnitentiario, trigesimo die post ingressum conclauis magno omnium Cardinalium consensu, & studio renunciatus est Pontifex, tempore Rudolphi II. Imp. Clementis illi nomen impositum est, quòd vir magnæ apud omnes existimationis, incredibili prudentia & dexteritate legationem nobilissimam, & vtilissimam in Polonia obijsset, aliasque res Ecclesiæ difficillimas, & grauissimas confecisset. Princeps erat ijs animi dotibus prędituṡ, quæ in summo viro & vniuersali Pastore desiderari possunt. Initio Pontificatus, teste Baronio, anno 369. quotidianæ illi mensæ tredicim ex ipsis vetere instituto parari solitæ, adiecit alteram prope cœnaculum suum pauperibus peregrinis potissimum è remotioribus regionibus in Vrbem confluentibus in singulos dies parandam, ad quam è sua pretiosiora quæque & lautiora vilioribus sibi retentis adferri iussit. Henricum Nauarræum Galliæ Regem ab excommunicationis anathemate absoluit. Sigismundo Transyluaniæ Principi inuictissimo, qui murum sese pro domo Israel barbaris fortiter opposuit, Moldauis quoque & Valachis excutiendi iugum Turcicum author fuit. Cœteros orbis Christiani Reges & Primates ad concordiam interse, &

Anno D 1592. 3. Kal. Feb Rudolphi Imp. an. 15. cuius tuac exercitum Imbraim Bassa ad Canisiam profligauit vrbemque ipsum statim per deditionem accepit. Sed mox à Pontifice adiutus restaurauit exercitum Imperator.

arma in barbarum dirigenda, non intermiſſis laboribus paterna ſolicitudine adhortari non deſtitit. Epiſcopos quos creaturus erat cum aliquot Cardinalibus ad hoc delectis, adhibitiſque ſimul qui in vrbe erant doctiſſimis Theologis & Canonici Iuris peritiſſimis, diligenti primùm atq. improuiſo examine probauit, cuius peritię eſſent, adeò vt ſub ipſo nonniſi bene diſerto ad Epiſcopatum aditus patuerit. Alexandrinæ Eccleſiæ legatos, Catholicam & Orthodoxam fidem ſuo, ſuiq. Patriarchæ Gabrielis, atq. totius Eccleſiæ nomine profitentes, atq. Dioſcorũ, aliosque hæreticos & Schiſmaticos damnantes benefice excepit, & paternè fouit. Cum Orthodoxo Tranſyluaniæ Principe, exiguo militum numero, ſi eum cum numeroſiſſimis Turcarum copijs compares, copioſiſſimum Turcarum exercitũ fudit, & profligauit. Ruthenos ad communionem Eccleſiæ recepit. Et Academiã Zamoſcenſem in Ruſſiæ partibus, per Ioannem Zamoſcium ſupremum Regni Poloniæ Cancellarium & Exercituum Ducem, ſub id tempus erectam, An. 1604. approbauit, quæ multos poſtmodũ viros magnos protulit, vtiles Eccleſię & Reipub. Chriſtianæ. Titulum S. Cæſarij in Palatio, nimia vetuſtate collapſum, penituſque inacceſſum atque deſertum, ideoque à Sixto V. è numero titulorum expunctum, cuſtos antiquitatum Eccleſiaſticarum, reſtituit & reſtaurauit. Effuſas nimiũ conceſſiones Indulgentiarum reſtrinxit. Inuento & religiosè adorato corpore S. Cæcilię, miraculosè ſanatus fuit à podagra, qua diu multumque grauiter laborauerat. Qua ratione vero iſta contigerint, Cardinalis Baronius, qui pręſens inter fuit & vidit, exactiſſimè deſcripſit.

Obijt Pontifex Optimus A. D. 1605. quinto Nonas Mart. cum ſediſſet annos tredecim, menſem vnum, & tres dies. Ad quartum Nonarum Aprilium Sedes Pontificia viduata extitit.

Concilium Prouinciale vnicum Aquileienſe, celebratum ſub Clemente VIII. in cauſa reformandæ diſciplinæ Eccleſiaſticę, in ciuitate Vtinenſi, præſidente Franciſco Barbaro Patriarcha Aquileiæ: vbi maximè ſtabilita eſt reſidentia Epiſcoporum & Curatorum.

A.D. 1596. 20. Octob. Eodem tempore Laurentius Priolus celebrauit Synodum Venetam Diœceſanam tanquam Epiſcopus & Patriarcha Venetus.

LEO X.

Vulgo XI. Alexander Medices ante vocatus, patria Florentinus, Coſmi Magni Ducis Etruriæ conſobrinus, ex Cardinale SS. Ioannis & Pauli (quem titulum virtutibus eius debitum Gregorius XIII. ei contulerat) Clementi VIII. in Pontificatu ſurrogatus eſt, imperante Rudolpho II. Ante Pontificatum Archiepiſcopatu etiam Florentino fungens à Clem. VIII. ad Henricum IV. Galliæ Regem anathemate iam ab eodem Pontifice expiatum, Legatus de latere miſſus eſt, vbi per annos duos moratus, legatione benè geſta, & pace tandem inter potentiſſimos Hiſpanię & Galliæ Reges conſtabilita, Ferrariã vbi Clemens agebat, profectus, magno Pontificis & Cardinalium præſentium applauſu exceptus eſt. Quando verò ad gubernacula Eccleſię admotus eſt, tantam ſtatim omnium ordinum ſpem de ſe concitauit, quantam inſperata, & nimis acceleratа mors conſternationem omnibus attulit. Nam cum ad S. Ioannem Lateranenſem poſſeſſionis capiendæ cauſa, de more, celeberrimo comitatu ſe contuliſſet, à maximis ſudoribus ſubitò refrigeratus in morbum grauiſſimum incidit, ex quo 27. Aprilis eiuſdem anni, poſtquam 25. dies Eccleſiæ præfuiſſet, in humanis eſſe deſijt.

Anno D. 1605. 4. Non. Aprilis Rudolphi Imp. an. 29.

Dignum planè poſteris exemplum hic Pontifex imitãdum reliquit, quòd ægrotus ſuaſionibus plurimorum adduci non potuit, vt nepotem ſuum modeſtiſſimum adoleſcentem quem penes ſe educauerat & vnice dilegebat, crearet S. R. E. Cadin.

PAVLVS V.

Burgheſius, Camilli nomine ante Pontificatum vocatus, patre Antonio, matre Flaminia Aſtalia, Anno Salutis 1552. ad diem 17. Septembris Romæ natus. Adoleſcens ſtudiorum ſedem & magiſtram Peruſiam habuit. Redux ad Vrbem, per omnes dignitatum Romanarum gradus ſumma cum laude proceſſit. Referendis vtriuſque Signaturæ negotijs primò prælatus; poſtea baſilicæ Liberianæ Clero titulo Vicarij præfectus; quantum alios antecedebat dignitate, tantum antecedere conabatur pietate pro-

Papa 237. Anno D. 1605. 16. Maij Rudolphi Imp. an. 29. qui curis aſſiduis fractus obijt 1611. vltima Decemb. annum agens 59 cum regnaſſet annos 39. varia fortuna & ſucceſſu in bello præſertim Turcico.

probitate, puritateque vitæ. Prolegatus Alexandro Peretto Cardinali Montalto Bononiam submissus, difficillimis à Sixti V. & Vrbani VII. morte Interpontificiorum temporibus, integerrimè administrauit. Quem in hoc munere occupatum Gregorius XIV. Romam reuocauit, & sacræ Aulæ Auditorē causarum renūciauit. In Hispanias à Clemente VIII. ad Philippum II. Regem pro suppetijs bello Turcico, à Rudolpho II. Imperatore gerendo, impetrandis, proque fœderatorum Regni Galliæ Catholicorum rebus, aduersus Hugonoos grassantes, Regiæque inhiantes, nec non pro alijs Reipub. Christianæ negotijs Nuncius cum potestate Legati de latere missus, parem animum rebus gerendis attulit, summaque virtutū ornamenta, vniuersæ Hispaniæ exeruit; adeò vt Philippus iunior vnicè iam tum eum diligere cœperit, quem non manibus votis, alterum suum fore aliquando parentem diuinabat. Clemens verò VIII. ex Hispania reuertentem ad Annum Salutis 1596. die 15. Iunij inter purpuratos titulo S. Eusebij adscripserit, inque administratione Vrbis Vicario, & in promouendis decernendisque Fidei negotijs, supremo Inquisitore vteretur. Ab his ornamentis cognomen *Optimi Cardinalis* assecutus, à morte Leonis XI. non difficile inter 60. Sacri Collegij lumina, in oculos suffragatorum incurrit, qui illum Regium Sacerdotē renunciauerunt, & Pauli V. indito nomine; ipsa festiuitate Sacratissimæ Pentecostes, sacris publicis operaturum Pontificio phrygio ornarunt, diademateque triplici coronarunt, Francisco Sfortia primo Diaconorum inauguratore.

Vt autem Reges & Principes Christianos suæ assumptionis admonuit, à cultu diuino inprimis Pontificatū auspicatus est, & Orationis vsum in 40. horas distributum, iamque per omnia templa vrbica dietim per singulos menses, toto anni decursu à Clemente Pontifice introductum, cōstitutione perpetua stabiliuit; vtq. ea deuotio nunquam intermitteretur, sed continua succedentibus diebus, mensibus, & annis perennaret, assignatis templis, præscriptisque pro ea re legibus, instituit. Deinde Sanctos vita functus, cum Christo in cælis regnantes, demereri cupidus; honores eis publicos decreuit: ac inprimis Carolum Borrhomæum Cardinalem Archiepiscopum Mediolanensem, & Franciscam Romanam, in Sanctorum Cathalogum, solenni ritu retulit. Ignatium Loyolam Soc. Iesu conditorem, Frāciscum Xauerium Indię Apostolum, Philippum Nerium Florentinum Congregationis Oratorij Romani, Theresiam virginem Discalceatorum Carmelitarum auctorem, Ludouicum Bertrandum Dominicanorum, Thomam Villanouanū Augustinianum Archiepiscopum Valentinum, Isidorum Madritiensem Hispanum, Beatis adnumerauit. Sancti Vbaldi Episcopi Eugubini, professoris Ord. Canonicorum Regularium Lateranensium festiuitatem innouauit, seu restituit. Sancti Cazimiri Iagellonidis officium, Sigis. III. Rege Poloniæ postulante, vbique Ecclesiarum recitari mandauit, ac Breuiario & Missali Romanis inseruit. Officiū & festum Angelo Custodi constituit. B. Stanislaum KostKam Polonum, B. Aloysium Gonzagam, Societatis Iesu lilia, Margaretam Castellanam, & Iacobum Venetum, Dominicanæ familiæ lumina; B. Pilippum, & Peregrinum Ordinis Seruitarum decora, cultu ampliore affecit. Vtq. tabellæ votiuæ, sepulturæ Sanctiss. Pontificis Pij appendantur affiganturq. permisit: vitę actionum & miraculorū ipsius inquisitione Cardinali Millino, Vrbis tunc Vicario delegata.

Sub id tempus Rex Poloniæ Sigismundus III expugnato Smolensco etiam occupauit & Metropolim Vrbem Mosconiam eorumque Principem Ioannem Suiseium cum suo fratre Demetrio Cācellario, tum Patriarca Moscouiæ, & Duce exercitus Galenicio captos in Poloniam duxit. Qui omnes in patriam postea fuerunt dimissi suam (erant enim Proceres alij complures capti)

Chaldęorum nationem cum Patriarcha Babylonico Elia ad vnionem Ecclesiæ recepit, deque mysterijs Fidei legatos illos exactè instructos cum dogmaticis literis remisit, & Synodum per legatum suum celebrauit. Similiter Armenorum Patriarcham in communionem suscepit, instructum dogmatibus Catholicis. Curauit & in Africa Ecclesiam resuscitare: & pro Maronitarum salute sollicitus fuit.

Ferdinando II. contra rebelles Hæreticos suppetias dedit; & Rudolpho contra Turcas. Opera publica plurima exstruxit: Annonam procurauit. Bibliothecā Vaticanam, & Archiuum auxit. Atque tandem 28. Ian. A. D. 1621. ad cœlitum

exo-

exoptatum consortium emigrauit,cum sedisset annos 15. menses 8. dies 13. vixisset LXVIII. Menses 4. dies 13. Cuius vitam & res gestas Abrahamus Bzouius libro singulari perscriptam auctius complexus est.

> Suifoius verò Princeps triennio fere Gosimia in carcere detentus tandem prameroze animi obijt, & Varsouia in Suburbio Cracouiensi sepultus est.

Concilium Prouinciale Petricouiense, sub eius Pontificatu, Bernardus Macieiouius, S R.E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Ioan. ante portam Latinam, Archiepiscopus Gnesnensis celebrauit, ediditque epistolam pastoralem doctissimam, pro reformandis Cleri & popoli moribus: proque vnione Ruthenorum ritus Græci cum Ecclesia Romana promouenda. Qui itidem Synodum suam tum temporis Breste Lituanico celebrarunt, præsidente Hipatio Pociey Metropolita Kiouiensi, qui à Schismate ad Ecclesiæ Catholicæ communionem redierat.

> Papa 238. A.D. 1621. die 11, Feb Ferdinandi II. Imp an. 20, qui cum fuisset coronatus Rex Bohemia an. 1617 statim anno sequenti rebellisauerunt ei haretici Bohemi, & Episcopos religiososq; omnes toto regno expulerunt, in Regem verò elegerunt sibi Federicum Palatinum Rheni Electorē cum Dux Saxonia nollet acceptare coronam, Eorum exemplo rebellarunt, & Hungari Silesij atq; Morani, & similiter Ecclesiasticos omnes elegerunt cum Imperator Francofordie coronaretur, in ordine Romanorum Augustus 120. in mense Augusto anno 1619.

GREGORIVS XV.

Bononiensis, ex illustri Ludouisiorum familia, patre Pompeio, matre Camilla Biancina prognatus, Alexandri nomen sortitus fuerat. Adolescens Romæ in Collegio Germanico educatus, bonarum litterarum & Philosophię cognitionem adeptus, in patria Iurisperitiam didicit, & Doctoratus insignia promeruit. Ad curiam deinde profectus, primo sub Gregorio XIII. inter Capitolij Iudices connumeratus fuit: deinde sub Clemente VIII. Referendarij Vtriusque Signaturæ munus gessit, atque breui inter Rotæ Aduocatus consedit. Sub Paulo denique Quinto. Archiepiscopus Bononiensis declaratus, pacem inter Hispanum, Heluetios, & Sabaudum industriè tractauit; proque meritis Cardinalis renunciatus, debita cum diligentia Ecclesiam sibi commissam rexit. Mortuo verò Paulo V. & nouendiali exequiarum interuallo peracto, duo supra quinquaginta Cardinales conclaue ingressi, post peractum de Spiritu S. sacrum, & iuramentum de nouo eligendo successore præstitum. consultatione de more facta vnanimi assensu Alexandrum in Pontificem elegerunt, annos natum 68. & Gregorum XV. appellarunt. Qui ad gubernandam Rempub. Christianam animo verso, imprimis populares tumultus Vallis Tellinę sopire studuit, vt sic Hispaniarum Regem cum Rege Christianissimo acquietaret, & in huius regno rebelles hæreticos ad obedientiam redigeret: in illius verò prouincijs bello feroeientes Batauos compesceret: insurgentesque in Ferdinandum II. Imperatorem proteruos peruicacesque Bohemos, datis subsidijs comprimeret. Creauit Cardinales, quatuor promotionibus, numero vndecim. In Sanctorum numerum retulit, S. Ignatium Soc. Iesu dundatorem, S. Franciscum Xauerium Indię Apostolum. S. Philippum Nerium Institutorem Oratorij. S. Isidorum agricolam Hispanum. & S. Theressiam Discalceatorum Carmelitarum auctorem. Constituerat & B. Ludouicum Bertrandum Ord. Prędicatorum, in album Sanctorum cum Christo regnantium referre. iamque trium Auditorum Rotę, Io. Baptistæ Coccini Rotæ Decani, Alphonsi Manzanede de Quinones, & Iacobi Caualerij, relationem acceperat, sed mors impediuit omnia, quę eum vrbem annonæ affluentia recreantem, magno cum dolore egenorum & pauperum sustulit, octauo Idus Iulij A. 1624. annum agentem Septuagesimum, cum sedisset in Cathedra Petri annis duobus, & mensibus 6. non ex integro. Quem in funere laudauit Famianus Strada. Vacauit Sedes diebus 28.

> A.D. 1621. die 26. Aprl.

Concilium Prouinciale Petricouiense, pro immunitatibus Ecclesiæ tuendis moribusque restaurandis. celebrauit Laurentius Gembicius Archiepiscopus Gnesnensis, cuius constitutiones approbauit Greg. XV.

> Papa 239. A.D. 1623. die 6. Augusti. Ferdinandi II. Imp. an 5. Qui misso exercitu in Italiam vrbem Mantuam ex-

VRBANVS VIII.

Maffeus antea vocatus, Florentinus ex nobili familia Barberinorum; patre Antonio, matre Camilla Barbadora Anno 1568. natus. Liberales disciplinas in Collegio Romano, & Philosophiam didicit, Francisci patrui cura, & sumptibus, Iurisprudentiæ operam in Vrbe Pisarum dedit, & lauream doctoralem ob-

obtinuit; prosa & carmine (vti sua scripta docent, & Sacrorum Hymnorum correctio) vbique bonus, Græcarumque litterarum cognitione clarus. Sub Sixto V. Clericus Cameræ factus, per gradus officiorum Curiæ procedens, tandem à Clemente VIII. titulo Archiepiscopi Nazareni ornatus, in Gallias bis ad Henricū IV. legatus missus, tot annis ibi residens capello Cardinalitio à Paulo V. breuiq. Episcopatu Spoletano auctus, dignitatem illam summa cum opinione innatæ prudentiæ gessit. Mortuo verò Gregorio XV. cum ob excellentem ingenij animique præstantiam, tum rerum gerendarum singularem dexteritatem & humanitatem innatam, vnanimi consensu Pontifex renunciatus, Vrbani VIII. nomine appellari voluit. Et quamuis solenni die Transfigurationis Domini à suffragatoribus electus fuerit, non tamen alia die, nisi Michaeli Archangelo sacra, ob peculiarem deuotionem, & tacitas rationes suas, triplici diademate coronari voluit. Ad regimen itaque conuersus Reipub. Christianæ, postquam omnes Principes suæ assumptionis admonuit, ante omnia vrbis Ecclesias visitare instituit, Episcoposque & curam animarum habentes Prelatos ad residentiam in beneficijs suis admonuit, ac tandem Iubileum Anno 1625. saluti fidelium prospiciendo celebrauit. Multa templa ruinosa in vrbe restaurauit. Castrum S. Angeli noua munitione exornauit. Portum Centocellensem, & vrbis muros, sumptu ingenti restaurauit. Ducatum Vrbinatensem Ecclesiæ adiunxit. Armamentarium in Vaticano pro Ecclesiæ defensione fundauit. Bibliothecam manuscriptis Græcorum, & libris ex Germania aduectis notabiliter auxit. Castrum à suo nomine fortissimum in confinijs ditionis Mutinensis extruxit: & Palatium Gandolfianum commoditati successorum Pontificum ædificauit. Basilicam D. Petri dedicauit, & aram in ea maximam mirabili substructione exornauit. B. Petrum Auellinum Ordinis Clericorum Regularium Sacerdotem, Felicem Capucinum, Caietanum Thienæum fundatorem Clericorum Regularium Theatinorum, Mariam Magdalenam Florentinam è Pazzorum familia, Beatorum titulo decorauit. S. Elizabetam Reginam Portugalliæ, & S. Andream Corsinum Carmelitanū Episcopum Fesulanum, Sanctorum numero adscripsit. Inuentum corpus S. Martinæ in Capitolini cliui radicibus, vna cum corpore S. Concordij & Epiphanij decentius reposuit, & festum cum officio 30. Ianuarij instituit. Similiter & SS. Bibianæ, Demetriæ & Dafrosæ corpora reperta, templo restaurato, solemni ceremonia, sub ara maxima collocauit, officiumque recitari quotannis iussit. Prout & Sancti Hermenegildi, in Sanctorum Martyrum numerum, memoria relata festū, & officium peragi curauit. Proque victoria de Turcis obtenta Polonis diem solemnem, & officium indulsit. Vladislaum Regis Poloniæ filium, & Leopoldum Archiducem Austriæ tempore Iubilæi; ac paulò post Ferdinandum II. Magnum Hetruriæ Ducem, sumptu regio excepit. Cardinales temporibus diuersis, ex diuersis nationibus (quos inter Io. Albertum, Sigism. III. Regis Poloniæ Filium, Regis Vladislai fratrem, Episcopum Cratouiensem) sexaginta creauit; quibus titulum Eminentissimi, & Reuerendiss, ad differentiam aliorum Prælatorum qui passim Illustrissimi vocabantur, motu proprio indidit, & Bulla Pontificia confirmauit.

pugnauerat, eo quod absque scitu illius Carolus Dux Niuernensi è Gallia veniens illam occuparet tam quam proximus de sanguine Ducum Mantuanorum, post obitum Vincentij Ducis Mātuani vltimi de familia Gonzagarum. Cum pracipua Imperij loca & prouincias Suecus breui tempore occupauisset, profligauissetque Duces imper acie. Inuicem ipse aliquoties profligatus & ad extremum in prælio Lucensi occisus est die 16. Nou. Anno 1632.

Tandem laboribus & sollicitudine pro pace Italię & libertatibus Ecclesiæ confectus Anno D. 1644. die 26. Iulij, in humanis esse desijt, cum sedisset in Cathedra Petri, annos viginti vnum, aliquot diebus minus, vixisset 76. iustitia, liberalitate, prudentia, animique magnitudine, inter pręcipuos Mystas & Principes clarus. Vacauit Sedes ab obitu illius Mense vno & diebus 17.

Primum Concilium sub Vrbano VIII. Petricouiense, celebrauit Ioannes Venzyk Archiepiscopus Gnesnensis, pro reformandis moribus, fideque nostra Catholica ab omni labe errorum vindicanda. Vbi denuo Epistola Pastoralis ad Parochos, Cardinalis Macieiouij publicata est, Visitationesque Ecclesiarum, ad normam Cardinalis Radiuilli, cum suis executionibus, in omnibus Diœcesibus Regni Poloniæ, demandatę sunt. A D. 1628. die 22. *Maij.*

Secun-

Anno D. 1634 die 13. Nouemb.

Secundum Concilium Varsouiense, ab eodem Regni Primate & Primo Senatus Principe Ioanne Venzy*k* celebratū, pro deprauatorū morū correctione, & diuini cultus propagatione. Vbi prohibitum fuit, sub anathematis pœna, ne quis librū Bibliorum ab hęreticis tunc lingua Polonica Gedani impressum, legere auderet, quod multos in se scripturę sensus corruptos, & verba immutata haberet.

Anno D. 1643.

Tertium Prouinciale Concilium, Varsouiense, pro disciplina Ecclesiastica conseruanda, decimisque à Religiosis de bonis terrestribus nuper acquisitis, ex antiquo Parochis curam habentibus animarum debitis, more solito soluendis celebratum pręsidente Matthia Lubinio Archiepiscopo Gnisnensi. Quod interea temporis Vrbano VIII. è viuis sublato, approbauit Innocentius X. addiditque Breue de soluendis decimis per Regulares, maioris efficacię & authoritatis causa.

Papa 240. Anno D. 1644. 15. Septemb. Ferdinandi III. Imp. an. 7 qui profligatis toties Suecis cladibusque ab eis acceptis, tandem certis conditionibus post tot bellorū calamitates cum eis pactus, desideratam quietem et pacem Germania attulit in Turcam victritia arma conuersurus. Quod vouemus, quod optamus,

INNOCENTIVS X. patria Romanus, Ioannes Pamphilius ante Pontificatū vocatus. Quem magnus rerum agendarum vsus, zelus erga Dei Ecclesiam eximius, animusque in egenos afflictosque beneuolus, ad tantæ dignitatis culmen euexisse haud immerito censendus est. Cuius Pontificatus, post pręclara alia in Rempub. Christianam merita, substructionesque in vrbe magnificas, Iubileo nuper A.D. 1650. peracto percelebris extitit, frequenti admodum hominum piorū limina SS. Apostolorum visitantium concursu, qui liberalitatem ipsius domum reuersi laudibus efferre non desistunt, & humanitatem cum alijs Pontificijs virtutibus mirantur. Orandus est Deus Op. Max. quandoquidem etiamnum pergit de Ecclesia eius Sancta optimè mereri, eamque pro virili tueri, vt det illi verbo & exemplo ouibus pascendis, sicut præest, ita proficere, vt tandem post exanthlatum vitæ huius decursum, eas ad optatum Regni cœlestis ouile secum perducere mereatur. In quo voto finio, & dico Fiat, Fiat.

Huius Pontificatu Promotus sum in Sapientia Romana 4 Julii. A 1652

FINIS.



ROMAE MDCLIII.
Sumptibus Io. Baptistæ, & Iosephi Corui Bibliopolarum.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.



A

I N D E X.

Ca-

D

I

Isaa-

Sfon.

FINIS.

REGESTVM.

† † Sunt terniones.

A B C D Sunt folia simplicia.

E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Sunt duerniones.

Z Est ternio.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx. Sunt duerniones.

Yy. Est ternio——

Aaa Bbb Ccc Ddd. Sunt duerniones.

Eee a. Sunt terniones.

FINIS.

REGESTVM

† ✠ Sunt terniones.

A B C D Sunt folia simplicia.

[illegible] V X Y Sunt duerniones.

Z Est ternio.

[illegible]

[illegible] Sunt terniones.



